St. Albert's College Library

IUS DE PERSONIS

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

PRAEMISSO TRACTATU

DE PRINCIPIIS ET FONTIBUS I. C.

St. Albert's College Library

AUCTORE
IOANNE CHELODI
I. C. DOCTORE ET PROFESSORE — S. R. ROTAE ADVOCATO

TRIDENTI
LIBR. EDIT. TRIDENTUM
1922

EIUSDEM AUCTORIS APUD EUMDEM BIBLIOPOLAM:

Ius Matrimoniale *iuxta Codicem Iuris Canonici editio III, 1921*

Lib. 8.—

Ius Poenale *et Ordo procedendi in iudiciis criminalibus iuxta Codicem Iuris Canonici, 1920*

Lib. 6.—

NIHIL OBSTAT

Tridenti, maii 1922.

I. B. Bazzoli, Censor.

IMPRIMATUR

Tridenti, maii 1922. — N. 1958 eccl.

Lud. Eccheli, Vic. gen.

IURA PROPRIETATIS RESERVANTUR

4931

PRAEFATIO.

Novum hunc iuris canonici librum editurus, auctor non abs re esse censet pauca praemittere, quibus declaret, quaenam sua mens in eo conscribendo, prout etiam in praecedentibus *(Ius matrimoniale, Ius poenale)* fuerit. Iure Decretalium vigente, satis notum est duplicem distinctam fuisse formam, qua ius nostrum aut traderetur aut exponeretur: Institutionum, uti aiunt, et Commentariorum ad textum. Cum nunc Codex Institutionum ordinem, dispositionem, perspicuitatem exhibeat, antiquae distinctionis servandae nulla quidem est ratio, neque tamen nihili interesse putandum est utrum disciplina canonica pleniore et absoluta disputatione proponenda sit, an vero solummodo compendiose et per summa principia. Quo ex capite, cum in athenaeis, ad normas S. C. de Seminariis et Studior. Univers. d. d. 7 aug. 1917, singuli canones, suo ordine, accurata analysi, diligenti explanatione sint interpretanti, in ceteris scholis atque in studio privato maior relinquitur libertas, neque illicitum est Codicis sententiam synthetice proponere. Quam methodum auctor elegit, cum sibi in animo non esset perpetua commentaria pro schola textus conscribere, sed tantum modestiorem tractatum in suorum alumnorum et quorumdam forsan aliorum usum. Quare, licet nullus canon cum l. I tum l. II praetermissus sit, subinde levis aliqua ordinis immutatio inducta est, aliusque ampliore alius breviore interpretatione dimissus.

Principiis imprimis et fundamentis uniuscuiusque iuridici instituti, necnon eius historicae evolutionis insistendum esse sibi videbatur. Quod spectat ad ampliorem tractationem historicae evolutionis insistendum esse sibi videbatur. Quod spectat ad ampliorem tractationem historiae iuris non una quidem est apud nostros sententia, sed qui cognoscat quae ratio in scientia canonica excolenda hodie in exteris nationibus primas partes habeat, non e re censebit eam disciplinam non penitus neglegendam esse, de qua olim magni Italiae canonistae (ut vel unum Benedictum XIV commemorem) tam bene meriti sunt. Qua in re Universitas Gregoriana, ut in aliis multis, iamdiu suo studiorum ordine ostendit quam apte novis et temporis et scientiae postulatis respondeat.

Tridenti, in Paschate Resurectionis d. 16 aprilis 1922.

INDEX

DE PRINCIPIIS ET FONTIBUS IURIS CANONICI

CAPUT I.

PRENOTATIONES GENERALES

I. De iure universim . . . . . *pag.* 1
II. De iure Ecclesiae . . . . . » 10
III. De scientia iuris canonici . . . . . » 13

CAPUT II.

DE IURE ECCLESIAE FUNDAMENTALI
(IUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM)

I. Ecclesia est societas perfecta . . . . . » 19
II. De potestate sociali Ecclesiae . . . . . » 25
III. Ecclesia et Status . . . . . » 32
IV. Historica relatio inter Ecclesiam et Statum . . » 43
V. Conventiones inter Ecclesiam et Statum . . . » 53
VI. Relatio Ecclesiae ad acatholicos et infideles . . » 59
VII. Forma regiminis socialis Ecclesiae . . . . » 61

CAPUT III.

HISTORIA FONTIUM IURIS CANONICI

I. Ab exordiis usque ad Gratianum . . . . » 66
II. Corpus iuris canonici . . . . . » 76
III. Fontes iuris post Corpus iuris canonici . . » 84
IV. Codex iuris canonici . . . . . » 88

CAPUT IV.

DOCTRINA FONTIUM IURIS CANONICI

I. De iure divino . . . . . » 96
II. De legibus ecclesiasticis . . . . . » 97
III. De consuetudine . . . . . » 116
IV. De rescriptis . . . . . » 123
V. De privilegiis . . . . . » 153
VI. De dispensationibus . . . . . » 141
Appendix. De temporis supputatione . . . . » 146

DE PERSONIS

CAPUT I.

DE PERSONIS IN GENERE

I.	Persona physica	*pag.*	149
II.	Persona moralis	»	159
III.	Actus iuridici personarum	»	163
IV.	Praecedentia	»	167

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ORDINIS

I.	Status clericorum	»	169
II.	Incardinatio	»	173
III.	Iura et privilegia clericorum	»	176
IV.	Obligationes clericorum	»	182
	A. Quae facere teneantur	»	182
	B. Quae vitare teneantur	»	193
V.	Reductio ad statum laicalem	»	197

CAPUT III.

DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS

I.	Iurisdictio ordinaria et delegata	»	200
II.	Officium ecclesiasticum	»	208
III.	Provisio officii ecclesiastici	»	210
IV.	Electio	»	218
V.	Postulatio	»	223
VI.	Praesentatio	»	225
VII.	Amissio officiorum ecclesiasticorum	»	230

CAPUT IV,

DE SINGULIS GRADIBUS HIERARCHIAE IURISDICTIONIS

I.	Romanus Pontifex	»	237
II.	Cardinales	»	246
III.	Curia Romana	»	252
	A. Sacrae Congregationes	»	254
	B. Tribunalia	»	265
	C. Officia	»	267
IV.	Legati Romani Pontificis	»	269
V.	Patriarchae, Primates, Metropolitae	»	272
VI.	Vicarii et Praefecti apostolici	»	276
VII.	Episcopi	»	281
VIII.	Curia diocesana	»	304

IX. Capitula canonicorum . . . . . pag. 312
X. Vicarius capitularis . . . . . » 332
XI. Pastores inferiores . . . . . » 337
A. Vicarius foraneus . . . . . » 339
B. Parochus . . . . . » 341
C. Vicarii paroeciales . . . . . » 353
D. Ecclesiarum rectores . . . . . » 357

CAPUT V.

DE CONCILIIS ET SYNODIS

I. De concilio oecumenico . . . . . » 361
II. De concilio plenario et provinciali . . . . » 394
III. De synodo dioecesana . . . . . » 369

CAPUT VI.

DE RELIGIONIBUS ET RELIGIOSIS

Sectio Prima: De Religionibus.

I. De statu religioso . . . . . » 373
II. Notio, varietas, historia religionum . . . . » 375
III. Erectio et suppressio religionis, provinciae, domus . » 380
IV. De religionum regimine . . . . . » 386
V. De confessariis et cappellanis . . . . . » 396
VI. De bonis temporalibus . . . . . » 403

Sectio Altera: De Religionis.

I. De admissione in religionem . . . . . » 407
II. De professione religiosa . . . . . » 420
III. De obligationibus religiosorum . . . . » 429
IV. De privilegiis religiosorum . . . . . » 437
V. De egressu e religione . . . . . » 445
Parergon. De societatibus vitae communis sine votis » 457

CAPUT VII.

DE LAICIS

I. De fidelium associationibus in genere . . . » 460
II. De fidelium associationibus in specie . . . . » 461
Canones libri I et libri II C. . . . . » 471
Index alphabeticus . . . . . » 477

SIGLA

A. = Acta Apostolicae Sedis, commentarium officiale, ab a. 1909
AS = Actae Sanctae Sedis (1865-1908)
AK = Archiv für katholisches Kirchenrecht (inde ab a. 1857)
C. = Codex Iuris Canonici (a. 1917)
CA = Codex civilis austriacus (a. 1811)
C. C. = Sacra Congregatio Concilii
Coll. = Collectanea S. C de Propaganda Fide (Romae 1907, 2 vol.)
CG = Codex civilis germanicus (a. 1896)
CGa = Codex civilis gallicus (a. 1804)
CH = Codex civilis helveticus (a. 1907)
CI = Codex civilis italicus (a. 1865)
C. I. = Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos
C. P. F. = Sacra Congregatio de Propaganda Fide
C. R. = Sacra Congregatio Rituum
C. S. = Sacra Congregatio de disciplina sacramentorum
ME = Monitore Ecclesiastico (inde ab a. 1878)
R. = Sacra Romana Rota
S. O. = Sacra Congregatio Sancti Officii
S. P = Sacra Poenitentiaria
a. = articulus
c. = caput seu canon (iuris antiqui)
can. = canon (novi Codicis)
l. = lex (in allegationibus iuris Romani et iuris civilis moderni)
fr. = fragmentum (in allegationibus ex Digesto)

DE PRINCIPIIS ET FONTIBUS IURIS CANONICI

CAPUT I.

PRAENOTIONES GENERALES

I. DE IURE UNIVERSIM.

1. Ordo ethicus et ordo iuridicus. Rationem divinam quae, immanenti actu, omnes naturas praevidit et esse decrevit, singulis *suos fines* praefigens in ordine ad finem supremum, summam et aeternam esse regulam quae cuncta creata movet et dirigit, ultimas rerum causas consideranti perspicuum est *(lex aeterna)*. Quae norma proinde tam universalis est, ut nedum mundum moralem, seu entium rationalium, sed et mundum physicum comprehendat; atque *omnia*, statim ac existunt, aliquo modo eamdem participant, quatenus naturaliter «ex impressione eius habent inclinationes in proprios actus et fines».[1]

Alia aliter tamen, pro eorum natura. Per gradus ascenditur. Participatio legis aeternae, quae in entibus inanimatis per leges astronomicas, physicas, chimicas, in organicis per biologicas, in animalibus per instinctum ostenditur, demum in rationali creatura *intellectualiter* fit, eamque, utpote *libertate* praeditam, necessitate non absoluta sed *morali* dumtaxat obstringit. Unde dum in reliquis hoc immanens principium

---

[1] *S. Thomas Aq.*, Summa theol. I, II, q. 91, a. 2: cf. etiam ibid. a. 1 et q. 93, a. 1: «ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum»; *Suarez*, De legibus, Neapoli 1872, lib. II, cc. 1-3; *Th. Meyer*, Institutiones iur. natur.[2] I, (Friburgi 1906) 238 ss.; *Cathrein*, Filosofia morale, trad. Tommasi, I (Firenze 1913) 406 ss.; *Eiusdem*, Philosophia moralis, [10] Friburgi 1915, 204 ss.; *Haring*, Der Rechts-und Gesetzesbegriff in der kath. Ethik und modernen Jurisprudenz, Graz 1899, 6 ss.; *Burri*, Filosofia del diritto, Roma s. a. (lithogr.) 39 ss.; *Boucaud*, L'idée de droit[2], Paris 1906, 21 ss.; *Hertling*, Recht, Staat u. Gesellschaft[6], München 1918, 28 ss.

activitatis cuiusque entis passive et coeco modo recipitur, ideoque nonnisi improprie lex dicitur («*per similitudinem*»),[1] «participatio legis aeternae in rationali creatura», quae finem cognoscit et libere eligit, ethicam rationem habet et proinde vero nomine *lex naturalis ethica* vocatur.

Quae lex igitur, in ipsa natura promulgata et per iudicia rationis practicae honesti inhonestique limites signans, quid ob obligationem finis assequendi agendum omittendumve iubens, est fundamentum *ordinis ethici*, in quo idcirco omnes prorsus hominis liberae actiones constituuntur, omnes formae vitae rationalis continentur,[2] *omnia officia* erga Deum, erga semetipsum, erga alios determinantur.

Cum autem homo *in societate* vivere natus sit, in exercitio suae libertatis libertatem aliorum tangit,[3] unde mutuae *relationes* exurgunt, quae etiam ad finem ordinandae sunt ita ut nemo ab eo persequendo impediatur simulque ipsius societatis bonum (quod sane item finis est) maxime promoveatur. Quare tum organismus socialis tum singulorum socialis activitas in ordine ethico invenitur. Systema normarum et officiorum, quo mutua libertas propter bonum commune limitatur, *ordo iuridicus* dicitur.[4]

Ordini iuridico quodcumque *fundamentum ethicum* abiudicant imprimis qui vel existentiam legis moralis negant. Haec enim nonnisi in conceptione theistico-teleologica mundi locum habet; in systemate vero *pantheismi* et eo magis *materialismi* non intelligitur. Cuius assertores, sive affirment ideas et iudicia moralia ex physicis et chimicis materiae mutationibus exurgere (Büchner, Moleschott), sive ab evolutione sociali (Spencer, Comte) aut a conditionibus oeconomicis (Marx, Engels, Loria) aut a lege civili (Hobbes, Spinoza) aut a Statu (pantheismus Hegelianus) derivari, omnes in eo conveniunt ut, directe vel indirecte, Deum personalem, tanquam supremum legislatorem excludant.[5]

Sed etiam inter eos qui legem moralem eiusdemque vim in foro interno praevalentem admittunt, plurimi sunt qui *ius ab ethos separare* volunt, et illud ab hoc independens esse affirmant (Kant et modernus positivismus iuridicus).[6]

---

[1] *S. Thomas*, l. c.

[2] Religio, moralitas, iustitia, ars, oeconomia, — matrimonium, proprietas, familia, classes sociales, Status etc. cf. *Burri*, 60.

[3] Saltem in *potentia*, si per accidens homo solus, ex. gr. in insula deserta, viveret.

[4] cf. *Cathrein*, Recht, Naturrecht u. positives Recht[2], Freiburg 1909, 314.

[5] *Independentia moralis* seu *moralis independens*, uti aiunt. cf. *Leonis XIII*, encycl. *Libertas*, 20 iun. 1888, § Re vera (ed. Desclée III, Brugis 1898, 104); *Cathrein*, Filos. I, 286 ss.; *Meyer*, I, 142 ss. 515 ss.: *Haring*, 55, 61 ss.; 70 ss.

[6] *Meyer*, I, 514 ss.; *Haring*, 77.

Ex dictis constat, e contra, ordinem iuridicum partem esse universi ordinis moralis, cui inservit ut medium ad finem. Proinde non omnis quidem norma ethica est iuridica, at nulla norma iuridica esse potest quae ethica non sit.[1]

Sunt tamen *notae propriae* quibus ethos a iure *distinguitur:* illud ad omnes humanas actiones se extendit, hoc ad sociales tantum; illud directe iubet quid singuli sibi debeant, hoc quid aliis praestare; illud immediate internae rectitudini prospicit *(moralitati),* hoc externae conformitati cum lege *(legalitati);* illud nonnisi per liberam voluntatis determinationem obtinetur, hoc per coactionem imponi potest.[2]

Investigatio notionis iuris, eius originis, qualitatum, fundamenti, finis est obiectum *Philosophiae iuris*, quae proinde pars est philosophiae moralis.[3]

2. Notio iuris, igitur, ex natura et fine hominis, in societate viventis, determinatur. Natura hominem liberum fecit, finem ei praestitit, media suppeditat. Idcirco haec unicuique pertinent et secundum rectum ordinem a ceteris eius liberae dispositioni permitti debent.[4] Unde *primaria* iuris significatio habetur: *ius* est *suum.* In hoc sensu dicimus vitam, integritatem membrorum, honorem esse iura nostra, dicimus «ius suum alicui tribuere».

At homo vivit in societate, ideoque necesse est ut quod «suum» est contra malam aliorum voluntatem protegatur. Inde *altera* iuris acceptio: ius est *norma* determinans singulorum actiones et arbitrii eorum limites in vita sociali. Quae norma ita comparata esse debet ut finis communis *efficaciter* promoveatur, si opus sit etiam per coactionem, utque relationes membrorum inter se atque relationes intra membra et societatem aequa servata proportione ordinentur. Hoc ius appellatur *obiectivum* et definiri potest: *Complexus normarum quae determinant quid cuiusque suum sit et ut ei ab aliis praestetur cogunt.*[5]

---

[1] cf. *Pii IX,* Syll. n. 56: «Morum leges *divina haud egent sanctione,* minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant». — Elementum *morale* in iure vel ipsi codices civiles interdum expresse agnoscunt; ex. gr. si negotium iuridicum contra bonos mores initum invalidum declarant (CI aa. 1119 et 1122; CGa aa. 1131 et 1133; CG § 138; CA § 878) aut ad usucapionem bonam fidem exigunt (CI a. 2187; CG § 937; CA § 1463); si in iure poenali homicidium praemeditatum gravius punitur quam simplex occisio etc.

[2] cf. *Cathrein,* Recht, 314 ss.

[3] Et tractatus alterutrius philosophiae evolvant qui ampliorem expositionen harum quaestionum desiderant.

[4] *S. Thomas,* I, q. 21, a. 1 ad 3: «Dicitur enim esse *suum* alicuius quod ad ipsum ordinatur».

[5] In qua definitione vox «cuiusque» tum de singulari homine, tum de societate vel communitate accipienda est.

Eo ipso autem quod norma tuetur bonum alicuius, is facultatem moralem habet exigendi ut sibi illud tribuatur vel conservetur vel exclusivo usui relinquatur. Haec est iuris *tertia* significatio, *ius subiectivum: facultas moralis aliquid possidendi, vel agendi, vel exigendi inviolabilis.* Cui iuri semper respondet in alio obligatio, est igitur conceptus *relativus.*

Imo ultima ratio omnis iuris subiectivi est *officium naturale* homini impositum contendendi ad suum finem. Unde illae facultates quae cum fine necessarium nexum habent sunt *in eodem subiecto* iura simul et officia, iisque nefas est renunciare (iura *essentialia:* vita, religio, libertas conscientiae etc.); aliae e contra, quae mediate connectuntur (v. c. ius proprietatis, coniugii) iura per se sunt et non officia, nisi ex accidentali causa.[1] Praeterea a voluntate superiore quis adigi potest ad suum ius exercendum, quod ideo officium etiam fit (iura magistratuum). Multas autem obligationes dari quae *iuridicae* non sunt, quia *potestati* in alio non respondent, patet.

Etymologice *ius* est vox originaria (sanscr. *iaus?*), quae neque a iustum, uti veteres, neque a iussum, uti recentiores docuerunt, derivatur.[2] Logice vero profecto cum *iustitia* cohaeret, quia est eius *obiectum* proprium, et quidem si stricte sumitur, quatenus relationes hominum ad invicem ordinat secundum perfectam aequalitatem, est obiectum iustitiae *commutativae* (ius privatum),[3] si latiore sensu prout ordinat subditos ad societatem, iustitiae *legalis.* prout societatem ad subditos, iustitiae *distributivae* (ius publicum).[4]

Multis nomina iuris obiectivi et subiectivi non placent, quia etiam subiectivum habet obiectivam realitatem. Proinde illud *praeceptivum* hoc *dominativum* appellari malunt. Tamen illa nomina iam in communi usu modernae linguae iuridicae recepta sunt.

3. Iuris proprietates. Ad essentiam iuris pertinet ut sit *rationale* et *inviolabile.*

---

[1] *Burri,* o. c. 76 ss.; *Meyer,* 473; *D'Azeglio,* Saggio teoretico di dir. nat.[3] I, Roma 1900, n. 347.

[2] *Bonfante,* Istituzioni di diritto rom.[6] Milano 1919, 6.

[3] cf. definitiones iustitiae, apud *Aristotelem* (Rethor. 1, 9): Ἔστι δὲ δικαιοσύνη ἀρετή, δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἔχουσι ἕκαστοι, καὶ ὡς ὁ νόμος, ἀδικία δὲ δι' ἣν τὰ ἀλλότρια, οὐχ ὡς ὁ νόμος; apud *Ciceronem* (De finibus bon. et mal. 5, 23): « Animi affectio suum cuique tribuens »; apud *S. Ambrosium* (De offic. 1, 24): « Iustitia est quae suum cuique tribuit »; apud *S. Thomam* (II, II, q. 58, a. 11): « Proprius actus iustitiae nihil aliud est quam reddere unicuique quod suum est. Dicitur autem esse suum unicuique personae, quod ei secundum proportionis aequalitatem debetur ».

[4] cf. *S. Thomom* II, II, q. 61, a. 1 ad 2: « Sicut pars et totum quodammodo sunt idem; ita id, quod est totius, quodammodo est partis. Et ita, cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit *quod suum est* ».

a) Rationale, quia est norma entis liberi, quod motivis intellectualibus tantum secundum suam naturam movetur. Ideo subiective « facultas moralis » dicitur, obiective lex « ordinatio rationis ». Sequitur ut ius neque in *solo facto* neque in *maiore vi* consistat.[1] Haec materialistica conceptio, quae furem domino tyrannum martyri aequiparat, conscientiae universali repugnat. Factum nonnisi elementum materiale esse potest ex quo, principio ideali demum accedente, ius exurgit; vis physica solummodo praesidium exigentiae spiritualis, quam ius in se includit. Sequitur praeterea ut ius nihil *hominis indignum* postulare possit. Quod absurdum, impossibile, inhonestum, inutile, a fine alienum est, obiectivam ineptitudinem ad rationalem voluntatis determinationem habere dignoscitur, proinde pariendae obligationi inefficax est.

b) Inviolabile dicitur ius imprimis quia imponit obligationem necessario adimplendam, quae, etiamsi per vim aut dolum quis contra agere possit, integra manet. At hoc commune est omnibus legibus vere ethicis. Ius, ex suo fine sociali, addit *peculiarem cautionem* inviolabilitatis, cum subiecto tribuat facultatem exigendi ut obligationi satisfiat, et quidem pro regula etiam vi adhibita, per coactionem. Ius est coactivum.

Quamquam vero *coactivitas* maximi momenti est in iure et eiusdem proprietas *integrans* merito dicenda, non pertinet tamen ad eius essentiam. Actualem vim cogendi non requiri ad verum ius constituendum patet; at vel ipsa *facultas* eam adhibendi aut invocandi, sive obiective sive subiective ius consideretur, hoc iam in suo esse perfectum praesupponit.[2]

Coactivitatem ad essentiam iuris pertinere primus Kant asseruit, id logice sane ex suo systemate deducens, in quo ius, nullum cum moralitate nexum habens, merus complexus normarum est ad tuendam et conciliandam ommiun et uniuscuiusque *externam* libertatem.[3] Quem complures modernorum secuti sunt, aliis tamen contradicentibus, ita ut hac-

[1] cf. *Pii IX*, Syll n. 59: « Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent » et n. 61: « Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert ». Latinitas huius propositionis non est perspicua, at sensus ex contextu indubius. v. *Choupin*, Valeur des décisions doctrinales et discipl. du S. S.[2] Paris 1913, 359 ss.

[2] *Cathrein*, Recht, 94 ss.: *Eiusd.* Fil. I, 562 ss.; *Haring*, 12; *Scherer*, Handbuch des Kirchenr. I (Graz 1886), 2; *Pöschl*, Lehrbuch des k. K. Graz 1918, 4 s.

[3] cf. *Meyer*, I, 519 ss.

tenus haec quaestio tanquam controversa, nedum inter iuristas sed et inter catholicos philosophos, haberi possit. At *sententia negans* in dies magis praevalens fit.[1] Contraria autem facilem aperiebat viam ad characterem vere iuridicum abiudicandum omnibus illis exigentiis, quibus Status, detentor vis publicae, suam tutelam non tribuisset (iura naturalia, iura Ecclesiae etc.)

Ius et obligatio simul sumpta constituunt *relationem iuridicam*, in qua quattuor distingui possunt: *subiectum* i. e. persona quae facultatem habet; *terminus*, persona quae obligatione tenetur; *titulus*, factum, vi cuius ius et obligatio exoritur; *materia*, res vel actio quae iure debetur. Haec ultima vocatur etiam *terminus materialis*.

4. Fundamentum iuris. Omne ius subiectivum in lege fundatur; iuris vero obiectivi origo varia est, quia varii legislatores. At cum de fundamento iuris quaestio instituitur, non proxima sed *ultima* eius *origo* quaeritur, seu *fons* unde potestas obligandi derivatur.

a) Quem alii esse *Statum* affirmant, quia penes eum est summa vis publicae *aut* quia per contractum socialem voluntatis communis interpres ideoque supremus iusti et iniusti arbiter constitutus est. At auctoritas Status, quae non sit mera coactio physica, non intelligitur nisi innixa principio iuridico *antecedenti*, a quo suam potestatem imperandi deducat, neque contractus aliquid valet nisi supponatur norma generalis, pacta esse servanda. Praeterea quaelibet mandata tyrannica essent iusta, quod philosophi complures sane asseruerunt, populi vero numquam agnoverunt.[2]

b) Alii iterum fontem inveniri putant in *opinione necessitatis* certi ordinis iuridici, in populo existente, atque in *consuetudine*, qua primitus omnes leges efformatae et custoditae fuerunt. At opinio (quae est actus intellectus, non voluntatis) nullo modo adstringere potest, consuetudo ad summum singulos qui eam sequuntur, non autem ceteros qui dissentiunt aut posteros, nisi *praesumatur lex* edicens consuetudinem esse regulam omnes obligantem.

c) Denique alii *psychologice* originem iuris explicare conantur, docentes eiusdem ideam universalem in quadam

---

[1] Inter recentiores catholicos *Meyer*, I, 485 ss. et *Biederlack*, Ius. eccl. publ. Romae 1907, 4 coactivitatem uti notam iuris essentialem admittere videntur; inter recentiores iuristas id negant *Jellinek*, Allgemeine Staatslehre[3], Berlin 1919, 334 ss. aliique plures ibi allegati. cf. etiam *Groppali*, Filosofia del diritto, Milano 1906, 190 ss.

[2] cf. *Pii IX*, Syll. n. 39: «Rei publicae status, utpote omnium iurium fons et origo, iure quodam pollet nullis circumscriptus limitibus».

animi humani *subiectiva* dispositione consistere, cuius varias causas adsignant. At supremum iusti et iniusti principium, quod omnibus inest, habet realitatem *obiectivam* atque tamquam verum *imperium*, immutabile ac universale, quod ab extrinseco voluntati etiam reluctanti imponitur, communi conscientiae apparet. Et recte, nam subiectiva opinio aut mentis abstractio nullam vim habet coercendi libertatem eorum qui se subtrahere volunt.

Unde ultimus fons et fundamentum iuris nonnisi *voluntas suprema*, quae hominum voluntates ligare eisque officia secundum rationalem naturam adimplenda imponere valeat, esse potest; haec est *voluntas divina*.[1]

a) Statum fontem omnis iuris esse volunt tum *materialistae*, quibus ius nihil aliud quam maior vis est (supra nn. 1 et 3), tum assertores *contractus socialis* qui post Hobbes et Rousseau haud pauci fuerunt et falsum ac arbitrarium ius naturale effinxerunt. — *b)* Ex reactione contra hoc eiusque corollaria revolutioni faventia exortus est *positivismus iuridicus*, qui nonnisi ius positivum admittit et in *schola historica* suos primos defensores invenit (Hugo, Savigny, Puchta, Stahl). Quae schola partes consuetudinis et spiritus nationalis in iure efformando adeo extulit, ut in iis ultima eius rationem detegere vellet. Et licet haec theoria hodie non amplius in tota sua amplitudine recipiatur, tamen positivismus iuridicus adhuc apud multos magno in honore est.[2] — *c)* Recentiore tempore invectae sunt theoriae *psychologicae* et *socio-psychologicae*, quae vel ab apriorismo kantiano, vel a sensu quodam armoniae inter facta et normas, vel ab idea sociali, vel ab evolutione instinctuum animalium conceptum universalem iuris derivant. Reactio contra positivismum historicum, illo forte perniciosior. Praesertim in Germania et Anglia, sed et in Italia (Ardigò).[3]

5. Ius naturale. Dantur igitur nedum universalia *principia iustitiae* in ordine ethico, quibus ius positivum se conformare debeat,[4] sed etiam verae *normae imperativae*, quae ex sese propriam vim iuridicam, antecedenter ad quamcumque positivam ordinationem, habent et ab ea independentes sunt. Etenim ea pars legis naturalis quae sociales relatio-

---

[1] cf. *Leonis XIII*, encycl. *Diuturnum*, 29 iun. 1881, § Etsi : « Catholici homines ius imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio » et infra §§ Et sane ac Qui civilem (ed. cit. I, Brugis 1887, 211 et 213-14); encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, § Insitum homini (ed. cit. II, 147).

[2] cf. *Haring*, 70 ss., 65 ss.; *Cathrein*, Recht, 120 ss. : *Eiusd.*, Fil. I, 569 ss.

[3] Plura ap. *Cathrein*, o. c. aut etiam *Biavaschi*, La crisi attuale della filosofia del diritto, Udine 1913, 116 ss., qui praelaudatum auctorem fideliter (imo quis dixerit *nimis* fideliter) descripsit; *Groppali*, o. c. 139 ss.

[4] Quod etiam complures positivistae libenter concedunt.

nes ordinat, hominique, eo ipso quod existit, essentiales facultates a personalitate inseparabiles tribuit, *coactivam* efficacitatem, naturae finis ne frustretur, habere debet; est scilicet iuridica. Et *ius naturale* dicitur. Quod, utpote per naturam rationalem datum, ab ea universale, necessarium, immutabile esse participat. In hoc demum universi iuris positivi solidum fundamentum invenitur, humanae libertatis, contra arbitria potentium, unicum et necessarium *iuridicum* praesidium.[1]

Attamen in iure naturali paucae tantum eaedemque supremae et generaliores normae evidentes sunt. Unde omnimoda necessitas ut ordo iuridicus in sua maxima parte a legislatione positiva integretur. Haec, quae *implicita* sunt educere et evolvere, quae *indeterminata* determinare, quae *generalia* peculiaribus casibus applicare, omnia temporali *sanctione* munire, nihil autem quod *contra* naturae ius pugnet statuere, pro munere habet.[2]

Memoriae, quae extant, omnium vel antiquissimorum populorum ostendunt eos ius naturale, a Deo procedens et cuicumque positivae legi praevalens, agnovisse. Ita Hebraei, Babilonii (Codex Hammurabi), Aegyptii, Sinenses, praesertim vero Graeci et Romani. Classica est distinctio iuris vigentis (πολιτικόν) in δίκαιον νομικόν et δίκαιον φυσικόν apud Aristotelem, qui ceterum communem exhibet omnium philosophorum Elladis doctrinam, si excipias quosdam sophistas, qui nullum nisi positivum ius esse censebant. Classica est distinctio in *ius gentium* et *ius civile* apud Romanos, qui priore nomine iusti normas ipsa ratione nobis promulgatas ideoque omnibus hominibus communes, altero Romanae civitatis leges constitutas significabant. Nemo unquam Cicerone eloquentius de divina iuris naturae origine eiusque, adversus omnem contrariam principum vel populorum ordinationem, urgenti obligatione disseruit.[3] Universum ius Romanum classicum et imperiale his ipsis principiis im-

---

[1] cf. *Leonis XIII*, encycl. *Libertas*, 20 iun. 1888, § Ac primo et ss. (ed. cit. III, 100-102); *Cathrein*, Recht, 221 ss.; *Eiusd.* Filos. I, 595 ss.; *Meyer*, I, 557 ss. *Biavaschi*, 135 ss.

[2] cf. *Pii IX*, syll. n. 56; *Meyer*, I, 289, 559 ss.; *Haring*, 41 ss.; *Hertling*, 49 ss.

[3] « Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus; neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac. Sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus: ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac, naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur effugerit » (*Cicero*, De Rep. ap. *Lactantium*, Divin. Instit. 6, 8, 7). — « Iam vero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae scita sint populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae sint leges tyrannorum?.... Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi; quam qui ignorat, is est iniustus, sive illa est scripta

buitur. Eo magis haec in scriptoribus christianis et in fontibus iuris canonici aperte proferuntur. Scholastici, imprimis S. Thomas,[1] doctrinam systematice proposuerunt, quae deinde, nedum a catholicis sed et a protestanticis philosophis, theologis, iuristis unanimi consensu per plura saecula tradita est, donec somnium contractus socialis eam corrumpendi, novo invento iure naturae, occasio fuit. Cui tribuenda est reactio positivismi infensique in ius naturale animi, saeculo XIX.[2]

Normae quae a supremis principiis *per conclusiones* derivantur pertinent etiam ad ius naturale, quae *per determinationem* ad ius positivum tantum.[3]

6. Iuris partitio generalis. *a)* Ius obiectivum dividitur in *naturale* et *positivum*, illud in natura hoc in libera legislatoris voluntate immediatam originem habens, ideoque contingens et mutabile. Positivum iterum, ex fonte, aut *divinum* aut *humanum* est. Profecto naturale quoque est divinum, at nomen de positivo tantum intelligi assolet. Humanum vero, quia duae sunt in praesenti ordine legiferae supremae auctoritates, in *ecclesiasticum* et *civile* (sensu latissimo) dispescitur. Utrumque, pro modo quo oritur, aut *scriptum* seu legale aut *non scriptum* i. e. seu consuetudinarium seu traditum esse potest. Si autem obiectivum iuris ambitum respicimus, aliam generalem partitionem habemus: ius *publicum*, quod relationes inter societatem et membra ordinat ac directe bonum sociale intendit (ius civitatis constituendae, administrandae, iudiciorum, poenale) et ius *privatum*, quod sociales relationes singulorum ad invicem determinat ac immediate bono individuali prospicit (ius familiare, ius civile sensu proprio).[4] Ius *internationale* partim publicum partim privatum est.

b) Subiectivum distinguitur in *personale* et *reale*, prout nobis aut directe aut per medium alicuius rei competit.[5] At

---

uspiam, sive nusquam.... Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur; ius esset, latrocinari; ius, adulterare; ius, testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quae si tanta est potestas stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur; cur non sanciunt, ut quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus?» (De leg. 1, 15-16).

[1] I, II, q. 91, a. 2; q. 94; q. 95, a. 2; II, II, q. 57, aa. 2 et 3.

[2] *Cathrein*, Recht, 181 ss.; *Haring*, 25 ss.

[3] Secundum modernam terminologiam. Antiquiores, usque ad saec. XVI, conclusiones necessarias humano constituto confirmatas *ius gentium* vocabant. Inde ex. gr. ius proprietatis est ap. S. Thomam *iuris gentium* et non naturalis sensu proprio. v. *Cathrein*, Filos. I, 648; *Meyer*, I, 570.

[4] § 4, I. 1, 1 et fr. 1, D. 1, 1 (Ulpianus): «Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat, privatum, quod ad singulorum utilitatem: sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim».

[5] cf. can. 1449: «Ius patronatus est *reale* vel *personale*, prout alicui rei cohaeret vel directe ad personam spectat».

eadem nomina etiam in alia partitione usurpantur: *personale* est ius quod in ipsam personam exercere possum (v. gr. ius coniugale), *reale* quod in rem (ius proprietatis). Idcirco hoc dicitur quoque *ius in re,* quam ubique sequitur, et differt ab *iure ad rem* quod est ius directe obligans personam ad rem aliquam praestandam et medium igitur locum tenet inter ius reale et personale.[1]

II. DE IURE ECCLESIAE.

7. Ecclesia iuridica societas. Iuris ecclesiastici notio necessario supponit Ecclesiam esse *societatem* ad instar reipublicae constitutam, quae potestate leges ferendi easque applicandi, ex *propria* natura proprioque fine, praedita sit. Nam si Ecclesia in mente et voluntate Christi tantummodo schola philosophica fuisset, aut regnum mere internum et spirituale, aut unio hominum qui in expectatione proximae parousiae de rebus huius mundi nullo modo curarent, *ordo iuridicus* nedum superfluus censendus esset, verum etiam essentiae Ecclesiae prorsus contrarius ideoque omni legitimo fundamento carens.

At Ecclesiae divinus conditor voluit ut ipsa coalesceret in *verum coetum socialem,* visibilem et perennem, in corpus *iuridicum,* in quo igitur non solum per fidem, per doctrinam et per gratiam sed praecipue per *auctoritatem* et iurisdictionem unitas perficitur et membra ad finem diriguntur. Idemque hanc societatem *hierarchicam* esse decrevit, ita ut imperium iure divino non ab universo populo sed a legitimis praepositis exerceretur. Quae omnia demonstrare ad provinciam historicorum et apologetarum spectat,[2] canonista ecclesiologiam prout a magisterio authentico proponitur recipit, indeque suas conclusiones deducit.[3]

Apud cunctos populos antiquos religio erat stricte *nationalis,* eius regimen munus publicum nomine et iure civitatis exercitum. Huic con-

---

[1] Ideo in CA § 307 vocatur *ius personale in rem.* In iure Romano et aliis modernis codicibus (CI, CGa, CG) *ius obligationum.*

[2] *Batiffol,* L'Église naissante et le catholicisme,[4] Paris 1909, 172 ss. et passim in toto opere; *Dalponte,* Compendium theol. dogm.[2] I (Tridenti 1899) 99 ss. 131 ss.; *Pesch.* Praelectiones dogmaticae[3] I (Friburgi 1903) 183 ss, 202 ss.; *Hammerstein,* De Ecclesia et Statu iuridice consideratis, Treviris 1886, 35 ss. *De la Brière,* Église in Dictionn. apologét. I (Paris 1910) 1222 ss.

[3] Conc. Trid. sess. VI, c. 21; sess. XXIII, c. 6; cf. C. can. 100 § 1, can. 108 § 3, can. 109.

ceptioni christianismus opposuit *ecclesiam,* societatem universalem et a potestate civili independentem. Eodem die, ex intrinseca necessitate, *ius* ecclesiasticum ortum est. Protestantes antiquiores, ecclesiam *invisibilem* statuentes et hierarchiam negantes, logice quamcumque auctoritatem et ordinem iuridicum in ea respuere debuerunt. Ideo Lutherus C. I. C. ante portam Wittenbergensem combussit. At cum nulla communitas hominum sine disciplina vivere possit, ipsi demum admittere coacti sunt ecclesiam suam esse *collegium,* quod tamen, cum intra rem publicam sit, huius supremo imperio subiicitur. Sic iterum ius ecclesiasticum a civili absorptum est.

Secundum modernos protestantes vero scholae liberalis, idea alicuius societatis credentium omnino aliena est a genuina doctrina Christi, quae tota in spirituali et morali renovatione hominis, per acquisitum intimum sensum paternitatis divinae, consistit *(regnum spirituale* - Ritschl, Hatch, Harnack, Sabatier). Propterea primos christianos nullam ecclesiam efformavisse affirmant, sed hanc serius ex practicis necessitatibus exortam esse. Idemque contendunt alii, quibus accensendi etiam modernistae, qui docent Christum finem huius mundi imminere credidisse, et regnum suum non in hac vita sed in altera constituendum annuntiavisse *(regnum escatologicum* - Loisy).[1] Huc spectat prop. 52 decr. *Lamentabili,* 3 iul, 1907: «Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam: quin imo in mente Christi regnum Coeli una cum fine mundi iam adventurum erat».[2]

8. Iuris Ecclesiae nomen et definitio. Edito C. terminologia iuris Ecclesiae iam ut authentice firmata haberi potest, ideoque eius nomen proprium exinde *ius canonicum* est; ipsius normae vero *canones* (ut etiam voce a civitatis legibus distinguantur) dicuntur. Quae nomina ceterum inde a multis saeculis usurpabantur, licet hactenus non exclusive. Ius nostrum *sacrum* quoque, vel *divinum,* vel *pontificium,* vel praesertim *ecclesiasticum* saepe vocabatur, quae omnes appellationes aliam vel aliam peculiarem notam, attenta eiusdem origine, materia et fine, exprimebant.

Ius canonicum *aut* sensu latiore cunctas leges quae in Ecclesia vigent complecti potest, *aut* strictiore acceptione eas tantum quae in C. leguntur, *aut* denique in arctissima significatione, seclusis naturalis, divini positivi et particularis iuris

---

[1] Recentiores errores de Ecclesia optime exponuntur et refelluntur a *de la Brière* l. c. cf. etiam *Pesch* o. c. 310 et 357, Inter protestantes *Sohm* (Kirchenrecht I, Leipzig 1892 et Wesen u. Ursprung des Kathol., Dresden 1909) aperte professus est: ius cum vera essentia Ecclesiae inconciliabile esse, quam logicam affirmationem refutare conatus est *Harnack* in suo opere Entstehung u. Entwickl. der Kirchenverfass. u. des Kirchenr. Leipzig 1910. Arcades ambo.

[2] cf. etiam prop. 53 et 56 (AS XL, 476 ss., *Denzinger,* Enchiridion[17] 2052, 2053, 2056) atque *Pii X,* encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907, § Largiorem (AS XL, 613; *Denzinger,* 2091).

ordinationibus, eas quae universales et humanae sunt. Sed nisi aliud dicatur prior notio pro regula intelligitur.

Unde ius canonicum *obiective* sumptum definiri potest: *Complexus normarum iuridicarum, quibus sociales relationes fidelium in ordine ad finem Ecclesiae determinantur.*

Subiective vero est: *Facultas moralis aliquid faciendi vel exigendi Ecclesiae competens aut ab Ecclesia concessa vel firmata.*

Canon (κανών regula) ab initio quaelibet norma sive credendi sive agendi christiano more, dicta est, Inde a saec. IV hoc nomine ordinationes disciplinares synodorum vocabantur, relicta appellatione legum (νόμοι) imperialibus constitutionibus, quarum erat propria. Et iam mox de *iure canonum* in fontibus mentio incidit. At demum saec. XII, postquam ius Ecclesiae in scientificum corpus redactum est, eiusque studium simul cum studio restituti iuris Romani scholastica methodo incoeptum, nomen *iuris canonici* commune evasit et ipsius cultores *canonistae* in oppositione ad iuristas appellati.

Antiquiores promiscue etiam *ecclesiasticum* ius nostrum vocabant.[1] Modernorum vero multi discrimen inter utrumque statuebant, quasi canonicum esset illud quod in classicis collectionibus continebatur (ideoque pontificium, medioaevale, et ex magna parte antiquatum), ecclesiasticum e contra totum ius adhuc vigens, universale et particulare.[2] Cuius distinctionis conservandae nulla ratio, nisi historica, esse hodie videtur.[3]

9. Divisio. *a)* Generales iuris partitiones etiam iuri canonico conveniunt, ideoque ratione originis et modi quo fertur, aut *naturale* aut *positivum*, aut *divinum* aut *humanum*, aut *scriptum*, aut *non scriptum* esse potest.

b) Ratione obiecti autem ius quoque nostrum in *publicum* et *privatum* dispescitur. Illud utilitatem publicam, scilicet ipsius Ecclesiae uti societatis, directe et principaliter respicit; proinde eius constitutionem, regimen, relationes tum cum propriis subditis tum cum reliquis societatibus ordinat; hoc commodum singulorum immediate intendit et solummodo

---

[1] Etiam in C., quamvis in titulo et saepius *ius canonicum* dicatur (can. 117 n. 1, 147, 166, 421 § 1, 1016, 1059, 1080, 1112, 1117, 1523 n. 1, 1529, 2374 etc.), haud raro tamen, et uti videtur indifferenter, *ius ecclesiasticum* occurrit (can. 27 n. 1, 727, 1043, 1133 § 2, 1139 § 1, 1513, 1926, 2364 etc.).

[2] cf. *Sägmüller*, Lehrbuch des k. K.[3] I (Freiburg 1914) 10; *Singer*, Kirchenrecht in Staatslexicon,[5] III (Freiburg 1910) 209 ss.; *Galante*, Manuale di dir. eccl. Milano 1914, 2. — Alii iterum *ius ecclesiasticum* vocant leges a *Statu* de rebus ecclesiasticis latas. *Calisse*, Diritto eccl. Firenze s. a. p. 1 et in genere iuristae italici. Cf. *Aichner*, Compendium I. Eccl.,[11] Brixinae 1911, 9.

[3] Contra sentit *Pöschl*. o. c. 16.

indirecte bonum commune. Non ideo tamen quaecumque iura privata in Ecclesia arbitrio fidelium permittuntur.[1]

c) Ratione ambitus ius est *universale* si in toto orbe, *particulare* si in regione vel provincia viget; *generale* quo omnes fideles ligantur, *singulare* quo certae tantum personae vel classes; *commune* quod regulam ordinarie servandam exhibet, *speciale* quod exceptionem, sive favorabilem sive odiosam.

d) Ratione temporis hodie apte dividendum videtur in *ius antiquissimum* ab origine usque ad decretum Gratiani (circ. 1150), *ius antiquum* a Gratiano usque ad C., *ius novum*, quod nunc habemus.

e) Denique *externum* est ius quo Ecclesia utitur in relationibus ad extraneas societates et personas, *internum* quo se et suos subditos regit.

Multi canonistae, praesertim germanici,[2] totum ius canonicum esse publicum contenderunt, ideoque distinctionem inter publicum et privatum non admittendam. Quae opinio, praeterquam argumentis parum suadentibus fulcitur, non convenit cum C. qui aperte publica et privata iura discernit (cf. can. 1935 § 1, 1938 §§ 1 et 2, 2355, 1118-1127, 1128-1131, 1447, 1508, 1529—1533, 1544, 1926, 824 etc.)[3]

Partitio hactenus classica in ius *antiquum* usque ad Gratianum, *novum* usque ad Tridentinum, *novissimum* usque ad nos, servari non potest quia etsi « Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet » (can. 6), omne ius antecedens est iam *antiquum* vel *vetus* (can. 6, 2-4) imo formaliter antiquatum (can. 6 n. 6).

III. DE SCIENTIA IURIS CANONICI.

10. Scientiae iuris canonici finis est plena cognitio genuini sensus, historicae evolutionis et systematis legum ecclesiasticarum. Unde triplex methodus qua uti debet: scholastica seu *iuridico-dogmatica, historica, philosophica.* Illa praecipua est; et imprimis hodie, cum clarus et certus textus praesto sit, *exegesim* et *interpretationem* canonum, potiores partes in schola obtinere oportet, ita ut perfecta vigentis disciplinae notitia eiusque practicae applicationes ostendantur.

[1] De alia acceptione *iuris publici* v. infra n. 13.

[2] cf. *Scherer*, o. c. I, 112; *Sägmüller*, l. c.; *Singer*, l. c. et alios ab eis allegatos. Novissime quoque, *Stutz*, Der Geist des Codex i. c. (Kirchenr. Abhdl. 92-93, Stuttgart 1918) 232. — Contra *Wernz*, Jus Decretalium[2] I (Prati 1905) 50.

[3] At concedendum est antiquiores canonistas in definienda provincia iuris privati huic nimium indulsisse. Vide ex. gr. *Devoti*, Jus can. universum, I (Romae 1837) c. 17.

At *historia* quoque non est negligenda.[1] Inquisitio enim in originem et vicissitudines iuridicorum institutorum magnam lucem affert studiis canonistae, ipsum summopere iuvat tum ad eorum propriam naturam intimius perspiciendam, quo fit ut saepe optimum adminiculum interpretationis novi iuris suppeditet (cf. can. 6 n. 2), tum etiam ad criminationes adversariorum, quae plerumque ex historia desumuntur, refellendas. Qua in re vera scientia exigit, ut profecto *universae* evolutionis ratio habeatur, non vero arbitrario modo, prout haud pauci fecerunt, primaeva dumtaxat Ecclesiae disciplina pro genuina accipiatur, sequens ut corruptela notetur.

Denique, quamvis ius canonicum a priori ex principiis philosophicis adstruere velle absurdum sit,[2] sua tamen non caret utilitate demonstratio, quaenam intercedat relatio legum ecclesiasticarum tum inter se tum cum natura et fine Ecclesiae, quomodo singulae normae ad universaliora principia reducantur, quomodo omnes simul absolutum et concinnum systema constituant.

Quaenam autem huius scientiae *praestantia, utilitas*, imo cum primis pro clericis *necessitas* sit, neminem latet.[3]

Usque ad saec. XII notiones iuris simul cum theologia tradebantur. Scientia propria et independens coepit demum postquam *Gratianus* (c. a. 1150) in suo Decreto primam ordinatam canonum syllogen composuit, quam (aeque ac Decretales, quae mox accesserunt) peculiares doctores, scholastica methodo, in universitate Bononiensi explicare susceperunt (cf. n. 8). Initio fere solum ad *exegesim verbalem* (glossatores, glossa ordinaria) et *realem* (commentarii) labor scientificus limitatus est; paulatim vero opera quoque systematica, iam medio aevo, composita sunt (summae, tractatus, ordines).

Methodus exegetica usque ad recentiora tempora suos habuit cultores, quos inter aliqui, ordinem legalem Decretalium sequentes, summa laude digna commentaria ediderunt. Tamen restituta humanistica studia,

---

[1] cf. decr. C. de Sem. et Stud. Univ. 7 aug. 1917 (A. IX, 439).

[2] Tamen non defuerunt complures naturalismi asseclae qui hoc quoque facere conarentur.

[3] *Leo XIII*, encycl. *Dépuis le jour* ad episcopos Galliae, 8 sept. 1899, dicit sine scientia iuris canonici theologiam esse imperfectam et quasi mancam. Ex ignorantia huius iuris multos errores de R. Pontifice, de iuribus episcoporum et praesertim de potestate, quam Ecclesia vi propriae constitutionis habet, sed pro varietate temporum exercet, originem et diffusionem derivasse (ed. cit. VII [1906] 295). — *Merita* autem et *influxum* iuris canonici in provehenda Europae humanitate et cultu, quorum meminit Ben. XV in bulla *Providentissima* et quae etiam a viris protestanticis ultro praedicantur, lucide recenset *Singer*, o. c. 223 ss. cf. etiam *Hergenröther-Hollweck*, o. c. 13, n. 1 et *Hohenlohe*, Beiträge zum Einfluss des kan. R. auf Strafr. u. Prozessr. Innsbruck 1918.

quae effecerunt ut, inde a saec. XVI, inter iuris Romani peritos inquisitiones *historico-criticae* in dies maiorem favorem obtinerent, hanc ipsam rationem et modum in ius quoque nostrum invexerunt (Antonius Augustinus † 1586, Al. Thomasin † 1697, P. Lambertini seu Benedictus XIV † 1758, Jo. Devoti † 1820).

Quae historica studia, durante saec. XIX, magis adhuc exculta sunt, simul vero etiam dogmatica iuris vigentis tractatio atque apta totius materiae in systemate dispositio, ex assidua multorum diligentia, valde profecit. Neque dubitandum est C. promulgationem scientiae nostrae magnum incrementum esse allaturam.

11. Relatio ad alias scientias. Si theologia ampliore sensu sumitur, ius canonicum ad eius provinciam pertinet; est enim, quae dicitur, *theologia practica.*[1] Sed etiam quatenus ut scientia peculiaris consideratur, multiplices relationes cum theologia (praesertim cum *dogmatica* et *morali*) habet, unde suprema principia et argumenta, quibus totum innititur, deducit; quare perfecta cognitio doctrinae fidei et morum Ecclesiae est canonistae omnino necessaria. At reliquas quoque scientias theologicas, imprimis *exegesim biblicam, historiam, patrologiam, liturgiam* ignorare aut negligere non licet, quippe quae omnes utilia subsidia studiis nostris afferunt.

Ex alia parte ius canonicum disciplina vere *iuridica* est, quae cum civili iurisprudentia, ratione materiae, methodi, terminologiae, saepe etiam historicae evolutionis et quotidiani usus, arcta connexione devincitur, ita «ut qui optime primum nosse cupit, alterius scientiam sibi comparare debeat».[2] Quare omnes quoque *scientiae iuridicae,* et prae aliis theoria ac historia iuris Romani, Germanici et iurium modernorum, auxiliares scientiae canonicae merito dicendae sunt.

Bibliographia scientiarum theologicarum et aliarum iuris canonici auxiliarium inveniri potest apud eos qui libros encyclopediae vel introductionis et methodologiae scripserunt.[3]

12. Bibliographia iuris canonici amplissima est, adeo ut eidem vel summatim exhibendae non sit hic locus. Quaedam

---

[1] Tamen in C. ius a theologia semper distinguitur (cf. can. 331 § 1, 367 § 1, 399 § 1, 404, 421 § 1_2 434, 1366).

[2] *Ben. XIV,* De syn. dioeces. Augustae Vindel. 1769, l. XIII, c. 10, n. 12. — cf. *Stutz,* o. c. 177 ss.

[3] *Kihn,* Encyclopädie u. Methodologie der Theologie, Freiburg 1892; *Krieg,* Enciclopedia scientifica e Metodologia delle scienze teologiche, trad. Cardinali, Roma 1913; *Hurter,* Nomenclator litterarius recentioris theol. cath.[3] Innsbruck, 1903 ss.; *Brugi,* Introduzione enciclalle scienze giuridiche e sociali[4], Milano 1907.

tantum opera aut maiora aut recentiora, inter ea quae, antiquo iure vigente, notissima fuerunt et hodie quoque usui esse possunt, allegantur.[1]

a) **Commentarii Decretalium:**

P. Fagnani († 1678) Jus canonicum seu commentaria absolutissima in quinque libros decret., Romae 1661.

P. Laymann († 1635), Jus canonicum sive commentaria in libros Decretalium, Dillingae 1666 (opus posthum.).

L. Engel († 1674), Collegium universi iuris canonici, Salisburgi 1671.

M. Gonzales Tellez († incerto anno), Commentaria perpetua in singulos textus quinque libr. decret. Lugduni 1673.

E. Pirhing († 1679), Universum ius canonicum secundum titulos libr. decret., Dillingae 1674.

A. Reiffenstuel († 1703), Jus canonicum universum, Frisingae 1700.

P. Leuren († 1723), Forum ecclesiasticum in quo ius can. univ. etc. Moguntiae 1717.

F. Schmalzgrueber († 1735), Jus ecclesiasticum universum, Dillingae 1717.

V. Pichler († 1736), Summa iurisprudentiae sacrae, Augustae Vindel. 1723.

S. Berardi († 1768), Commentaria in ius eccles. univ., Augustae Taur. 1766.

Ub. Giraldi († 1775), Expositio iuris pontificii, Romae 1769.

Jo. Zallinger († 1813), Institutiones iuris eccles. ordine decretalium, Augustae Vindel. 1791.

Jo. Devoti († 1820), Jus can. universum publicum et privatum, Romae 1803 (incompletum).

Ph. de Angelis († 1881), Praelectiones iuris canonici, Romae 1877.

F. Santi († 1885), Praelectiones iuris canonici, Romae 1884, IV ed. cura *M. Leitner,* Ratisbonae 1898.

b) **Institutiones:**[2]

P. Lancelotti († 1590), Institutiones iuris canonici, Perusiae 1563 (primus omnium).

A. Augustinus († 1586), Epitome iuris pontificii, Tarraconae 1587.

Z. van Espen († 1728), Jus eccles universum, Lovanii 1700.

R. Maschat († 1747), Institutiones canonicae, Znoymae 1735 denuo edidit *Giraldi,* Ferrariae 1760.

Jo. Devoti († 1820), Institutionum canon. libri quattuor, Romae 1785.

J. Soglia, card. († 1856), Institut. iuris publ. et privati, Parisiis 1859.

J. Ferrari († 1874), Summa instit. canon. Genuae 1847.

D. Craisson († 1881), Manuale totius iuris canonici, Pictavii 1861.

Sanguinetti († 1893) Juris eccles. institutiones, Romae 1884.

C. Lombardi, († 1908) Juris can. priv. institutiones, Romae 1898.

G. Sebastianelli, Praelectiones iuris canonici, Romae 1898.

---

[1] *Schulte,* Geschichte der Quellen u. Literatur des kan. Rechts, Stuttgart 1875-1880 *Wernz,* o. c. I, 286-331; *Hurter,* o. c.

[2] Ad instar institutionum Iustiniani (personae, res, actiones).

c) **Opera systematica maiora:**

A. Barbosa († 1649), Juris eccles. univ. libri tres, Lugduni 1637.
D. Bouix († 1871), Institutiomes iuris can. in varios tractatus divisae, Parisiis 1852 ss.
G. Phillips († 1872), Kirchenrecht, Regensburg 1845.
M. de Luca, Praelectiones iuris canonici, Romae 1897.
H. Duballet, Cours complet de droit canonique, Paris 1896 ss.
R. von Scherer († 1918), Handbuch des Kirchenrechtes, Graz I 1886, II 1898.
P. Mocchegiani, Jurisprudentia ecclesiastica, Ad Claras Aquas 1904.
F. X. Wernz († 1914), Jus Decretalium, II ed. Romae 1905, III 1913.
P. Hinschius, System des kath. Kirchenrechts, Berlin 1869-1897. Auctor protestanticus.[1]

d) **Compendia:**

S. Aichner, Compendium iuris ecclesiastici, Brixinae 1862, 12ª ed. 1914.
Bargilliat, Praelectiones iuris canonici, Bar-le-Duc 1896; 24ª ed. Parisiis 1920.
J. B. Haring, Grundzüge des kath. Kirchenrechts, Graz 1905; 2ª ed. 1916.
F. Heiner, Kathol. Kirchenrecht, Paderborn 1894, 6ª ed. 1912.
Ph. Hergenröther, Lehrbuch des kath. Kirchenr., Friburg 1888: 2ª ed. (H. Hollweck) 1905.
J. Laurentius, Institutiones iuris eccles. Friburgi 1902; 3ª ed. 1914.
A. Nasoni, Juris canon. compendium, Mediolani 1898, 2ª ed. 1903.
D. Prümmer, Manuale iuris ecclesiastici, Friburgi 1907.
F. Russo, Juris canonici privati codex vigens, Panormi 1904.
J. B. Sägmüller, Lehrbuch des kath. Kirchenr. Freiburg 1904; 3ª ed. 1914.
Sanguinetti, Juris eccl. institutiones, Romae 1884, 4ª ed. 1901.
J. F. Schulte, System des kath. Kirchenr. Giessen 1856-1860.
Vives y Tuto (card.) Compendium iuris canonici, 4ª ed. Romae 1905.
Zitelli, Apparatus iuris ecclesiastici, Romae 1886, 2ª ed. 1888.

e) Recensenda praeterea essent opera quae de historia iuris agunt,[2] tractatus in quibus peculiaris materia proponitur (ius publicum, matrimonium, censurae, regulares, iudicia etc.), repertoria, collectiones, scripta periodica.

Inter alia:

J. card. Soglia († 1856), Institutiones iuris publici eccles. Laureti 1843.
C. card. Tarquini († 1874), Juris eccles. publ. institutiones. Romae 1860; 21ª ed. 1908.
F. card. Cavagnis († 1906), Institutiones iuris publ. eccl. Romae 1888; 4ª ed. 1906.
M. de Luca, Institutiones iuris eccles. publ. Romae 1901.
F. Suarez, († 1617), De legibus, Conimbric. 1612; Defensio fidei catholicae, ibid. 1613; De virtute et statu religionis, 1625; De censuris (Opp. omnia, Venetiis 1740-1757, t. XX).

---

[1] Complures alii protestantes de iure canonico cathol. scripserunt: Richter, Dove, Kahl, Friedberg (versio ital. Ruffini).

[2] Absoluta historia iuris canonici nondum concinnata est, summaria quaedam delineaverunt Stutz, Koeniger, Castellari (incompl.); de fontibus historice scripserunt Schulte, Maassen, Tardif; de auctoribus etiam Hurter; de singulis institutis iuridicis vero innumerae fere iam extant monographiae, quarum nonnullae suis locis allegabuntur.

J. B. card. de Luca († 1683)), Theatrum veritatis et iustitiae, Romae 1671.
Benedictus XIV († 1758), De servorum Dei beatif. et canoniz. Bononiae 1734-1738. - De synodo dioecesana, Romae 1748. - Institutiones ecclesiasticae, Bononiae 1731 (ital.), Romae 1747 (latine).
Piatus Montensis, Praelectiones iuris regularis. 3a ed. Tornaci 1906.
P. card. Gasparri, Tractatus canonicus de matrimonio, 3a ed. Parisiis 1904. — de Eucharistia — de sacra ordinatione, Parisiis 1891-97.
M. card. Lega, Praelectiones de Iudiciis eccles. Romae 1896; 2a edit. 1905 ss.
C. card. Gennari, Consultazioni morali, 3a ed. Roma 1913-15; — Consultazioni canoniche, 2a ed., Roma 1904.
Luc. Ferraris, Prompta bibliotheca canonica, Bononiae 1746, nova editio Romae 1883 ss.
B. Oietti, Synopsis rerum moralium et iuris pontificii, 3a ed. Romae 1909.
Kirchenrechtliche Abhandlungen herausgeg. von Ul. Stutz, Stuttgart 1902 ss.
Archiv. für katholisches Kirchenrecht, Mainz 1857 ss. — *Canoniste contemporaine,* Paris 1877 ss.: — *Monitore ecclesiastico,* Roma 1878 ss. — *Zeitschrift der Savigny-Stiftung,* Kan. Abteil. Weimar 1911 ss.

CAPUT II.

DE IURE ECCLESIAE FUNDAMENTALI

(IUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM)

13. Notio. Ecclesia, cum sit societas Christi voluntate instituta ut in ea omnes homines *supremum* finem spiritualem adipiscantur, *divinis legibus* regitur, quae eius naturam et essentialem constitutionem determinant. Hoc est *ius* Ecclesiae *fundamentale,* a quo omnia reliqua iura quae exercet derivantur, in eodemque nituntur. Et, utpote divinum, humanae auctoritati prorsus subtractum, immutabile et inalienabile est. Dicitur quoque primarium, nativum,[1] constituens vel *constitutivum,* quia simul cum Ecclesia ab ipso conditore positum est, imo id est per quod Ecclesiae esse et forma iuridica confertur. Huic accedere quidem potuerunt statuta humana, ut constitutio magis definiretur, ampliaretur, perficeretur, at haec, relativa et mutabilia, non proprie pertinent ad ius fundamentale, quod *divinas* tantum leges *constitutivas* complectitur. Reliquae leges divinae, quae in iure canonico extant, huc non faciunt. Unde definitio: «*ius fundamentale* intelligitur com-

[1] cf. can. 1495 § 1, can. 2214 § 1; *Ben. XV,* Const. *Providentissima mater Ecclesia* qua C. promulgatur; *Pii IX,* Syll. prop. 26.

plexus legum *divinarum* quibus Ecclesiae *constitutio* ordinatur», illud scilicet quo obiectum et subiectum potestatis socialis determinatur.

Hoç ius, specifico nomine etiam *ius ecclesiasticum publicum* a multis dicitur, qui ideo sensum vocis «publicum» ad arctiorem significationem contrahunt (cf. n. 9). Quae quidem appellatio iam ut recepta haberi potest, postquam plurima opera, inde a Neller et Schmidt qui primi, saec. XVIII, hanc partem iuris seorsim tractare coeperunt,[1] sub hoc titulo edita sunt, atque in Universitatibus peculiaris eiusdem cathedra erecta est,[2] licet forte non omnimode proprium sit. At nequaquam eousque procedendum est, ut cunctum ius quod hoc sensu non est publicum, privatum vocetur.[3]

I. ECCLESIA EST SOCIETAS PERFECTA.

14. Societas est «plurium conspiratio ad communem finem obtinendum inita». *a)* Itaque ad eam constituendam requiritur: *pluralitas* entium *rationalium,* cum haec sola finem aliquem cognoscere et collatis viribus intendere possint; *finis* his omnibus communis et cui proinde communibus *mediis* studere debent; denique *coniunctio* in ordine ad finem assequendum socios eorumque actiones ad unitatem redigens. Quae quidem, si societas sensu lato accipiatur, etiam vinculum morale tantum esse potest, si autem sensu proprio, vere *iuridicum* sit oportet. Quorum elementorum potissimum est *finis,* quia cetera ad illum ordinantur, eique inserviunt. Ab eodem enim nedum media pendent, sed natura quoque et status iuridicus societatis. Est igitur eiusdem praecipuum elementum formale.[4] *Auctoritas socialis* vero, quae in ipsa potestate singulos ad commune propositum dirigendi et movendi consistit, non pertinet quidem ad societatis essentiam, est autem proprietas ab hac dimanans et ita necessaria ut sine ea societas ulla existere nequeat.[5]

---

[1] *Chr. Neller,* Principia iuris publ. eccl. Francofurti et Lipsiae 1746 (a. 1750 in indicem libr. prohib. relata). — *Ph. Schmidt,* Institutiones iuris eccl, Heidelbergae 1771. cf. *Bernareggi,* Metodi e sistemi delle antiche collezioni e del nuovo codice di d. c. Monza 1919, 94 (cf. *Scuola catt.* XVIII (1920) 207 ss.).

[2] Primum Paduae, iam a. 1768. In ditione pontificia a Leone XII, 1824. In Seminario Romano eam restituit Leo XIII, a. 1880.

[3] Ita ex. gr. *Bernareggi,* 111, naturam C. definiens, dicit esse «codicem iuris privati, communis, non liturgici».

[4] *Tarquini,* Juris eccl. publici institutiones, 6 ss.; *De Luca,* Institut. iuris eccl. publici, I, 19 ss.; *Biederlack,* o. c. 9 ss.

[5] *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei,* § Insitum homini (ed. cit. II, 147); *Rivet,* Quaestiones iuris eccl. publ., Romae 1912, 12. — Si alii dicunt auctoritatem socialem ad essentiam

b) Prout finis est, ita societas; haec ab illo specificatur. Si finis religiosus societas *religiosa,* si profanus *profana.* Si finis est bonum publicum, i. e. quod directe et immediate communi utilitati ordinatur, societas est *publica,* si privatum *privata.* Si finis est liber, societas quoque *libera* seu *voluntaria,* quam nemo ingredi tenetur, si necessarius *et* nonnisi per certam societatem, sive natura sua sive voluntate eius qui praecipere potest, obtinendus, haec est *necessaria.*

Comparato autem fine, duae societates *pares* inveniuntur si bona eiusdem generis, *impares* si diversi generis intendunt. *Coordinatae* si earum fines inter se prorsus independentes sunt, *subordinatae* si unius finis rationem medii relate ad finem alterius habet. At subordinatae dicuntur, minus proprie, etiam societates partem integrantem maioris cuiusdam constituentes, cuius finis idem est ac finis partium.

Finis hominis in suo ordine supremus *duplex* est: felicitas temporalis et felicitas aeterna. Illa omnia bona temporalia, ista omnia spiritualia complectitur. Illa in Statu, haec in Ecclesia, ex divina dispositione, assequenda est.[1] Unde utraque societas est *publica* et *necessaria;* at Status, cum plures numero esse possint, in genere, Ecclesia, cum una vera sit, in individuo.[2] Praeterea animadvertendum Ecclesiam non modo bonum publicum, verum etiam singulorum immediate intendere.

15. Societas perfecta. Nostra vero maxime interest distinctio inter societatem perfectam et imperfectam. *Perfecta* ea est, cui in ordine ad finem nihil deficit: ideoque ea quae *iuridice omnia media ad finem consequendum in se habet.* Iuridice dicitur, quia perspicuum est non ex facto, quod ab extrinseca et contingenti causa pendet, sed ex *iure* naturam societatis esse dimetiendam. Qui aliud sentit notionem iuris pervertit (n. 3) et admittere cogitur modo perfectam modo imperfectam eamdem societatem esse posse.

Huiusmodi societas prorsus *independens* a quacumque alia sit, oportet. Si enim aliunde quaedam media mutuari deberet, iam aliquid ei deesset; si alteri esset subordinata, ab

---

societatis pertinere *(Taparelli d'Azeglio,* o. c. 425-26; *Demeuran,* L'Église, Paris 1914, 14) hoc intelligendum est sensu quo thesim proponit *Meyer,* o. c. 352: « Quamquam in ordine metaphysico moralis unio constans recte dicitur forma societatis, non minus vere tamen asseritur in ordine reali societatem humanam per auctoritatem socialem formaliter constitui ». cf. etiam *Cavagnis,* Instit. iuris publ. eccles.[4] I (Romae 1906) 80 ss.

[1] *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei,* § Non est magni (ed. cit. II, 147).

[2] *Bonif. VIII,* bulla *Unam sanctam,* in c. I, Extrav. com. I, 8 *(Denz.* 469); *Conc. Lat. IV,* c. 1 *(Denz.* 429).

hac posset iure in sua actione impediri. Unde etiam apparet nonnisi societatem quae *supremum finem* prosequitur perfectam esse; nam omnia bona particularia, natura sua, rationem aut partis aut medii habent ad finem in eo genere completum, et dum finem constituunt alicuius societatis hanc eo ipso subordinatam reddunt.

Haec omnimoda independentia vocatur imperium vel principatus, seu moderna voce «*sovranità*», «*souveraineté*» (interna et externa).[1] Et cum omnis societas legitime constituta sit *persona moralis*, quia est subiectum iuris, sequitur perfectam societatem proprio iure hanc personalitatem plenissime habere.[2]

Imperfecta vero est societas cuius finis ad finem alterius ordinatur, quod tamen de civitate relate ad Ecclesiam non est dicendum: nam bona temporalia *subiective* quidem ab unoquoque homine dirigi debent ad salutem aeternam, *obiective* autem sunt indifferentia.[3]

Omnes igitur societates quae bonum aliquod spirituale intendunt sunt imperfectae et ab Ecclesia pendent, quae completum bonum spirituale prosequitur; omnes societates quae bonum ordinis temporalis promovent finem incompletum habent, in universali fine Status contentum, cui proinde subduntur.

16. Ecclesia est societas perfecta. Nullum tempus fuit quo Ecclesia, plenam a quacumque humana potestate *libertatem* et *independentiam* sibi vindicans, non affirmaverit hoc ius suum ab ipso divino conditore derivari. Et re vera, si Christus societatem instituit, quam omnes homines ingredi tenentur, ut per eam aeternam beatitudinem obtineant, haec societas iuridica, in suo ordine suprema, necessaria (nn. 7 et 14) non potest esse nisi *perfecta*. Etenim:

a) Finis, quem Ecclesia prosequitur, cum supremus sit et completus, ad finem alterius societatis nequit ordinari (n. 15), eo minus ad finem temporalem societatis civilis. Nam absonum est, ideoque recto ordini ethico et iuridico repugnans, *totum* bonum spirituale postponi et mancipari bono temporali. Quod tamen sequitur si negas independentiam Ecclesiae et proinde eam submittis uni, quae remanet, perfectae socie-

[1] Altera potestatem in *subditos*, altera relationes *internationales* respicit.
[2] cf. can. 87, 99, 100.
[3] *Biederlack*, 14; *Rivet*, 19.

tati: reipublicae. Tum enim posset haec *iuste* finem spiritualem propriae utilitati dirigere vel etiam impedire.[1]

Id nec Christum voluisse palam est.[2]

b) Essentialis proprietas Ecclesiae est *unitas,* tum regiminis tum fidei, quae altera cum prima intime cohaeret. Si autem ipsa iuridice dependeret a societate civili, quot respublicae tot essent suprema imperia ecclesiastica et unitas evanesceret. Idemque de eius *universalitate* fieret atque uni catholicae plures nationales ecclesiae sufficerentur,

b) Christus dedit Ecclesiae caput, in quo ipsa tam firmum haberet *fundamentum,* ut numquam posset deficere, quicumque adversarii eam impeterent, eidemque contulit iurisdictionem ligandi ac solvendi *quodcumque* adeo efficaciter, ut sanctio divina *immediate* sequatur (Matth. 16, 18-19: *Tu es Petrus*....). Iam vero hanc potestatem esse supremam et independentem elucet, quia ea est cui totum aedificium iuridicum societatis innitatur, ea est quam nulla alia legitime impedire aut limitare possit.

Atque non modo *verbis* sed etiam *factis* Christus, numquam reipublicae in condenda Ecclesia petita licentia, suam mentem confirmavit.

17. Testimonia historica et iuridica ostendunt Ecclesiam supremae suae et nullius arbitrio obnoxiae potestatis inde ab origine conscientiam habuisse, ideoque eamdem sibi *asserere* et publice *exercere* numquam destitisse.

a) Primi omnium *apostoli,* quibus praedictum erat «ad praesides et ad reges ducemini propter me»[3], iis praedicationem evangelii prohibentibus aperte et usque ad mortem resistere, declarantes: «obedire oportet Deo magis quam hominibus».[4] Deinde *martyres,* sanguine effuso, haud minus conscientiae suae quam societatis cui adhaerebant libertatem defenderunt. Sequentibus vero aetatibus ad hunc diem, Eccle-

[1] *Leo, XIII,* encycl. *Immortale Dei:* «Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam; tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit» (ed. cit. II, 160).

[2] *Matth.* 6, 33: «Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis».

[3] *Matth.* 10, 18.

[4] *Act.* 5, 29.

sia innumeris in certaminibus, omnibus armis, impugnata est, at ubique unanimi pastorum et populi consensu, admirabili constantia conatus eam subiiciendi retudit. A summa enim antiquitate, illa semper fuit catholica doctrina, uni Ecclesiae rerum sacrarum procurationem commissam esse, eique hoc ius privative spectare; quae doctrina multis *Patrum effatis* enunciatur.[1]

b) Neque desunt quoque *declarationes* magisterii authentici. *Pius VI* damnavit ut haereticas propositiones synodi Pistoriensis negantes plenam et externam iurisdictionem ecclesiasticam;[2] in syllabo *Pii IX* configitur error: «Ecclesia non est *vera perfectaque societas,* plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus, sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura, ac limites intra quos eadem iura exercere queat»;[3] *Leo XIII* in encycl. *Immortale Dei* de Ecclesia docet: «Societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat»;[4] *Pius X* idem pluries, aequivalentibus verbis, affirmavit,[5] *Benedictus XV* in bulla promulgationis Codicis declarat Ecclesiam «ita a Conditore Christo (esse) constitutam, ut omnibus instructa esset notis quae cuilibet perfectae societati congruunt». In ipso C. vero, quamvis ius publicum systematice non proponatur, complures canones continentur, quibus Ecclesiae vindicantur, et quidem independenter a quacumque civili auctoritate, ea iura quae nonnisi societati supremo imperio praeditae conveniunt.[6]

Argumentum perfectionis iuridicae Ecclesiae est etiam quod «et opinione et re eamdem probarunt *ipsi viri principes* rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt».[7]

---

[1] Haec collecta videsis ap. scriptores iuris publici. *Cavagnis,* I, 221, ss.; *Tarquini,* 44; *De Luca,* I, 124 ss.; *Cappello,* Instit. J. P. eccl. Taurini 1913, 50.

[2] Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 4 et 5 *(Denzinger,* 1504, 1505).

[3] Syll. n. 19 *(Denz.* 1719), cf. etiam nn. 20, 26, 41 *(Denz.* 1720, 1726, 1741) et encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864, AS III, 161 ss. *(Denz.* 1698).

[4] § Haec societas (ed. cit. II, 150). cf. encycl. *Arcanum,* 10 febr. 1880, § Nemo autem dubitat (ed. cit. I, 133).

[5] Encycl. *E supremi,* 4 oct. 1903, sub fine *(Micheletti,* Ius Pianum, Aug. Taurin. 1914, 650), encycl. *Vehementer nos,* 11 feb. 1906 *(Michel.* 454); alloc. *Gravissimum,* 21 feb. 1906 *(Michel.* 460).

[6] can. 100 § 1, 109 (potestas constituendi suos magistratus); 120, 121, 147, 196 (omnis potestas publica spiritualis); 215 § 1, 218 § 2 (potestas summi principis), 265, 1160, 1260, 1322, 1352, 1495 § 1 (ius acquirendi et possidendi), 1496 (ius tributorum), 1553 (iudicialis); 2214 § 1 (coercitiva), 2333, 2334, 2341, 2390 etc. cf. etiam *Stutz,* o. c. 109 ss.

[7] Encycl. *Immortale Dei,* § Quin etiam (ed. cit. II, 151).

Ad hominem vero contra modernos, qui tam alte libertatem conscientiae extollunt, valide arguitur nullam dari veram *civium* religiosam libertatem, si Ecclesia sui iuris non sit.[1]

Summo Ecclesiae principatu admisso, consequitur ipsam habere plenam et independentem potestatem in *subditos* («sovranità» interna) de qua modo, et *personalitatem* sui iuris erga reliquas societates («sovranità» externa, internationalis). Unde necesse non est ut haec ei tribuatur (can. 100 § 1; can. 1495 § 1); eius caput est verus princeps (can. 218 § 2; can. 1556); gaudet iure legationis activae et passivae (can. 265); inire potest conventiones diplomaticas (can. 3) etc.[2] Imo Ecclesia, aliquo sensu, habet etiam ius belli et pacis, quo profecto non abutitur, et tanta est eius vis, moralis quidem, sed eo ipso tandem praevalens, ut multi Status qui, antiquis et novis temporibus, eam aggredi tentaverunt, arma cedere coacti sint.

18. Lex italica «delle guarentigie». Cum centrum regiminis Ecclesiae in Italia inveniatur, ibique eius caput resideat, peculiare momentum habet lex «*delle guarentigie*» dicta, quae lata est d. 15 maii 1871, post Urbem captam et temporalem pontificiam ditionem destructam, ut spiritualis libertas Sanctae Sedis in tuto poneretur. Fere omnes iuristae italici affirmant hanc esse legem mere *internam,* licet reipublicae fundamentalem,[3] nullo modo autem induere notam *internationalem.* Quod *formaliter* vix negari posse videtur; *realiter* vero, cum ipsa condita sit ut satisfieret opinioni totius orbis et ut effugerentur molestiae, quas nomine suorum catholicorum aliae respublicae afferre possent italicae,[4] cum insuper respiciat societatem sui iuris et eminenter universalem, uti est Ecclesia catholica, patet eam *indirecte* quidem sed *necessario* internationalem characterem accipere, neque a legislatore italico, citra difficultates a reliquis nationibus, abrogari posse.[5]

Secundum hanc legem (tit. I), quae minimum exhibet, quod nec adversarii Ecclesiae denegare ausi sunt:

a) Persona R. Pontificis est *sacra* et *inviolabilis* (a. 1); iniuriae reales et verbales ei illatae eodem modo puniuntur ac iniuriae in regem (a. 2); Pontifici in territorio regni tribuuntur *honores summi principis*, agnoscitur eius praeeminentia et ius habendi custodes et milites (a. 3).

b) R. Pontifici agnoscitur *ius legationis* activum et passivum; legati ad eum missi aut ab eo missi gaudent omnibus praerogativis et immunitatibus diplomaticis, iuxta ius internationale (a. 11).

c) R. Pontifex *libere communicare* potest cum toto orbe catholico, seclusa qualibet dependentia ab italico regimine, etiam si velit per officia postalia et telegraphica propria (a. 12).

---

[1] cf. *Leonis XIII,* encycl. *Au milieu,* 16 maii 1892.

[2] Inter scriptores iuris internationalis *duplex* est sententia; alii personalitatem iuridicam internationalem Ecclesiae (vel S. Sedis) agnoscunt; alii eam negant. At isti quoque debent admittere de facto Ecclesiam suum locum tenere in societate internationali et iura imperii exercere. cf. *Contuzzi,* Diritto internaz. pubblico,[2] Milano 1905, 25.

[3] Consiglio di Stato, 27 febr. 1878.

[4] Lex communicata fuit omnibus Guberniis.

[5] cf. *G. e P. Calchi-Novati,* Il diritto ecclesiastico dello Stato italiano, Milano 1903, 21; *Galante,* o. c. 133; *Calisse,* Diritto ecclesiastico,[2] Firenze, s. a. 69.

d) R. Pontifex prorsus liber est in cunctis *actibus ministerii* spiritualis (a. 9), omnesque ministri, sive cives sive exteri, qui eum in hoc adiuvant, nullam exinde imputabilitatem incurrunt (a. 10).

e) Sede vacante *Cardinales* a nulla auctoritate iudiciali aut politica, ex quacumque causa, in sua personali libertate impediri aut limitari possunt (a. 6).

f) Loca ubi R. Pontifex etiam temporanee habitat, aut ubi Conclave vel Concilium œcumenicum celebratur, nullus officialis publicus ingredi potest (a. 7).

g) Interdicta est *visitatio* aut *perquisitio* Officiorum vel Congregationum, necnon sequestratio librorum aut documentorum (a. 8).

h) Denique conservata est R. Pontifici *dotatio* Lib. 3.225,000, quam tamen numquam exegit (a. 4).[1]

In legislatione italica S. Sedes est igitur *persona iuridica* (quae tamen in acquirendo indiget licentia potestatis civilis, CI aa. 932 et 1060); non vero Ecclesia universalis.[2]

II. DE POTESTATE SOCIALI ECCLESIAE.

19. Potestas societatis perfectae. Quaelibet societas perfecta, natura sua, *ius habet exigendi a sociis quae necessaria sunt ad finem plene consequendum; nullum ius e contra habet ad ea quae necessaria non sunt.*[3] Ratio utriusque principii in aperto est. Nam, cum omnia iura societatis ab eius fine prodeant, quod cum fine connexum est, ei competit, quod ab illo alienum non competit. Nimirum socii, qui aut sponte aut superiore voluntate cogente ad aliquem finem adipiscendum coaluerunt, *iuridico* officio obstringuntur ea suppeditandi, sine quibus finis obtineri nequit. Quod si de qualibet societate valet, eo magis de perfecta, quae *iure* in mediis deficere non potest. Reliqua vero, cum etiam eis denegatis finis non periclitetur, praestare non tenentur. *Officio* membrorum *ius* societatis est *correlativum.*

In universali principio haec continentur:

a) Ius est societatis exigendi non modo quae *immediate* sed etiam quae *mediate* cum fine connexa sunt. Mediata necessitas est enim vera necessitas; imo ordinarie et communiter finis non uno actu sed per gradus attingitur.

---

[1] Hanc dotem esse *impraescritibilem,* saltem quoad titulum, haud dubium videtur, et a multis iuristis affirmatur. cf. *Calisse,* 67.

[2] *Calchi-Novati,* 18-19.

[3] cf. can. 1496 « Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum sustentationem et *ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria* ».

b) Cum plura media extant, quorum nullum in individuo aliquod autem in genere necessarium est, ius habet societas *eligendi* et *imponendi* quod opportunius iudicaverit. Nam hoc practice prorsus necessarium est, ne relicta unicuique eligendi libertate, conspiratio sociorum evanescat.

c) Societati pertinet iudicare *quaenam* et *quot* media sint necessaria. Hoc patet ex eadem ratione. Si vero auctoritas socialis *evidenter* erraret. obligatio ei obtemperandi per se nulla adesset, per accidens vero sequi posset ob periculum scandali, perturbationis publicae, aliusve gravis mali.[1]

His positis, consequitur opus esse, si societas vult sua membra efficaciter ad finem dirigere, *ut* media apta eligantur et obligatorio modo proponantur, *ut* proposita recte et ordinate applicentur, *ut* renuentes eadem applicare, vi adhibita cogantur, impedientes coerceantur. Unde *tripartita* potestatis publicae divisio, quae est adequata, in *legiferam, iudicialem, coactivam.*

Cum *Ecclesia* sit societas perfecta, haec triplex potestas ei competit in suos, et quidem a quacumque alia potestate independens.

Principium: «Legitima auctoritas potest *quaelibet* licita imperare» apparet, ex dictis, *erroneum*. Quae relate ad finem socialem aut aliena aut superflua sunt, subtrahuntur eius competentiae. Fundamento iuridico caret, igitur, *omnipotentia Status,*[2] nedum in rebus spiritualibus verum etiam in temporalibus. Nam multa sunt quae aut ab individuis aut a familia aut a minoribus societatibus praestanda sunt atque cum maiore boni publici incremento quam a re publica praestantur.[3] At *Ecclesia* quoque saepe declaravit fideles in rebus mere temporalibus et politicis liberam opinandi et agendi facultatem habere.[4]

---

[1] *Tarquini,* 8 ss.

[2] cf. *Pii IX,* Syll. 39: «Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, *iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus*».

[3] *Hammerstein,* o. c. 91 ss.; *Cathrein,* Die Aufgaben der Staatsgewalt u. ihre Grenzen, Freiburg 1882, 57 ss.; *Eiusdem,* Filosofia morale, II, 593 ss.; *Antonie,* Corso d'economia sociale, trad. Martinelli, Siena 1901, 80 ss. *Boucaud,* Les droits de l'état et les garanties civiques du droit naturel, Paris 1908, 12 ss.

[4] *Leo XIII,* encycl. *Immortale,* § Pariter non licere (ed. cit. II, 167): «Verum si queratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceterpqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam, *iustitia* non patitur; multoque est maior *iniuria,* si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur». -- *Idem,* encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890 § Ab omni politico genere (ed. cit. IV, 18): «(Ecclesia) sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire iure officioque suo valde recusat... non ad se putat pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur... Ad hoc

20. Potestas legifera est ea quae eligit et iubet media ad finem socialem assequendum. *Necessariam* esse, ideoque societati competere, elucet quia ea deficiente, pro humanae naturae infirmitate, actiones membrorum non conspirarent in idem, sed in diversa abirent et societas corrueret. Lex est illa norma quae omnes efficaciter dirigit ad bonum commune. Unde et rationabilis esse debet et fini apta (*materia* legis) et sufficienti modo ut obbligatoria proposita seu promulgata (*forma* l.). Ad potestatem legiferam reducitur omnis potestas praecipiendi vel vetandi, constituendi magistratus, imponendi tributa, administrandi bona publica, urgendi obligationem legum easque interpretandi, dandi praecepta (p. *administrativa*), aliaque multa.

Etiam *gradus obligationis* ex necessitate est determinandus. Quare, cum lex ferri possit ita ut eam violans aut *poenam* tantum aut *culpam moralem* aut *utramque* contrahat, si primus sufficit, altero vel tertio modo obligandi nequit auctoritas valide uti. At praesumptio sane adversatur subditis ab eius iudicio dissentientibus.

Iam vero *Ecclesia*, quae est perfecta societas, hac potestate in tota sua *amplitudine* et *independentia* gaudet.[1] Unde ipsa:

a) Condere potest leges *disciplinares*, quibus imprimis rectus ordo socialis conservatur et fovetur, subditi pro temporum et conditionum varietate opportune diriguntur, *directe* bonum spirituale commune atque indirecte singulorum augetur.

b) Dare potest leges *morales*, quae *immediate* uniuscuiusque santificationem intendunt (n. 14), sive confirmet vel sanctione muniat, sive etiam determinet et integret legem divinam naturalem et positivam (can. 196 et can. 218).

---

exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate iustitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est *religione intemperanter abutentium*». — *Idem*, encycl. *Cum multa*, 8 dec. 1882, § Verum (ed. cit. I, 304): «fugienda illorum opinio praepostera, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere; fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere». — Quae documenta pluries revocavit et confirmavit *Pius X*, litt. Secr. Status, 20 apr. 1911; ep. ad Colon. Archiep. 30 oct. 1906 (cf. *Micheletti*, 652 et AK LXXXVII, 286 ss.; *Böckenhoff*, Katholische Kirche u. moderner Staat, II ed. Koeniger, Köln 1920, 42 ss.

[1] Argumenta ex Scriptura et Traditione, quibus haec potestas *directe* probatur, vide apud theologos.

c) Potest sibi costituere magistratus (can. 109, 145 § 1, 147, 329 § 2, 455), eisdem locum et ambitum iurisdictionis definire (can. 215, 216, 335), societates minores promovere (can. 492, 493, 494, 696), collegia, personas morales creare, eisque personalitatem iuridicam tribuere (can. 100 § 1, 1409, 1489 § 1); erigere scholas aliaque instituta ad suum finem necessaria (can. 1352, 1375), tributa exigere (can. 1496).

Quae omnia nulla humana auctoritas *iure* valet impedire aut quomodolibet sibi in haec aliquam facultatem vindicare (can. 2331, 2333, 2334, 2390). *Limites* potestatis legiferae Ecclesiae nonnisi in eius fine, in iure divino naturali et positivo, et practice in «canonica aequitate» inveniuntur.[1]

Non quidem ex potestate sociali, sed vi specialis commissionis (p. *vicaria)* [2] Ecclesia habet quoque ius et mandatum *authentice* interpretandi legem divinam, naturalem et positivam, ita ut, secuta declaratione, nedum fideles sed et infideles teneantur eo sensu eamdem intelligere et observare (can. 1322 § 1).

21. Potestas iudicialis. Lex statuens quid in societate faciendum omittendumve sit, iura et obligationes parit, quas omnes servare debent. At in multitudine hominum moraliter impossibile est non exurgere dubia et contentiones circa iura quae singulis competunt, itemque non esse plures qui suis obligationibus, sive erga societatem ipsam sive erga consocios, se subtrahere conentur. Hinc *necessitas*, ne bellum omnium fiat contra omnes, alterius potestatis, quae in casibus particularibus, ubi de applicatione legis controversia enascitur, *auctoritative* quid iuris sit determinet, subditos obstringens sese huic iudicio conformare: ideo dicta *iudicialis*. Quae *civilis* est et in causis civilibus exercetur si res agitur de privato iure unius contra alterum; *criminalis* et in processu criminali adhibetur, si quaestio est num quis *culpabiliter* ordinem publicum turbaverit et ita ipsam societatem laeserit. Quo in casu, haec repetit a reo poenas per promotorem iustitiae.

Iudicis sententia duo continet: interpretationem legis (quaestio *iuris*) et aestimationem facti peculiaris in relatione ad legem (q. *facti*). Utrumque iudicium est *authenticum* et

---

[1] cf. *Pii IX*, Syll. nn. 20, 28, 41, 44, 50, 51; *Conc. Vat.* constit. Pastor aeternus c. 3, (*Denzinger*, 1720, 1728, 1741, 1744, 1750, 1751, 1829).

[2] cf. *Wernz*, o. c. II, 4.

obligat partes, at partes tantum (cf. can. 17 § 3). Ne autem, errore iudicis aut malitia, iustitia pessumdetur, in qualibet bene ordinata societate *series tribunalium* constituitur, ut ab inferiore ad superius detur appellatio et causa iterato agitetur.

Ecclesiae pertinet potestas iudicialis *plena* et in omni gradu *independens*. Quae sane intra limites finis spiritualis continetur, quapropter «iure *proprio* et *exclusivo* cognoscit: 1° de causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas;[1] 2° de violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem;[2] 3° de omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes»[3] (can. 1553 § 1). Atque nedum in hac sua potestate exercenda ulli civili auctoritati est obnoxia, quin imo ipsos supremos populorum *principes* propriae iurisdictioni submittit (can. 1557 § 1); unus est in mundo qui a nulla humana potestate iudicari potest, eius caput R. Pontifex (can. 1556).

In causis *mixtis*, quae utriusque societatis aeque intersunt, Ecclesia sequitur principium praeventionis (can. 1553 § 2).[4]

Etiam hic praeter potestatem propriam, Ecclesia habet iurisdictionem *vicariam*, in foro interno exercendam.

Principium fundamentale moderni iuris civitatum est *omnimoda distinctio*, quoad exercitium, inter varias potestates, et praesertim separatio iudicialis a legislativa et administrativa. Quae separatio in Ecclesia, cum superiores maiores iure divinae constitutionis integra potestate sociali fruantur (can. 219, 329 § 1, 335 § 1), nequit absolute ad effectum deduci. Tamen, si de suprema agatur, *legislativa* iam ab ipso R. Pontifice exercetur et novae normae in C. sunt inserendae, dum *administrativa* Congregationibus est commissa,[5] *iudicialis* peculiaribus tribunalibus (can. 259, cf. can. 244 § 2);[6] si de episcopali, *legislativa* personaliter ab episcopo (can. 362), *administrativa* ab eo per vicarium generalem (can.

---

[1] Et praesertim de matrimonialibus: «Causae matrimoniales inter baptizatos iure *proprio* et *exclusivo* ad iudicem ecclesiasticum spectant» can. 1960; *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 12 de matr.; *Pii IX*, Syll. n. 74 (*Denz.* 982 et 1774).

[2] cf. can. 2198.

[3] cf. can. 120, 2341, 2342, 2334 n. 2.

[4] cf. can. 1961, 1933 § 3, 2198.

[5] *Ben. XV*, Mp. *Cum iuris canonici codicem*, 15 sept. 1917, II et III (A. IX, 483).

[6] Distinctio inter competentiam administrativam et iudicialem, in Curia Romana, instaurata est a *Pio X*, const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, II, 2 (A. I, 7) et in C. confirmatur quoad substantiam, licet aliquatenus in favorem Congregationum attenuata sit. Quod quibusdam non placet. cf. *Pöschl*, 27 et 143.

366 § 1), *iudicialis* per officialem (can. 1573 §§ 1 et 2).[1] At fatendum est desiderari in C. accurata determinatio, quae negotia administrativo modo quae iudiciali expedienda sint, si quaedam excipias.[2]

22. Potestas coactiva est complementum *necessarium* utriusque potestatis praecedentis, secus enim inefficaces fierent. Nam multi homines neque praecipienti obtemperarent, neque iudicanti acquiescerent, nisi medium exstaret eos reluctantes cogendi, alios impedientes vel laedentes cohibendi; itaque ordo societatis perpetuo turbaretur et finis assecutio in discrimine versaretur. Hinc fundamentum iuridicum *poenarum* et sanctionum disciplinarium; hinc quoque fundamentum coercitionis contra eos qui, morali certitudine, societati *detrimentum* ex malitia allaturi praevidentur aut vitio naturae, licet inculpabiliter, afferre possent.[3]

Societas, quae perfecta sit, ius habet *omnia* media coactiva adhibendi, quae ad finem *suum* necessaria et in ea mensura qua necessaria sunt. Quare si aliquod *superfluum* ostendatur, hoc caret; si *mitior* modus coercendi sufficit, graviore uti nequit. Finis est regula potestatis.

Etiam *Ecclesia*, igitur, potestate coactiva praedita est,[4] et quidem non modo *spiritualibus*, verum *temporalibus* quoque sanctionibus. «Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus» (can. 2214 § 1). Nam, etsi societas *spiritualis* sit, tamen ex hominibus coalescit, ideoque mediis humanis

---

[1] Medium quemdam locum tenent concilia, quorum oecumenicum universam (can. 228(, plenaria et provincialia legislativam ac administrativam (non amplius iudicialem) habere dignoscuntur (can. 290).

[2] *Iudiciales* sunt causae criminales (can. 1933 § 1) at quaedam excipiuntur (can. 1933 § 1, can. 2142-2194), matrimoniales (can. 1960 at cf. can. 249 § 3 et can. 1990-1992), invalidae ordinationis (can. 1993 at processus administrativus non excluditur, can. 249 § 3), probabiliter etiam invalidae professionis (can. 586 § 3). *Administrativae* sunt quaestiones circa praecedentiam (can. 250 § 3) at non excluditur processus iudicialis (cf. can. cit. § 5 et can. 106 n. 6), generatim quaestiones religiosorum (can. 251 § 2), quaestiones de rebus orientalibus (can. 257 § 3), causae contra unionem, translationem, divisionem beneficiorum (can. 1428 § 3), dum e contra qui beneficium ab altero pacifice possessum postulat in iudicio agere debet (can. 1447).

Etiam *principium scientificum* iuxta quod negotium iudiciale ab administrativo distinguendum esset non constat, dum *alii* dicunt iudiciale esse si agitur de laesione alicuius *iuris*, administrativum si de laesione alicuius «*interesse*» (*Oietti*, De Romana Curia, Romae 1910, 18 ss.), *alii* iudiciale si respicit privata iura, administrativum si publicum bonum (Sign. Ap. 8 aug. 1916; A. VIII, 375).

[3] De notione delicti, poenae et systematis poenalis v. *Cavagnis*, o. c. I, 73 ss.; *Chelodi*, Ius poenale, Tridenti 1920, 2 ss. 17 ss.

[4] Recte animadvertit *Biederlack*, p. 56: «Labente potestate coercitiva Ecclesiae, labitur integrum ius Ecclesiae proprium et independens».

et materialibus quoque indiget.[1] Nec obstat quod armis destituatur, ius enim non in vi physica sed in facultate morali consistit: in casu in *facultate exigendi*, ubi opus sit, auxilium brachii saecularis (can. 2198). Ceterum etiam immediate ipsa infligit poenas temporales vel eas quibus materiale damnum adnexum est: mulctam, privationem muneris (can. 2291 nn. 10 et 12), privationem beneficii, limitationem libertatis personalis (can. 2298 nn. 6, 7, 8). Et si alias poenas, quibus olim utebatur, hodie non irrogat, hoc opportunitati non defectui potestatis tribuendum est.[2] Quamquam vero finis *spiritualis* nonnisi per actus *liberos* obtineri potest, coactio non est inutilis, quae *et* nolentes volentes efficit, *et* ordinem publicum in commodum bonorum tuetur.

Si autem probetur aliquod medium coactivum Ecclesiae non esse necessarium, hoc profecto non habet, quin tamen a perfectione deficiat.

Quaestio est an Ecclesia inferre valeat *poenam sanguinis* (ius gladii). Sunt qui affirmant eam hoc iure pollere, sive *immediate* propria sententia et ministris exercendo,[3] sive saltem *mediate* dum illius exercitium iudici laico delegat et mandat.[4] Arguunt ex perfectione iuridica Ecclesiae, dicentes in hac facultatem ad omnia media necessaria contineri.

Quod verum est, at praecise necessitas est neganda. Id plurimi, praesertim moderni canonistae, validis argumentis asserunt,[5] sed iam ab antiquo persensit Ecclesia, quae numquam in suo codice huiusmodi poenam admisit.[6] Re vera non est in hac re *paritas* inter Ecclesiam et Statum. Hic praecipue ordinem externum pro fine habet, qui terrore supplicii optime obtinetur; illa sanctificationem animarum, quae opus internum et spirituale est, et quidem etiam singulorum immediate, intendit. Ad hanc vero mors aut mutilatio non apte conducit, dum tuitioni

[1] *Ioannes XXII,* const. *Licet,* 23 oct. 1327 «*corporalis* est a Christo coactio Ecclesiae permissa»; *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 3 de ref.; *Pius VI,* const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 4 et 5 (*Denz.* 1504, 1505); *Pius IX,* const. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: «Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis *temporalibus* coercendi (*Denz.* 1697); *Syll.* prop. 24: «Ecclesia vis inferendae potestatem non habet (*Denz.* 1724).

[2] In iure sane affirmatur *principium,* in praxi vero Ecclesia maxima utitur *moderatione* et *tolerantia.* cf. *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei,* § Re vera (ed. cit. II, 162).

[3] Tarquini (n. 47 ad 7); Mazzella, Liberatore, Duballet.

[4] S. Thomas (II, II, q. 11, a. 3), Bellarminus, Suarez, Pirhing, Fagnanus, Schmalzgrueber, Ferraris, M. de Luca, Billot, Lepicier, Cappello cum mira hac limitatione «modo praevia rei emendatio sententiae executioni praecedat» (o. c. p. 60).

[5] Vecchiotti, Soglia, Cavagnis, Moulart, Satolli, Biederlack, Brandi, Douais, Vermeersch, de la Brière, Rivet, Hergenröther-Hollweck, Choupin, qui praecipue est consulendus (o. c. 266 ss. 511 ss.).

[6] Iam *Augustinus* (c. 7, C. XXIII, q. 5) aliique patres; *Leo M.* ep. ad Turribium «Ecclesia cruenta srefugit ultiones» alleg. a Conc. Lat. III, c. 27 (*Denz.* 401); *Nicolaus I:* «Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, non occidit sed vivificant» (c. 6, C. XXXIII, q. 2); «Ecclesia abhorret a sanguine».

ordinis ecclesiastici per alia media, ex. gr. per perpetuam incarcerationem provideri potest, unde poena sanguinis superflua est.

Historice constat poenam mortis ob crimina ecclesiastica a potestate *civili,* sponte sua et independenter ab Ecclesia invectam esse (Cod. 1, 5; Const. Friderici II 1224, 1231, 1232; alibi sub influxu populi;[1]) Ecclesiam e contra constanter *recusavisse* eamdem inter proprias recipere, sed solummodo exilium, incarcerationem, bonorum publicationem sanxisse; sententias sanguinis earumque executionem semper a magistratu *laico* (aut ab ecclesiastico *qua laico,* ubi utraque potestas in una persona coniungebatur) processisse, praemisso tamen iudicio canonico de existentia criminis ecclesiastici et prolata sententia qua reus excommunicabatur et curiae saeculari *tradebatur* «animadversione debita puniendus citra mortem et membrorum mutilationem».

At certum quoque est, complures R. Pontifices, imprimis Greg. IX et Innoc. IV, has leges saeculares quae mortem inferebant *approbasse* et *confirmasse,* imo ut eaedem ubi non vigebant introducerentur adlaboravisse; suis sanctionibus, praecipue excommunicatione, principes et iudices ut eas applicarent *coegisse.* Quam agendi rationem quidam explicant animadvertentes, in societate christiana medii aevi, haeresim et delicta connexa nedum Ecclesiae verum etiam civitati maximum detrimentum attulisse, proinde *crimen civile* quoque fuisse, a principibus gravissima poena, morte, puniendum; Ecclesiam vero, iuris naturalis custodem et interpretem, ius et obligationem habuisse monendi et cogendi potestatem saecularem, ut quod suum officium erat adimpleret.[2]

III. ECCLESIA ET STATUS.

23. Principia. Aeque ac Ecclesia, etiam *Status* est societas in suo ordine *perfecta,* ideoque independens. Hoc Ecclesia diserte agnoscit: «Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. *Utraque* est in suo genere *maxima:* habet utraque certos, quibus continetur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur».[3] Unde *primum* consequitur principium: *a) unaquaeque* societas *res suas* regat iure proprio, alteram non perturbans.[4]

---

[1] De natura *antisociali* haereseon saec. XI-XIII, quae causavit civiles sanctiones v. *Guiraud,* Inquisition in *Diction. apolog.* II (Paris 1913) 834 ss.

[2] cf. *Choupin,* 491-511 et 525 ss.; *Idem,* Hérésie in *Dict. apol.* II, 442 ss.; *Guiraud* l. c.

[3] *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei* (ed. cit. II, 152); encycl. *Sapientiae christianae* §§ Altius et Profecto (ed. cit. IV, 17, 19).

[4] *Greg. II* ad Leonem Isauricum: «Idcirco ecclesiis praepositi sunt pontifices a reipublicae negotiis abstinentes, et Imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant»: *Leo XIII,* encycl. *Immortale:* «Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum,

Sed, cum utriusque imperium est in eosdem, fieri non potest quin complures relationes inter se habeant, quas *amicabiles* esse, ita ut altera societas alteram foveat et adiuvet, voluntati divinae, a qua ambae sunt constitutae, apprime respondet. Hinc *secundum* principium: *b)* relationes inter Ecclesiam et Statum benevolo animo et *in concordia* ordinandae sunt. Quod Ecclesia libenter ac liberaliter facit:[1] civitati autem maximum emolumentum affert. Re vera ex hac amica coniunctione nedum spiritualis, verum etiam temporalis finis summopere promovetur.[2] Nam civilis auctoritas in religionis sanctitate firmissimum fundamentum invenit.

At si *iuridice* definiendum sit, quaenam societas praecellat atque, ubi de una eademque re agitur quae utriusque interest, potiore potestate polleat, ratio habenda est universalis illius principii: ordinem rerum et finium, ideoque iura, secundum *regulam rectae rationis* esse determinanda. Quare, ne quod nobilius et maxime necessarium est inferiori ac minus necessario postponatur et subordinetur, opus est tenere: *c)* quae pertinent ad *ordinem altiorem*, utut etiam alii societati necessaria, ab ea sunt ordinanda quae finem superiorem prosequitur, altera potest ordinata in suum commodum derivare.[3]

His certis principiis apta solutio vexatissimae quaestionis circa *relationes inter Ecclesiam et Statum* continetur. Quomodo autem eis *varia systemata* decursu temporis proposita conveniant, modo videbimus.

---

quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne *in potestate arbitrioque Ecclesiae:* cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo» (ed. cit. II, 153). cf. can. 1016, 1063 § 3, 1933 § 3, 1961, 2198.

[1] « Ecclesia maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest» *Leo XIII,* enc. et l. c. et infra: « In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam, itemque secundum Dei consilia non secessionem unius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt »; *Pius X,* enc. *Vehementer nos,* 11 febr. 1906 (AS XXXIX, 12 ss. *Micheletti,* 454).

[2] Eloquenter hoc ostendit *Leo XIII,* encycl. *Immortale,* § Talis autem conformatio (ed. cit. II, 153). cf. etiam totam encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890 « de praecipuis civium christianorum officiis »; *Pii X,* enc. *Vehementer,* § Postremo maximum; *Pii IX,* Syll. prop. 40, 63, 64 *(Denz.* 1740, 1763, 1764); can. 141 § 1, 684, 1399 n. 8, 2335.

[3] *Tarquini,* 8; *Leo XIII,* encycl. *Immortale:* « inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare» (ed. cit. II, 152).

24. Hegemonia Ecclesiae. *Universam potestatem* publicam, spiritualem et temporalem, Ecclesiae esse a Deo commissam, ita ut principes nonnisi ex delegatione R. Pontificis populos regere possent et omnes eorum actus subessent *directae* iurisdictioni Ecclesiae, quae ubique et quomodocumque intervenire valeret, docuerunt complures theologi et canonistae medii aevi. Hoc est systema *potestatis directae*[1] (hierocratia), quod evidenter negat independentiam Status in suo ordine, et proinde *reiiciendum* est.

Caret enim quovis fundamento iuridico. Potestas Ecclesiae nequit sese extendere ultra id quod ad finem eius necessarium est. At res et actiones temporales, qua tales, prout scilicet ordinantur sua *obiectiva* destinatione ad finem temporalem, ac intra huius ambitum manent, sunt ad finem Ecclesiae indifferentes. Imo nedum indebita, sed etiam nociva et invidiosa esset haec potestas.[2] Quam Christum non tribuisse Ecclesiae elucet ex eius verbis,[3] et constans christiana traditio tenuit.

Traditio antiqua est *explicita,* apud Patres, Pontifices, scriptores.[4] Demum saec. XII in medium prolata est theoria *potestatis directae,* primo a Ioanne Saresberiensi, episcopo Carnutensi († 1180) et deinde a multis aliis, inter quos notiores sunt S. Thomas ep. Cantuariensis († 1170), Henricus de Segusia, cardinalis Hostiensis († 1271), Augustinus Triumphus (praecipuus systematis defensor in opere: Summa de potestate ecclesiastica, † 1328), Alvarus Pelagius, ep. (op. Summa de planctu Ecclesiae, † 1346), Nicolaus archiep. Panormitanus († 1445?), Sylvester Prierias († 1523), Navarrus († 1586).[5]

Etiam quidam *R. Pontifices* dicuntur *huic* opinioni indulsisse; at eorum effata, quae haud raro eam enunciare videntur et a multis tam-

---

[1] Termini *potestas directa* et *potestas indirecta* iam in altero decennio saec. XIII usurpabantur. *Gillmann* in AK XCVIII, 407 ss.

[2] *Tarquini,* 54; *Cavagnis,* I, 398 ss.; *Rivet,* 119 ss.; *Suarez,* o. c. l. 3, c. 6.

[3] *Matth.* 16, 19 «Et tibi dabo claves regni *coelorum*»; *Io.* 18, 36 «Regnum meum non est de hoc mundo».

[4] Textus allegant auctores ex. gr. *Tarquini,* 54; *Cavagnis,* I, 400; *Böckenhoff,* 46 s. aliique. Plerumque sunt eadem testimonia, quae libertatem Ecclesiae affirmant. Addere iuvat *S. Thomam,* Sent. l. II, d. 44, q. 2 ad 4, qui in «pleno medio aevo» scribebat: «Dicendum quod potestas spiritualis et saecularis utraque deducitur a potestate divina, et ideo in tantum saecularis potestas est sub spirituali, in quantum est a Deo supposita, scilicet in his, quae ad salutem aeternam pertinent. Et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali quam saeculari. In his autem, quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari quam spirituali».

[5] *Hergenröther,* Katholische Kirche und christlicher Staat, Freiburg 1872, 411 ss.; *Suarez,* l. c. — Ad rem antiquus canonista, Card. Torquemada († 1468) animadvertebat: «Mirum est, quod Pontifices loquantur moderate de potestate iis data et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi aequiparare Deo».

quam argumentum in hac quaestione afferuntur,[1] intelligi possunt *vel* de potestate indirecta, in ea sane amplitudine quam admittebant conditiones politicae et sociales medii aevi, *vel* de potestate historica, quam sibi Pontifices tum ex falsa (at vera aestimata) donatione Constantiniana, tum ex relationibus feudalibus inter S. Sedem et complures Europae nationes intercedentibus, vindicabant. Ceterum nihil mirum esset si aliqua incertitudo idearum et locutionum, illo tempore quo Status adhuc in sua infantia erat et tota respublica christiana Ecclesiae innitebatur,[2] etiam in cancellaria apostolica interdum irrepsisset. Sed ipsorum illorum Pontificum qui fastigium universalis imperii assecuti sunt extant quoque declarationes, quibus profitentur nolle se in rebus mere temporalibus iudicare (*Innoc. III* decret. *Novit,* c. 13, X. 2, 1: «Non enim intendimus iudicare de feudo cuius ad ipsum (i. e. regem) spectat iudicium»; decret. *Per venerabilem*, c. 13, X. 4, 17: «Rex superiorem in temporalibus minime recognoscit»; *Bonif. VIII,* cui exprobatur celebris bulla *Unam sanctam*, sollemniter in consistorio (1302) declaravit: «Quadraginta anni sunt quod nos sumus experti in iure; scimus quod duae sunt potestates ordinatae a Deo. Quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro? Dicimus quod in nullo volumus usurpare iurisdictionem regis»).[3]

Moderna aetate vero, tum scientiam canonicam tum Ecclesiam ipsam aperte et perspicue civilis principatus iura agnovisse, iam dictum est (n. 23).

25. Hegemonia Status. E diametro opposita praecedenti est altera theoria, quae unicae *civitati* supremum imperium tribuit et Ecclesiam ei subditam facit. Systema *omnipotentiae Status.* Quam adstruxerunt iam *Marsilius Patavinus* aliique scriptores medii aevi, qui universam potestatem ecclesiasticam a Deo populo, a populo imperatori, ab imperatore episcopis traditam esse docebant, *delegatam* tamen et sub vigilantia exercendam. Deinde eam foverunt omnes *regalistae, gallicani, febroniani* et quotquot fuere huius generis, qui dum R. Pontificis auctoritatem deprimere, episcoporum extollere contendebant, sua fictione potestatis *originarie, fundamentaliter, radicaliter* coetui fidelium datae, clero vero nonnisi *ministerialiter* vel *usufructualiter* commissae, specie quidem democratiam in Ecclesiam introducebant, re vera autem, cum

---

[1] Ita ex. gr. *Innoc. III.* ep. ad Ioannem patriarch. Constantinop.: «Dominus Petro non solum universam Ecclesiam sed totum reliquit saeculum gubernandum»; *Ioannes XXII* (Extrav. 5): «Cui (Pontifici) in persona Petri terreni simul et coelestis imperii iura Deus ipse commisit». cf. *Hergenröther,* o. c. 419, n. 7.

[2] Unde pugna, tum temporis, non proprie sensu moderno inter Ecclesiam et Statum erat, sed potius inter pontifices et reges.

[3] *Hergenröther,* 296; *Langlois* et *de la Servière,* Boniface VIII in *Dict. apol.* I, 426 ss.; *Moulart,* Kirche u. Staat, ed. germ. Mainz 1881, 216 ss.

principi concederent facultatem tuendi et vindicandi iura fidelium, ianuam et aditum laicalibus invasionibus patefaciebant.

Denique, his quoque antiquatis, moderni *positivistae iuridici* absolutissime Statum omnipotentem statuerunt, cum *nullum* esse *ius* affirment, cui praesto non sit vis physica ad illud urgendum, ideoque quod a Statu expressa lege concessum non sit (nn. 3 et 4). Patet in hac hypothesi Ecclesiam *iuridice* eatenus tantum existere et agere posse, quatenus ei a civitate permittitur. Fatentur sane multi eam, ob suam praeclaram utilitatem et quia psychologicae cuidam necessitati plurimorum hominum inservit, peculiarem mereri considerationem et esse corporationem iuris publici; at tandem a Statu pendet quomodo et quibus limitibus suam activitatem fori externi exercere, utrum *morales* dumtaxat an *iuridicas* obligationes imponere, possit.

Hoc systema, cum Ecclesiae iuridicam perfectionem destruat, hac demonstrata (nn. 16 ss.) *corruit* totum.[1] Difficultates vero quae moventur ex eo, quod Ecclesia non habeat *territorium* proprium atque *una* tantum debeat esse in uno eodemque loco suprema auctoritas,[2] inanes statim apparent consideranti Ecclesiam et Statum esse quidem ambas societates perfectas, sed non eiusdem generis. Status profecto alterum Statum a territorio et potestate necessario excludit, quia utriusque finis *idem* est; non ita Ecclesiam quae diversum finem, at cum fine civitatis optime componendum, intendit.[3]

Regalistae amplissimum systema iurium *(i. maiestatica)* quae principibus in Ecclesiam spectarent elaboraverant. Qua in re *exemplum protestantium,* qui iam ab initio libertatem ecclesiasticam auctoritati civili prodiderant et deinde theoretice factum explicare debuerant (systema episcopale, territoriale, collegiale), praeluxisse indubium est.[4] Principes catholici vero avide occasionem arripuerunt augendi suam potestatem, ut

---

[1] Ceterum Ecclesiae vim cogendi, atque etiam cum effectu sua iura defendendi independenter imo contra modernam civitatem non deesse, iam innuimus (n. 17). Cum enim tota potestas publica hodie populari *opinioni* et *assensui* innitatur, maxima est vis illius qui moralem influxum in multitudines exercere valet.

[2] Bismarck in parlamento Germaniae, die 16 apr. 1875: « Status in Statu repugnat ».

[3] Territorium Ecclesiae, in quo *ius* habet exercendi suam potestatem, est universus mundus. *Matt.* 28, 19: « Euntes docete omnes gentes ». can. 1322 § 2: « Ecclesiae, *independenter* a qualibet civili potestate, *ius* est et officium gentes *omnes* evangelicam doctrinam docendi: hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur ». cf. can. 13 § 1.

[4] *Hergenröther-Hollw.* 95 ss.; *Choupin,* 309 ss.

quae in temporalibus absoluta erat etiam in spiritualibus praevalens fieret, utramque autem ad suos fines vergere possent. Distinguebantur *iura in sacra* et iura *circa sacra*: illa, Ecclesiae remissa, nonnisi munus docendi et ministrandi in mere internis et spiritualibus complectebantur, haec, reipublicae ut propria vindicata, totum externum regimen ecclesiasticum et supremam omnia inspiciendi et dirigendi facultatem continebant. Imo, cum linea divisionis ex arbitrio penderet, quaecumque placerent ad iura circa sacra revocabantur.

Quae sub multis nominibus multisque modis exercebantur. Fuit *ius cavendi* ne respublica ab Ecclesia nocumentum pateretur, unde nec leges, nec acta, nec decreta, sive Pontificis sive Episcoporum, publicari aut executioni mandari poterant sine regis assensu *(Placet* seu *exequatur)*, sententiae tribunalium ecclesiasticorum per iudices civiles aut reformari aut deleri (*appellatio ab abusu*).[1] Fuit *ius protectionis* seu *advocatiae*, aptum praetextum sese, tamquam tutorem, quocumque intrudendi; *ius supremae inspectionis* in officia et beneficia, in cultum externum, in praedicationem, in disciplinam; *ius eminentis dominii* in omnia bona ecclesiastica, quae et administrare et coarctare et auferre ad nutum liceret; *ius reformandi*, quod ad tollendos abusus et ad observationem canonum promovendam adhiberi dicebatur.

Haec omnia in tota fere Europa per plura saecula viguerunt; nunc autem, si excipias vestigia apud quasdam nationes, sunt ubique obsoleta, neque mereri videntur peculiarem refutationem.[2]

Complures modernae civitates alia via potius influxum in Ecclesiam conservare nituntur, dum scilicet eam considerant ut *corporationem iuris publici*, quae, intra fines Status existens, huius legibus in suis externis relationibus ordinanda sit. Ita erat in Germania et in Austria usque ad recentissima tempora,[3] ita est etiam in *Italia*, ubi invaluit systema mixtum regalismi et separationis.[4] Status, lege 13 maii 1871 (tit. II) renuntiavit iura limitandi libertatem synodalem (a. 14), legationis Siculae (a. 15), praesentationis ad beneficia maiora (a. 15) dandi assensum legibus et decretis doctrinalibus et disciplinaribus (a. 16), appellationis ab abusu (a. 17); sibi adhuc vindicat autem *placet* et *exequatur* quoad provisionem beneficiorum et administrationem bonorum ecclesiasticorum, ius regaliae, ius inspectionis in seminariis, ius tribuendi vel negandi existentiam legalem omnibus institutis, effectus iuridicos omnibus actibus ecclesiasticis et alia plura.

26. Separatio Ecclesiae a Statu est *tertium* systema, quod a multis hodie propugnatur. Eius forma varia esse po-

---

[1] *Pius IX*, Syll. 20, 28, 29, 41 *(Denz.* 1720, 1728, 1729, 1741); *Conc. Vat.* sess. 4, c. 3 *(Denz*, 1829); *Pius IX*, alloc. *Luctuosis*, 12 mart. 1877 *(Denz.* 1847); can. 2333 et can. 2334, 2, cf. *Chelodi*, Ius poenale, 70.

[2] Quam, ac simul amplam expositionem, videas, sis, ap. *Cavagnis*, II, 238 ss. *Tarquini*, 144 ss.; *Rivet*, 101 ss.; *Hergenr.-Hollw.* 100 ss.

[3] In nova constitutione Germanica, 31 iul. 1919, a. 137 statuitur: « Societates religiosae quae hucusque corporationes iuris publici erant, tales manent »; a. 138: subsidia, quae hactenus a republica societatibus religiosis tribuebantur, conservantur. In reliquis vigent normae iuris civilis privati. In *Austria* similes normae, l. 7 maii 1874, adhuc vigent.

[4] cf. *Calisse*, o. c. 41.

test, prout benevolo, indifferenti vel hostili in religionem animo perficitur; eius *essentia* vero in hoc consistit, ut civitas Ecclesiam qua societatem publicam et universalem ignoret, haec proinde neque iura neque vincula peculiaria habeat, sed, libera omnino, civiliter vivere et agere debeat uti cuncta reliqua corpora, secundum normas iuris *privati*.[1]

a) Principium Ecclesiam esse a Statu seiungendam *(thesis)* doctrinae catholicae contradicit, ideoque ab Ecclesia respuitur.[2] «Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert *iniuriam Deo:* qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est;.... deinde, quidquam esse *supra naturam,* non obscure *negat,* etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur;.... praeterea *descriptionem pervertit* rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit; nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et deiudicatio utriusque sit;.... postremo maximum importat *ipsi societati* civili *detrimentum;* haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest».[3]

Cui accedit *indignum* ac *absonum* esse, Ecclesiam, quae perfecta imo maxima et fine nobilissima est in mundo societas, redigi ad privatum collegium; ipsius activitatem eiusmodi esse ut necessario et perpetuo vitam publicam attingat; historicam tot saeculorum coniunctionem, relationes, iura, instituta inde exorta, fundamentum christianum universae, qua utimur, civilitatis, mores ipsos populorum impossibilem

---

[1] Formula comitis Cavour, in comitiis subalpinis d. 27 mart. 1861 proclamata: «Libera Chiesa in libero Stato», in Italia autem non consequenter ad effectum deducta. Alio sensu, Ecclesiae favorabili, a Montalembert in conventu catholicorum Belgii (1863): «L'Église libre dans l'état libre».

[2] *Greg. XVI,* encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832; *Pius IX,* Syll. n. 55 (*Denz,* 1615, 1755); *Leo XIII,* encycl. *Immortale,* § In negotiis; encycl. *Libertas,* § Mitiores aliquanto; encycl. *Sapientiae christianae,* § Profecto (ed. cit. II, 161; III, 107; IV, 19); *Pius X,* encycl. *Vehementer,* § Civitatis rationes; encycl. *Iam dudum,* 24 maii 1911, § Principio legem *(Micheletti,* 454, 530); *Bened. XV,* enc. *Ad beatissimi,* 1 nov. 1914, § Meminerint (A. VI, 571).

[3] *Pius X,* enc. *Vehementer,* 11 febr. 1906; ubi sub fine, addit: «Nos pro suprema quam obtinemus divinitus auctoritate sancitam legem, quae rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus et damnamus».

reddere dissociationem quin gravissima *iniustitia* Ecclesiae, *offensio* conscientiae civium inferatur.[1]

b) Attamen ea interdum contingere possunt tempora et adiuncta *(hypothesis)*, in quibus separatio, praesertim si bona fide peracta, ut minus malum aut forte ut unicum medium providendi libertati Ecclesiae appareat. Tunc profecto eam admittere, imo etiam promovere nihil vetat.[2]

Separationis, apud varias nationes quae hactenus eam induxerunt, *duplex* typica *forma* commode distingui potest: americana et gallica; *illa* ex rationibus mere politicis orta principia christiana in vita publica non excludens, *haec* ex odio contra ipsam religionem procedens. *Status foederati Americae sept.* inde a sua origine (1787) nullam Ecclesiam agnoverunt, omnes liberas esse siverunt, communem quemdam christianismum in legibus et administratione sequuntur, benevolentia opera catholicorum fovent. Simili ratione etiam in *Brasilia* (1890) et in *Cuba* (1902) separatio viget; in ditione *Canadensi,* in *Australia* et reliquis maioribus *coloniis* anglicis eiusmodi est habitudo ad Ecclesiam ut dubium sit an de vera separatione sermo esse possit. Ita quoque in *Belgio,* ubi seiunctio quidem in constitutione (1831) scripta est, at Ecclesia qua societas iuris publici habetur, et Status aedificia sacra, scholas catholicas, clerum sustentat. In *Hollandia* item (1848) nulla est Ecclesia Status, sed societates religiosae iuris publici esse censentur. In *Hibernia* (1869), in pagis Helveticis *Genevensi* (1907) et *Basileensi* (1910) catholici per separationem libertatem adepti sunt.

Aliud prorsus in *Gallia* (l. 11 dec. 1905), ubi cum separatione dira persecutio coniuncta fuit, aperto studio instaurata ut, quaecumque vestigia essent fidei christianae in vita publica, omnia delerentur. Haud dissimiliter factum est in *Lusitania* (1911). At inimica cuilibet religioni proposita iam antea ostenderant qui separationem in rebuspublicis *Mexicana* (1874) et *Aequatoriana* (1902) invexerant.[3]

27. Maioritas Ecclesiae. Vera *iuridica* relatio inter utramque societatem, cum *nullam* esse repugnet sapientiae Dei qui

---

[1] *Leo XIII,* enc. *Immortale:* «Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, *ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica,* magnus et perniciosus est error». Quae sane sunt omnia corollaria separationis. Et *Pius X,* enc. *Vehementer:* «naturae ius gentiumque violat,... constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae, iustitiam evertit... graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, episcoporum ordinem, clerum et catholicos Gallos offendit» (l. ç.); *Böckenhoff,* 142 ss.

[2] Quare catholici quoque, alicubi, pro separatione suffragium tulerunt. — Ad rem *Leo XIII* in encycl. 16 febr. 1892 ad omnes Galliae catholicos: «Cette situation se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux et graves inconvénients offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une héreuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent pas justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à la defendre, rendent cependant digne de tolérance un état de choses qui, pratiquement, n'est pas le pire de tous».

[3] *Sägmüller,* Trennung von Kirche u. Staat in *Staatslexicon,* V (1912), 514 ss. *Böckenhoff,* 138 ss.

« vel in rebus physicis naturales vires causasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili »,[1] inveniri debet respiciendo ad utriusque naturam habitaque ratione excellentiae et nobilitatis finis. Qua in re Ecclesiae spectare *primatum* aeque certum apparet, ac certum est salutem hominis aeternam felicitati temporali esse praeferendam.[2]

Cum autem res et actiones *temporales* saepe, sive necessitate id eveniat sive arbitrio, respectum contineant ad finem spiritualem, quia eidem assequendo *aut* medium sunt quod requiritur *aut* obstaculum quod officit, plane sequitur ut, non quidem directe et absolute sed *per accidens*[3], societas religiosa *ius* habeat, alterius cuiusque iuri *praevalens*, quatenus haec hypothesis datur, providendi propriae conservationi ac integrae assecutioni proprii finis.[4] Quod ius sponte quoque derivatur tum ex *mandato*, quod Ecclesiae commissum est, custodiendi et urgendi totam legem divinam, tum ex *obligatione*, qua omnes homines devinciuntur, conformandi huius legis praeceptis nedum actiones vitae privatae sed vitae publicae quoque et socialis. Idcirco cunctae res humanae, utut temporales, sub hac luce consideratae, subsunt Ecclesiae.[5] Unde Status aut ab eisdem ordinandis penitus abstinere, aut eas ita ordinare debet, ut cum Ecclesia conflictus non oriatur;

---

[1] *Leo XIII.* enc. *Immortale*, § Sed quia utriusque (ed. cit. II, 152).

[2] *Matth.* 16, 26: « Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? ».

[3] *Casualiter* dicit Innoc. III (c. 13, X. 4, 17): « Certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno iuri praeiudicare velimus ».

[4] *Pius IX*, Syll 42: « In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet (*Denz.* 1742); *Leo XIII*, encycl. *Sapientiae christianae*, § Nihilominus (ed. cit. IV, 8). Quidam huc referunt etiam Syll. 24: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam ». At num iste sit sensus propositionis non certo constat.

[5] « Ratione peccati », *Innoc. III* in c. 13, X. 2, 1. cf. can. 1553 § 1 n. 2. Animadvertendum agi de peccato *externo* et societati religiosae magnum damnum atque imminens periculum afferente. *Laurentius*, o. c. 958. — Vide etiam Syll. 54 et 57 (*Denz.* 1754, 1757); schema *Conc. Vat.* constit. de Ecclesia (*Coll. Lacensis*, VII, Friburgi 1890, 574,575): « necessaria morum regula sicut pro subditis ita pro imperantibus *etiam in ipsorum muneribus* administrandis est lex Dei iubentis. De ipsa autem agendi norma *iudicium*, quatenus de morum honestate, de licito vel illicito statuendum est, pro *civili* etiam *societate publicisque negotiis* ad supremum Ecclesiae magisterium pertinet »; *Pius X* in alloc. *Primum*, 9 nov. 1903 (AS XXXVI, 195): « Pro munere autem tuendae veritatis christianaeque legis, Nostrum necessitate erit... universos singulos, neque solum qui parent, sed et qui imperant, utpote omnes eodem *Patre* prognatos, in privata *publicaque* vita, in *genere etiam sociali et politico* ad honestatis normam regulamque dirigere. Utique intelligimus nonnullis offensionem fore, quod dicimus, curare Nos rem politicam oportere. Verum quisque aequus rerum iudex videt, Pontificem a magisterio, quod gerit, fidei morumque nequaquam posse potiticorum genus diiungere ».

absurdum est enim subditum eodem tempore et circa eamdem rem duabus contrariis legibus obligari.

Haec est quae dicitur Ecclesiae *potestas indirecta.* Veram iurisdictionem includere, idest non tantum facultatem declarandi legem moralem, monendi, exhortandi *(potestas directiva)*, sed etiam iubendi, iudicandi, irritandi actus contrarios, coercendi, perspicuum est; nam *haec* dumtaxat etiam in nolentes efficax est, altera media fini spirituali necessaria bonae vel malae voluntati hominum remittit.

1. *Doctrinam* potestatis indirectae *scientifice* proposuit, explicavit, defendit praesertim Bellarminus.[1] Qui tamen non est eiusdem inventor, nam satis probatum est *tum* Patres, *tum* theologos ante Tridentinum, *tum* sequentes fere omnes eam docuisse,[2] quamvis nomen et praecisa delimitatio demum post saec. XVI in communem usum transierint. Celebres *decretales* Innoc. III et Bonif. VIII in C. J. C. receptae (*Novit*, c. 13, X. 2, 1: *Per venerabilem,* c. 13, X. 4, 17: *Venerabilem,* c. 34, X. 1, 6; *Unam sanctam,* c. 1, Extrav. comm. 1, 8) ostendunt *hanc* sibi Pontifices medii aevi vindicasse. *Scriptores* vero illius temporis consueverant relationes inter Ecclesiam et Statum describere comparatione solis et lunae, auri et plumbi, animae et corporis.[3]

2. *Exercitium* autem huius potestatis Ecclesia, pro re nata, vel a primaeva aetate usurpavit. Vetustissimae enim sunt prohibitiones fidelibus factae abstinendi a quibusdam muneribus vel negotiis saecularibus, reprobationes legum imperialium et alia huiusmodi.[4] Mediis saeculis, conditiones populorum et societatis effecerunt ut amplissimus esset eius usus. At modernis quoque temporibus Pontifices, ubi necesse fuit, ab ea exercenda non abstinuerunt, ex. gr. *Pius IX* sollemniter reprobavit et irritavit leges interconfessionales austriacas et leges anticatholicas borussicas, *Pius X* similiter leges separationis gallicam et lusitanicam.[5]

At dum certum est principium, controversia manet de *ambitu* potestatis. Apte advertit aliquis «Ecclesiam, quae potestatis indirectae sen-

---

[1] *De Romano Pontifice* (in opere *De controvers. fidei,* t. I, l. V); *De membris Ecclesiae* (ibid. l. III); *De translatione imperii Romani a Graecis ad Francos* (omnes 1589); *Tractatus de potestate R. P. in rebus temporalibus contra Guil. Barclaium* (1610).

[2] Testimonia Patrum ap. *Tarquini,* 50; theolog. praesertim ap. *Hergenröther,* o. c., 427 ss.

[3] Comparatio animae et corporis, iam ab antiquis Patribus adhibita, pluries occurrit etiam in encycl. Leonis XIII.

[4] *Callistus* (217-222) qui legem prohibens matrimonium ingenuae cum servo abrogavit *(Kirch,* Enchiridion font. hist. eccl. antiq.[3] Friburgi 1914, 233); *Tertull.* De idolol. cc. 17-18, Apol. c. 46; *Conc. Illib.* 300, cc. 20, 56, 62; *Conc. Arelat.* 314, c. 7 *(Kirch,* 334, 343, 370); *Greg. M.* (590-604) ep. ad Maurit. imper. 65, 66,

[5] Alloc. 22 iun. 1868 « vehementer reprobandae et damnandae.... abominabiles leges... nullius roboris fuisse ac fore » (AK XX, 170); enc. *Quod numquam,* 5 febr. 1875, contra leges maii in Borussia, quae « irritae » declarantur (AK XXXIII, 373); enc. *Vehementer,* 11 febr. 1906 « Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem reprobamus ac damnamus « (AS XXXIX, 12 ss); enc. *Iam dudum,* 24 maii 191! « pro apostolica auctoritate Nostra improbamus, damnamus, reiicimus,... quidquid ibi contra inviolata Ecclesiae iura statutum est, nullum atque inane et esse et habendum esse edicimus et denuntiamus » (A. III, 217).

tentiam retinuit explicationibus (et forte magis adhuc *applicationibus)* Bellarmini renuntiasse ».[1] Hic nulla habetur authentica declaratio. Conc. Vatic. in suo schemate constitutionis *de Ecclesia* generaliore formula utebatur, in qua potius magisterio quam iurisdictioni insistebat.[2]

3. Res istae, in quas indirecta potestas cadit, plerumque vocantur *mixtae.* Appellatio est aequivoca, unde etiam mira varietas in definiendo quaenam mixtae sint. *Sensu proprio* tales dicendae essent eae, quae natura sua vel saltem destinatione, relationem habent simul ad utrumque finem. At *sensu lato* eodem nomine saepe veniunt illae quoque quae, licet per se ad unam societatem pertineant, *sive* consuetudine *sive* iure historico *sive* conventione ab utraque in concordia aut ab altera praeventione ordinari consueverunt. Patet quamcumque rem temporalem fieri posse mixtam (per *accidens)* si connexionem accipiat cum fine spirituali.

4. *Potestatem* mere *directivam* agnoverunt et omnibus viribus diu defenderunt *Gallicani,* inter quos eminet Bossuet. Artic. 1 declar. cleri Gallicaui (1682), in quo dicitur: «Reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae *directe* vel *indirecte* deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse» damnatus est ab Alex. VIII, const. *Inter multiplices,* 4 aug. 1690.[3] Practice inter conclusiones docentium potestatem directivam et potestatem indirectam, praesertim si agitur de iure divino, non est plerumque magnum *discrimen,*[4] at theoretice profecto essentiale. Concedendum est etiam saepe ad finem Ecclesiae assequendum sufficere potestatem directivam, quod si fiat, ipsa, praecipue nostra aetate, hac uti praefert.[5]

5. Attenta civitatis origine et fine, eiusque ad Ecclesiam relatione, secundum principia catholica, consequitur: *a)* Nequit Status *Divinitatem* penitus negligere, tamquam non esset *(Status atheus).*[6] *b)* Sed ne omnes quidem religiones *promiscue* admittere potest ut aeque bonas *(Status indifferens, aconfessionalis).*[7] *c)* Imo habet obligationem *veram* religionem agnoscendi, eam *suis* mediis promovendi, Ecclesiae auxilium, si invocetur, praestandi *(brachium saeculare).*[8] *d)* At non improbatur Status qui, ob necessitatem boni publici, plures religiones aequali ratione tueatur *(Status paritarius),* aut etiam libertatem conscientiae et cultus omnibus subditis concedat *(tolerantia politica).*[9]

---

[1] *Rivet,* 146.

[2] *Concilii Vat.* schema const. *de Eccl.* v. supra p. 40, n. 5.

[3] *Denzinger,* 1322 et 1326.

[4] *Hergenröther,* 455 ss.

[5] Neque moderni quoque desunt canonistae, qui hanc semper sufficere innuunt. cf. *Sägmüller,* 46; *Böckenhoff,* 94, 109 ss.; *Scherer,* I, 53.

[6] *Leo XIII,* enc. *Immortale Dei:* «Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere» (ed. cit. II, 149); enc. *Sapientiae christianae,* § Quod autem (ed. cit. IV, 6); enc. *Libertas,* § Eadem libertas (ed. cit. III, 109).

[7] *Pius IX,* Syll. 77-79 *(Denz.* 1777-1779); *Leo XIII,* enc. *Immortale,* l. c.

[8] *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 20 de ref; can. 2198.

[9] *Leo XIII,* enc. *Immortale Dei,* § Haec quidem (ed. cit II,. 161); enc. *Libertas* § Nihilominus materno (ed. cit. III, 115).

IV. HISTORICA RELATIO INTER ECCLESIAM ET STATUM.

28. In imperio Romano (-476). 1. Tribus prioribus saeculis suae historiae, Ecclesia in imperio Romano *proscripta* erat. Christiani gravissimas persecutiones, a Nerone (64) usque ad Diocletianum (303-312), perpessi sunt. Quamvis enim Romani in admittendis alienis superstitionibus liberalissimi essent, ab omnibus tamen exigebant ut numen imperatoris *cultumque politicum* reipublicae non respuerent. Quod cum christiani facere nequirent, eo ipso criminis *maiestatis* arguebantur, licet aliunde fidelitatis et obedientiae erga potestatem civilem eximia exempla praeberent. Magistratus eos, sive ordinaria iurisdictione (coercitione) sive vi peculiarium principum edictorum,[1] insectabantur; eorum *collegia* erant *illicita*, eorum bona publicata, mors aut exilium eis frequentissime illata. Omnia tamen patienter sustinuerunt, numquam restiterunt, martyrium pro libertate libenter oppetiverunt. Proscriptio *iuridice*, his saeculis, semper viguit, practice vero, per intervalla, christiani tolerabantur, imo eorum corpora uti societates facti acquirere, possidere et agere potuerunt.[2]

Ecclesia autem, plena interna libertate fruens, suam vitam, organizationem, ius, instituta omnino independenter a civili auctoritate evolvere potuit.

Haec antiquissima aetas maximi momenti est in historia iuris canonici, cum dilucide appareat quomodo Ecclesia, a Statu penitus separata imo oppressa, suae *perfectionis* iuridicae conscientiam habuerit et omnes eas res, quas suo fini necessarias putavit, iure proprio etiam contra leges ordinaverit. Sed, vicissim, ipsa nihil molita est ut auctoritatem

---

[1] Quodnam fuerit *fundamentum iuridicum* persecutionum, disputant historici. Certum videtur ob crimina iuris communis, non excepto sacrilegio, paucos fuisse damnatos, utrum autem ex speciali lege *(institutum Neronianum)* an potius vi amplissimae *l. Iuliae maiestatis* et politicae potestatis *coercitionis* vexati sint, nondum constat; at prima sententia maiora suffragia hodie colligit. Inde a tertio saeculo vero nullum dubium est ipsum christianismum crimen constituisse. cf. *Semeria*, Il primo sangue cristiano[2], Roma 1907, 171 ss.; *Allard*, Dieci conferenze sul martirio, trad. Radaelli, Roma 1912, 71 ss.; *Idem*, Martyre in *Dict. apol.* III, 346 ss.; *Idem*, Les persécutions et la critique moderne, Paris 1910, 35 ss.; *Batiffol*, Église naissante, 21 ss.; *Funk*, Lehrbuch der Kircheng.[6] Paderborn 1911, 47.

[2] Theoria a de Rossi proposita, a Mommsen, Allard multisque aliis approbata, quae supponit christianos *civiliter* egisse sub forma *collegiorum tenuiorum*, a moderna critica non amplius admittitur, sed probabilior videtur opinio (Duchesne, Batiffol etc.) in textu allata. *Giobbio*, Chiesa e Stato nei primi secoli del cristianesimo, Milano 1914, 188 ss.; *Allard*, Persécut. 43 ss. *Batiffol*, 41 ss.; *Duchesne*, Storia della Chiesa antica, I (Roma 1911) 213 ss. (in indicem rel.).

civilem, eamque ethnicam et hostilem, in eius ambitu deturbaret: potius vero aperte *officia civium* erga rempublicam et agnovit et commendavit.[1]

2. Constantinus, edicto Mediolanensi (313), libertatem *omnium* religionum proclamavit.[2] Per hoc christianismus fiebat *religio licita*, reliquis *aequiparata*, omnibus legitimis iuribus praedita. At mox favores, privilegia, influxum in civiles leges, potiores partes in vita publica obtinuit, dum ethnicismus neglectus, auxiliis destitutus inde ab a. 324 nonnisi religio *tolerata* fuit. Successores, Iuliano excepto, eadem via perrexerunt; Theodosius christianam religionem, quam episcopus Romanus teneret, esse *religionem Status* decrevit (380), unde iam haeretici et schismatici delicti in rempublicam rei habebantur, a. 392 sacra deorum prohibuit, sub poena laesae maiestatis.[3]

At mirabilis Ecclesiae triumphus et arctum cum civitate foedus initum non in omnibus faustum fuit. Nam imperatores, qui titulum pontificis maximi deposuerant (382) et *advocatos* Ecclesiae, *episcopos externos* vocari malebant, Romanae traditionis religionem ad ius publicum revocantis haud obliti, statim cum protectione dominatum in spiritualibus coniungere studuerunt, quae libido eousque processit ut libertas Ecclesiae in maximum discrimen veniret et, nedum leges disciplinares, vel decreta dogmatica imperialibus constitutionibus promulgarentur.

Quam arrogantiam *Patres* (Hosius, Hilarius Pictav., Lucifer Calarit., Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nissenus, Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus) et *Pontifices* (Leo M. Gelasius I, Gregorius II, Nicolaus I) viriliter rettuderunt.[4] Eorum protestationes *classica* exhibent documenta, cum nunc primum quaestio relationis inter Ecclesiam et Statum christianum proponeretur. Atque in Occidente, ubi aula longinquior influxus Sedis Apostolicae maior erat, caesaropapismus byzantinus praevalere non potuit, in Ecclesia Orientali vero perpetuis dogmaticis contentionibus dilacerata et ab ambitiosis vel debilibus episcopis administrata, paulatim plenam in eam servitudem adduxit, quam schisma consummavit.

---

[1] Quomodo christiani sentirent de republica ostendunt: *Paulus*, Rom. 13, 1-7; *I Petri*, 2, 13-15; *Clem. Rom.* oratio univers. (*Kirch*, 14-16); *Iustinus M.* Ap. I, c. 17; *Melito* (ap. *Euseb.* Hist. Eccl. IV, 26, 7); *Tertullianus*, Apol. cc. 30 ss.; *Origenes*, Contra Celsum, III. 7 (*Galante*, Fontes iuris can. selecti, Oeniponte 1906, n. 18) aliique. Unde persecutio ob «rationem Status» fuit, praeter iniustitiam, etiam insignis error.

[2] Textus ap. *Kirch*, 350; *Galante*, 21.

[3] l. 2, Cod. Theod. 16, 1; l. 6, C. Th. 16, 5; ll. 4, 5, 6, 12, 25, C. Th. 16, 10; C. Iust. l. 1, tt. 7, 9; (*Kirch*, 828, 834, 1017; *Galante*, 25).

[4] Eorum verba afferuntur in omnibus tractatibus iuris publici, ex. gr. *Cavagnis*, I, 221 ss.

29. In societate medii aevi (476-1300). **1.** Ecclesia barbaros, qui imperium occidentale everterant, educavit. Inde ingens eius *auctoritas moralis* et diuturnus *influxus* quem in leges, instituta, mores exercuit. Sed vicissim ipsa quoque, quamvis viveret lege Romana, opinionibus et consuetudinibus novorum populorum indulgere debuit, quae causa fuit ut multa *elementa Germanica* in ius canonicum reciperentur. Relationes inter Ecclesiam et hos populos, postquam ab arianismo vel ab ethnicismo conversi sunt, mox intimae fuerunt, praesertim in *regno Francorum*, ubi episcopi et abbates magnam partem in regimine publico obtinebant, reges suam potestatem ad tuendam et promovendam religionem conferebant (concilia mixta, capitularia, iudicia synodalia). Clerici terras, privilegia, immunitates assecuti sunt, praelati regii ministri ac principes cum iurisdictione temporali paulatim evaserunt.

Quae rerum conditio sponte sane secumferebat, ut *auctoritas civilis* sibi quoque in negotia et personas ecclesiasticas *iura* tribueret et de facto exerceret, eo magis cum nondum ius canonicum universale existeret, sed singulae *ecclesiae nationales*, quin tamen Romanum primatum negarent, propriis legibus et moribus disciplinam moderarentur.

Arcta haec necessitudo utriusque potestatis a stirpe Carolingica maxime exculta est, eaque per istitutionem *Sacri Romani Imperii* ac coronationem Caroli M. a Leone III (800) peractam suum complementum accepit.

In mente Pontificum *R. Imperium* fuit dignitas quae electo munus et officium *protectoris* ac *defensoris* iurium Ecclesiae tribuebat. Ideo ipsi sibi eius confirmationem et coronationem, per quam potestas conferretur, vindicabant. In mente imperatorum, e contra, vel ab initio uti videtur, opinio fuit imperium continere universalem quandam *iurisdictionem* in populos christianos et aliqualem praeeminentiam etiam in Ecclesia. Papa et Caesar sibi invicem *iusiurandum fidelitatis* praestabant. Fundamentum institutionis erat idea unitatis regni Christi in terra, reipublicae christianae. Cuius duae erant supremae potestates, quae se invicem adiuvare tenebantur, R. Pontifex in spiritualibus, Imperator in temporalibus. Ex quo principium medioevale: qui hostis est Ecclesiae civitatis quoque hostis est, qui civitatis Ecclesiae.

2. Iam aevo Carolingico *potestas civilis*, cum detrimento ecclesiasticae libertatis, *praevalere* coeperat. Sequentibus saeculis (X-XI), evolutione progrediente, res celeriter in peius

ruere. Mox Praelati fere omnes, saecularibus negotiis prorsus implicati, principes et duces potius quam pastores facti sunt, ecclesiastica bona ad modum feudorum redacta, eadem a regibus et dominis temporalibus libere distributa, saepe etiam laicis diripienda et vastanda commissa, procuratio ecclesiarum quasi munus esset civile considerata, sedes episcopales et ipsa sedes apostolica arbitrio imperatoris (inde ab Ottone I) provisae, *omnimoda servitus* Ecclesiae vel per illud sancita, quod nedum iurisdictio temporalis sed et spiritualis per *laicalem investituram* conferretur. Quod et in minoribus beneficiis minores dominatores faciebant; idem in Gallia, Anglia, Hispania reges et proceres sui iuris esse contendentes haud dissimili ratione agebant. Cui ruinae eo minus remedium suppetere videbatur, cum eam comitarentur venalitas, morum corruptio, simonia in omnibus gradibus hierarchiae.

3. *Libertatem* Ecclesiae *vindicandam* suscepit Gregorius VII (1075-1085), atque ingenti pugna ab eius successoribus continuata finis obtentus est (Pactum Callistinum 1122).[1] Quae victoria R. Pontificibus tantam attulit auctoritatem ut eo tempore ad fastigium suae potentiae revera pervenerint: Alex. III, Innoc. III, Innoc. IV, Gregorius IX, licet vehementes interdum principum contradictiones suscitaverint pluresque cum eis certamina habuerint, tamquam arbitri Europae decernere poterant. Numquam, neque antea neque postea, Ecclesia tam magnum et efficacem exercuit in res temporales influxum, qui ex eo quoque augebatur, quod multa regna relationes feudalitatis cum Sede Apostolica inierant.

Pontificis et Imperatoris potestas imagine *duplicis gladii* figurabatur.[2] Cuius explicatio tamen *duplex* erat. Theoria *guelfica*[3] docebat utrumque gladium a Deo Pontifici, suo in terris vicario, in origine commissum esse, imperatorem ab illo temporalem habere. Unde imperator est vassalus Papae (officium *strepae* et *stratoris*), principes ex mera eius concessione ius eligendi exercent, electionis et electi examen ad Pontificem pertinet, ad eumdem devolvitur vicariatus imperii, ipse potest imperatorem deponere. Secundum theoriam *ghibellinam*,[4] e contra, gladius materialis immediate imperatori est datus, quo uti quidem debet

---

[1] *Galante* 53.
[2] cf. *Luc.* 22, 38; *Bonif. VIII*, const. *Unam sanctam*; *Hergenröther*, 129 ss.; 300 ss.
[3] *Schwabenspiegel* (ca 1275).
[4] *Sachsenspiegel* (ca 1230).

ad defensionem Ecclesiae, at secus omnino independens est atque ex propria vi potestate in saecularibus potitur. Consecratio et coronatio nonnisi caeremoniae sunt, imperator nequit deponi nisi ab electoribus.

30. In exorientibus Statibus nationalibus (1300-1517).

1. Bonifacius VIII (1294-1303) fuit ultimus magnus Pontifex medii aevi, qui locum et auctoritatem a suis praedecessoribus acquisitam conservare, totis viribus at frustra, nisus est. Eius controversia cum Philippo Pulchro, rege Galliae, infelicem exitum habuit. Iam enim nova aetas advenerat; *conscientia nationalis*, quae nunc primum evolvebatur, potestati civili tantum roboris afferebat, ut haec non solum se liberam omnino sentiret, sed etiam Ecclesiae mancipandae idoneam. Quod, haud multo post, patuit in *exilio Avenionensi* (1309-1376). In *Germania* vero pugna inter Ioannem XXII et Ludovicum Bavarum utramque partem confecit et illum tulit effectum, ut Sedi Apostolicae subtraherentur ea iura, quae in imperium hucusque habuerat (declaratio *Rensensis* 1338). In *Anglia* denique evolutio, quae per *Magnam Chartam* (1215) ab Innoc. III reprobatam incoeperat, non amplius sisti potuit.

Ex hoc tempore sunt prima opera, quibus *scriptores* imperialistae caesaropapismum systematice propugnandum susceperunt. *Guilelmus de Occam* († ca 1349) negavit quamlibet temporalem potestatem Ecclesiae et divinam primatus institutionem.[1] At praesertim duo professores Parisienses, *Marsilius Patavinus* († ca 1340) et *Ioannes de Ianduno* († 1328), in celebri libro *Defensor pacis* novam theoriam proposuerunt. Negata est hierarchia, primatus, potestas coactiva et facultas bona temporalia possidendi; tota iurisdictio spiritualis concredita est immediate ipsi populo christiano, hic est «legislator humanus fidelis», penes quem radicitus semper manet, delegatur tamen pastoribus mediante imperatore, qui eius usum invigilare et moderari debet, Papam corrigere, instituere destituere punire potest. Hos nominatim excommunicavit, errores ut haereticos proscripsit Ioannes XXII, const. *Licet.* 23 oct. 1327.[2]

Ex adverso, haud minus absonas doctrinas protulerunt fautores *potestatis directae*, de quibus iam diximus (n. 24).

2. Dominatio laicorum in Ecclesia, dum haec propter *magnum schisma* (1378-1407) et controversias *conciliares* in dies magis debilitabatur, exinde adeo progressa est, ut fere absoluta evaserit. In Gallia systema, serius *regalismus* vocatum, sub nomine libertatum ecclesiae Gallicanae in *Pragmatica*

---

[1] *Dialogus inter magistrum et discipulum de potestate imperiali et papali* (1342-1343).

[2] *Denzinger*, 495-500.

sanctione Bituricensi (1438) ab omnibus regni ordinibus sollemniter sancitum est;[1] reges ius *placet*, recursus ab abusu, regaliae, spolii etc. sibi tribuerunt et exercuerunt. In Germania, collapso iam reapse imperio, principes territoriales, sive erant ecclesiastici sive laici, auctoritatem pontificiam penitus excludentes, ius in spiritualibus pro lubitu omnia decernendi sibi usurpaverunt. Privilegia, immunitates, iurisdictio ecclesiastica coarctata sunt. Quibus studiis spiritualem et civilem potestatem permiscendi, concilium *Constantiense* (1414-1418) et *Basileense* (1431-1445) nedum obstabant, quin potius favebant, vel saltem opportunam occasionem praebebant. Quare ut saltem *principium* ecclesiasticae auctoritatis agnosceretur, R. Pontifices eo denique devenire debuerunt, ut initis *Concordatis* (Conc. Francofurtiensia 1447, Conc. Vindobonensia 1448, Conc. Leonis X cum Franc. I 1516) principibus ea iura, quae sibi iam arripuerant, concederent.

31. A reformatione usque ad revolutionem Gallicam (1517-1789). Hucusque *una* in tota Europa religio, *una* societas christiana fuerat. Hanc unitatem *reformatio* disrupit et integros populos ab antiqua Ecclesia separavit, simulque, sublata hierarchia iuris divini, principibus vel in sacris gubernandos tradidit (cf. nn. 7 et 25). Eumdem summum episcopatum territorialem catholici quoque principes sibi vindicare nisi sunt et, durantibus bellis religionis saec. XVI-XVII, de facto obtinuerunt (« Cuius regio, eius et religio »).[2] Interim regia auctoritas in rebuspublicis in immensum augebatur et prorsus illimitata ac *absoluta* fiebat. Quo in regimine omnia iura publica et privata eatenus valere censebantur, quatenus monarchae aut ratione aut arbitrio probarentur. Non secus de iuribus Ecclesiae iudicatum est; et haec quidem aetas fuit, in qua maximam servitutem toleravit.

Eodem tempore iuristae et canonistae aulici varia systemata *(Regalismum, Febronianismum, Iosephinismum)* excudebant, quibus destructionem libertatis ecclesiasticae et innumera iura circa sacra et in sacra theoreticis argumentis defenderent.

---

[1] Alia Pragmatica Sanctio, quae a S. Ludovico IX a. 1269 lata dicebatur, est documentum spurium. *Funk*, 533. Prima proclamatio libertatum ecclesiae Gallicanae in syn. nationali Parisiensi, 18 febr. 1407, facta est et in acta parlamenti d. 15 maii 1408 relata.

[2] *Innoc. X*, const. *Zelo domus Dei*, 20 nov. 1648, contra pacem Westphalicam remonstravit cf. *Hergenröther*, 703 ss.

1. *Regalismus* (etiam *Gallicanismus* nuncupatus) est ulterior evolutio principiorum Pragmaticae sanctionis Bituricensis.[1] Iam sub fine saec. XVI, *Petrus Pithou* († 1596) libertates ecclesiae Gallicanae in quemdam codicem 83 articulorum redegerat.[2] Omnes sequuntur ex duobus axiomatibus fundamentalibus: *a)* Reges independentes sunt a Pontifice in temporalibus, *b)* Potestas pontificia limitatur per sacros canones, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta. Auctoritati civili pertinet ius *invigilandi* (droit de surveillance) et ius *influendi* (droit de l'influence).

Singillatim reges Galliae possunt: concilia nationalia convocare, leges et decreta de spiritualibus ferre, legatos Sedis Apostolicae ab iurisdictione exercenda interdicere, episcopos ne fines regni egrediantur vetare, ad dignitates et officia ecclesiastica nominare, magistratus ecclesiasticos punire, *placet* concedere vel negare, appellationem *ab abusu* recipere, ad concilium oecumenicum contra Papam appellare etc.

Quae principia multi scriptores, doctrinae et historicae eruditionis haud expertes, imo quidam magni nominis [*Edm. Richer* (1560-1631);[3] *Petrus de Marca* (1594-1662);[4] *Ioannes Launoy* (1603-1678);[5] *Petrus Dupuy* (1582-1651);[6] *Carolus Fevret* (1583-1661);[7] *Steph. Baluze* (1630-1718),[8] *Paschas. Quesnel* (1634-1719); *Ludov. Dupin* (1657-1719);[9] *Iac. Benignus Bossuet* (1627-1704)][10] aperte et data opera sustinuerunt; Parlamenta et Universitas Parisiensis strenue et pertinaciter defenderunt, denique clerus nationalis in celebri declaratione a. 1682 sollemniter proclamavit.

Quae quidem ab Alex. VIII reprobata est,[11] at nihilominas regalismus practice viguit usque ad initium saec. XIX.[12] Imo, praesertim cum Iansenistae ei faverent, ultra fines Galliae, in Belgio[13] et in Italia, summo studio exceptus (syn. Pistoriensis, 1786)[14] et etiam in alias regiones (Germaniam, Hispaniam), sub aliis nominibus sed eadem ratione, transertus est.

2. *Febronianismus* nomen repetit a Nicolao de Hontheim, ep. coadiutore Trevirensi (1701-1790) qui sub fictitio nomine Iustini Febronii li-

---

[1] Cohaeret autem etiam cum motibus conciliaribus et studiis ampliandi episcoporum a Sede Apostolica independentiam saec. XV.

[2] *Les libertez de l'Église Gallicane,* Paris 1594; opus valde celebratum.

[3] *Tractatus de ecclesiastica et politica potestate,* Parisiis 1611.

[4] *De concordia sacerdotii et imperii seu de libertatibus ecclesiae Gallicanae,* Parisiis 1641.

[5] Huius 27 opera adhuc in Indice libr. prohib. recensentur.

[6] *Preuves des droits et libertez de l'église Gallicane,* Paris 1639.

[7] *Traité de l'abus,* Dijon 1653; opus praecipuum de hac materia.

[8] Amicus et editor op. P. de Marca.

[9] *Traité de la puissance ecclesiastique et temporelle,* Paris 1707.

[10] *Defensio declarationis cleri Gallic.* (scripta 1682) edita Luxemburgi 1730. — *Franc. Fénelon* (1651-1715) in suo opere *Dissertatio de auctoritate summi Pontif.* negat potestatem indirectam, concedit directivam; ceterum inimicus erat «servitutum gallicanarum»; aliud opus ei tributum *Sur les libertés des Gallicanes,* Avignon 1790, pertinet ad Fleury.

[11] Const. *Inter multiplices.* 4 aug. 1690 *(Denz.* 1322-1326).

[12] Adhuc in *Articles organiques* Napoleonis I (1802). Imo ut «tendentia» Gallicanismus permansit usque ad Conc. Vatic.

[13] Praecipuus assertor fuit *Van Espen* († 1728) iansenismo infectus et magister Febronii.

[14] A *Pio VI,* const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, damnatus *(Denz.* 1501-1599).

brum edidit,[1] in quo regalismus, iansenismi et protestantismi quibusdam principiis admixtus, proponebatur. In negatione primatus, infallibilitatis et potestatis legiferae Sedis Apostolicae, quae tota a consensu populi penderet, Febronius ulterius progressus est ac Gallicani; iurisdictionem episcoporum extulit quidem, sed defensionem iurium ecclesiarum nationalium contra usurpationes R. Pontificis commisit principibus, quibus illimitatam et omnipotentem auctoritatem concedebat. Eius systema eo tandem tendit, ut *suprematia ecclesiastica territorialis*, qua principes protestantes absque contradictione fruebantur, etiam a catholicis agnosceretur et exerceretur.

Opus Febronii in indicem relatum est a Clemente XIII, 27 febr. 1764, doctrina iterato ab eo et ab eius successoribus reprobata,[2] auctor retractationem scripsit,[3] attamen Febronianismus late in Germania diffluere coepit et nedum plures canonistae sed ipsi principes electores ecclesiastici et archiepiscopus Salisburgensis (in *punctationibus Emsensibus* 1786) eadem principia protulerunt,[4] atque, quod peius fuit, haec legibus civilibus contra iura Ecclesiae, praecipue in Austria, sed etiam alibi (in Etruria, Neapoli), fundamentum constituerunt.

3. *Iosephinismus,* receptis theoriis febronianis circa R. Pontificem et constitutionem Ecclesiae, plurimum insistit principio *absolutismi* regii et plenitudinis territorialis potestatis, quae quamlibet aliam in Statu excludit, etiam in sacris. Unde auctoritas quoque episcoporum ad nihilum reducitur, ipsi nonnisi executores mandatorum principis sunt. Religio est instrumentum gubernationis, huic fini aptanda et, quatenus opus sit, in *accidentalibus* (scil. in omnibus quae non spectant ad fidem) etiam moderanda vel immutanda. Hinc illa *libido*, quae propria fuit huius systematis, cuncta *reformandi et ordinandi,* a maioribus (matrimonio, administratione dioecesium, ordinibus religiosis) usque ad minima (in cultu, liturgia, devotionibus popularibus). Quo in opere placita *illuminismi* et *pseudo-naturalismi* notabilem influxum exercuerunt.

Systema Iosephus II (1780-1790) ad apicem perfectionis adduxit, at ante eum iam praeformatum erat, et post eum, in Austria, usque ad a. 1848 duravit. Neque in aliis regionibus ignotum fuit (Hispania, Lusitania etc.). Peregrinatio apostolica Pii VI, qui Vindobonense iter suscepit (1782) ut imperatorem ab incoeptis averteret, incassum cessit.

32. Usque ad nostram aetatem. Magna revolutio Gallica effecit ut absolutismus subcessive in omnibus rebuspublicis loco cedere cogeretur. Novus conceptus politicus, qui tamen

---

[1] *De statu Ecclesiae et legitima potestate R. Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus.* Bullonii (at reapse Francofurtii) 1763. Iterum 1765. Huic accessit II, III et IV volumen 1770, 1772, 1774. A. 1777 compendium: *Iustinus Febronius abbreviatus.*

[2] cf. *Pii VI,* breve *Super soliditate,* 28 nov. 1786 *(Denz.* 1500).

[3] De eius bona fide merito dubitandum est (cf. *Schwane,* Febronianismus in *Staatslex.* II, 133-136). Tamen obiit cum Ecclesia reconciliatus.

[4] Quos *Pius VI* ad officium revocavit simulque iura S. Sedis late defendit in *Responsio ad metropolitanos Moguntinum, Coloniensem etc. super nunciaturis apostolicis.* Romae 1790.

nonnisi post a. 1848 praevaluit, libertati favorabilior, indirecte etiam Ecclesiae profuit, quae a multiplicibus vinculis regalismi exempta est. Non ita autem ut eius independentia perfecte agnosceretur, quin imo *liberalismus,* omnipotentiae Status haud tepidus cultor, non semel veteres usurpationes renovavit, persecutiones movit, ingentia Ecclesiae damna attulit. Ea vero, modernis temporibus, aliis prorsus mediis in vitam publicam influit ac antiquitus, *appellans* scilicet ad fideles, ut suas vires defendendis ecclesiasticis iuribus conferrent. Qua ratione auctoritas Ecclesiae in immensum aucta est, dum e contra civitates qua tales magis magisque tendunt ad solvendas historicas relationes, quae olim cum Ecclesia intercesserunt, eamque *excludere* nituntur ab omnibus illis institutis et activitatibus, quae Status uni sibi pertinere decernit (matrimonium, schola, opera pia etc. *Laicismus).*

Quamvis aliqua concordata adhuc vigeant, vel nova quoque inita sint, Status catholicus, sensu proprio, nullus amplius datur; ubique iam admittitur libertas conscientiae et cultus, complures sunt paritarii, alii omnino indifferentes, alii invexerunt separationem. Etiam *iurisdictiones saeculares,* quas R. Pontifex et multi episcopi habebant, omnes durante saec. XIX amissae sunt (Saecularizatio in Germania 1803; occupatio ditionis pontificiae 1861-1870). Sed quo magis temporalibus auxiliis destituebatur, eo intentius Ecclesia suas vires collegit, auxit et ad perfectiorem *unitatem* redactas immutabili fini suo, vel solis spiritualibus mediis, assequendo ordinavit *(spiritualizatio* et *centralizatio,* uti aiunt, iuris canonici).[1]

In *Germania* celebris est pugna quam catholici contra diram persecutionem principis de Bismarck sustinuerunt (*Kulturkampf,* 1871-1887). De ipsa vita aut morte Ecclesiae in illis terris res erat. Denique «modus vivendi» statutus est, ultima vestigia vero caesaropapismi borussici nonnisi revolutio a. 1919 de medio tulit.

In *Austria* concordatum anni 1855 gubernium inani praetextu denunciavit (1870) et intra a. 1867-1874 partes liberales leges condiderunt, quibus, episcopis et R. Pontifice frustra reclamantibus, ex arbitrio res

---

[1] cf. *Stutz,* Kirchenrecht[2] in *Holtzendorff-Kohler's,* Enzyklop. der Rechtsw.[7] V (Berlin 1914) 358 et passim in aliis eius operibus; *Hilling* in AK XCIV, 332; *Hörmann,* Zur Würdigung des vatikan. Kirchenrechts, Innsbruck 1917, 16 ss. Quae notae peculiares moderni iuris canonici, quibus ab antiquo distingui dicitur, dummodo recto sensu intellectae, non sunt fictitiae, ut vel ex C. patet.

ecclesiasticae ordinatae sunt. Sed cum paullo post catholici efficaciorem influxum in civitatem adepti sint et contentiones nationales gravissimas difficultates imperio attulerint, in executione modus servatus est et apertus conflictus devitatus.[1]

In *Gallia* concordatum Napoleonicum viguit usque ad a. 1904, cum a potestate civili violenter disruptum est. At iam inde ab a. 1901 respublica Ecclesiam vexare coeperat legibus contra congregationes religiosas et contra scholas christianas. Die 9 dec. 1905 lata est deinde *lex separationis* quae ita aperte divinae constitutioni Ecclesiae contradicebat, ut integre ne applicari quidem potuerit. Pio X cohortante, catholici fortiter restiterunt et nunc Ecclesia in Gallia est spoliata at libera. Similis rerum cursus in *Lusitania* quoque locum habuit (Lex separationis 1911).[2]

In *Italia* omnes antiqui Status erant regalismo addicti, tamen res ecclesiasticae conventionibus ordinabantur et sufficiens concordia cum S. Sede servabatur. At in *regno Subalpino* iam inde ab a. 1850, opera praecipue C. de Cavour, qui separationem Ecclesiae a Statu intendebat, vexationes contra ecclesiasticam libertatem incoeperunt. L. 5 iul. 1850 ius acquirendi limitatum est, l. 15 apr. 1851 abolitae decimae et aliae praestationes, l. 29 maii 1855 multi ordines religiosi suppressi, eorum bona fisco addicta. Quae leges, peracta nationis unitate, nedum aliis provinciis statim extensae sunt et concordata abrogata (1860-1866), sed insuper graviores accesserunt: lex 7 iul. 1866, n. 3096 qua omnes prorsus ordines, congregationes et *instituta regularia* supprimebantur, eorum bonis diremptis; lex 15 aug. 1867, n. 3848 quae idem statuebat quoad *instituta* ecclesiastica *saecularia*, exceptis dumtaxat episcopatibus, capitulis cathedralibus (12 canonici et 6 mansionarii tantum permittuntur), paroeciis, coadiutoriis, confraternitatibus (precario), fabricis ecclesiarum. Quorum omnium tamen bona immobilia *convertebantur*, exceptis beneficiis curatis; tertia pars patrimonii auferebatur; reliquae gravissima tributa imponebantur. Secundum modernum ius italicum existere proinde nequeunt: beneficia simplicia, capitula collegiata et receptitia, cappellaniae, fundationes cultus vel missarum. Pecuniae spoliationum attributae sunt peculiari instituto *(Fondo del culto)*, cui pertinent quoque reditus beneficiorum vacantium, a laicis officialibus *(economi)* administratorum. At cum aerarium saepe ex illius arcis hauserit, nihil fere amplius exstat, nisi ingens aes alienum. Simili modo *opera pia* (l. 17 iul. 1890, n. 6972) Ecclesiae erepta sunt, negato vel iure partes habendi in eorum administratione. Etiam confraternitates sub hac lege cadunt (a. 91). Principia generalia circa relationes inter utramque potestatem in l. 13 maii 1871, n. 214 statuuntur (cf. supra nn. 18 et 25); lege 19 iun. 1873 n. 1402 ad provinciam Romanam dispositiones ll. 1866 et 1867 aliquatenus emollitae extensae sunt.

---

[1] cf. pag. 41, not. 5.

[2] cf. supra n. 26. Alia documenta pontificia quae huc pertinent: *Pius X*, alloc. *Gravissimum*, 21 febr. 1906 (AS XXXIX, 30 ss); encycl. *Gravissimo*, 10 aug. 1906 (AS XXXIX 385 ss.); encycl. *Une fois encore*, 6 ian. 1907 (AS XL, 3 ss.); encycl. *Iam dudum*, 24 maii 1911 (A. III, 217 ss.); Congreg. Neg. Extraord. d. 12 sept. 1912 (A. IV, 645).

V. CONVENTIONES INTER ECCLESIAM ET CIVITATEM.

33. Notio. Perfectus ordo inter binas potestates habetur si utraque, *sua* exercens, *alterius* iura observat. At « alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint ».[1] Qui modus olim saepissime adhibitus est, hodie quoque haud paucarum civitatum cum Ecclesia relationes determinat. Unde aptum locum tractatio concordatorum hic habet.[2]

Concordatum[3] est igitur *conventio inter Ecclesiam et Statum, eorum relationes circa materiam quae utriusque interest ordinans, publico pacto inita.* Ineuntur ex *altera* parte a R. Pontifice, cum ea quae continent excedant regulariter competentiam episcoporum et pertineant ad causas maiores,[4] ex *altera* ab eo qui in civitate, secundum cuiusque constitutionem, ius habet paciscendi nomine publico, forte cum consensu comitiorum.

Conventio deinde, ut subditos obliget, tamquam lex ecclesiastica et civilis est promulganda. Quare etiam *hanc* rationem habet, quae iuridice per se stat usque ad explicitam abrogationem per aliam legem, et canonice constituit *ius particulare.*

Forma fere semper eadem est quae in reliquis pactis internationalibus usuvenit, interdum autem stipulatio facta est notis diplomaticis utrinque traditis et confirmatis. *Materia* vero summopere varia esse potest, cum aut singularia negotia, aut integra aliqua materia lato vel stricto sensu mixta, aut etiam universim cunctae relationes inter Ecclesiam et Statum, aliis et aliis conventionibus definita sint. Complurium, inter moderna concordata, ordinarium schema est: *a)* Civitas diserte agnoscit ea *iura et libertates,* quae Ecclesiae iam per

---

[1] *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei* (ed. cit. II, 153).

[2] Concordata possunt vero considerari quoque prout constituunt *fontem iuris* particularis et sub hoc respectu aliam sedem in dispositione materiae canonicae obtinere. cf. *Wernz,* I, 165. Et cum C. neque ius publicum neque ius particulare contineat, de eis ex professo non agit, sed incidenter tantum, postquam principium posuit (can. 3) ea intacta manere.

[3] Nomen non est authentice firmatum : in C. legitur *conventiones* (can. 3) *pacta conventa* (can. 255) *concordata* (can. 1471).

[4] Olim etiam Episcopi concordata iniverunt, hodie etiamsi vellent nequirent (cf. can. 255 et 263 n. 1).

se quidem spectant, sed ex hac sollemni proclamatione et ex promissione ea non violandi aliquam maiorem externam firmitatem obtinent; *b)* Ecclesia civitati quaedam privilegia concedit; *c)* Certa negotia, quae difficultatibus vel controversiis occasionem offerre possunt accurate ordinantur, saepe etiam res materiales, hinc inde aliquo dato ed accepto, componuntur.

Concordata non esse *iuridice necessaria,* ut Ecclesia finem suum adipiscatur, consequitur ex principio ipsi competere facultatem omnia media, quibus indiget, exigendi vel a suis subditis vel etiam a civitate, et in casu conflictus huic praevalendi; esse tamen valde *utilia* experientia tot saeculorum et sollicitudo qua S. Sedes conventiones init ostendit. Ceterum perspicuum est saepe per amicos tractatus ea obtineri posse quae per exercitium summi iuris non obtinerentur. Neque concordata necessario concludunt aliquam antecedentem pugnam, sed etiam ad eam praecavendam vel ad utriusque societatis commodum augendum iniri possunt et interdum inita sunt.

34. Obligatio et natura. *a)* Qui principium hegemoniae Status consequenter evolvunt logice inde deducunt concordatum non habere naturam veri pacti bilateralis, nec obligationem iustitiae civitati imponere. Omnia enim iura quibus Ecclesia fruitur a libera reipublicae concessione pendent et eousque valent quousque huic placeat; respublica vero, utpote quae ipsa sibi et causa et fons omnis potestatis est, in hac erga subditos exercenda nullo modo limitari potest, nisi propria lege. Unde, aiunt, concordatum est *lex civilis tantum,* quae Ecclesiam in territorio sane obligat, a civitate vero, uti quaevis alia, abrogari vel mutari potest *(theoria legalis).* Tamen huius sententiae assertores, qui haud pauci inter iuristas sunt, dum obligationem *iuridicam* Status negant, ultro admittunt *moralem* adesse, servandi fidem publicam. Hanc opinionem non maiorem auctoritatem habere quam fundamentum cui innititur, opus non est animadvertere.[1]

b) Indubium est inter catholicos, omnesque id affirmant, *iura divina* Ecclesiae esse *inalienabilia,* ita ut R. Pontifex neque se ipsum neque eo minus successores, per pactum, *valido* eorumdem usu privare possit. Hoc consequitur ex speciali natura illarum facultatum. Nulla e contra est difficultas

---

[1] *Pius IX,* Syll. prop. 43: «Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas sollemnes conventiones (vulgo concordata) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas sine huius consensu, immo et ea reclamante». *Denz.* 1743.

si R. Pontifex *obligationem* assumat, etiam nomine S. Sedis ideoque in successores transituram, non utendi suo iure nisi certo modo et sub certis conditionibus. Quae obligatio iam ratione dignitatis assumentis atque causarum ob quas assumitur gravis est, gravior fit quia interponitur *fides publici pacti.* Concordata autem esse *formaliter* pacta, cuique ea legenti patet.[1] Nomen, formulae,[2] clausulae,[3] declarationes ipsorum R. Pontificum[4] de hoc ambigere non sinunt. Ea in utraque parte obligationem producere et quidem *etiam vi pacti,* aeque exploratum est. Unde etiamsi Status plerumque iam aliunde teneatur praestare quae Ecclesiae promittit, haec *ex novo titulo* ius acquirit ea exigendi.[5] Sed Ecclesia quoque vinculo erga civitatem adstringitur, quo sese eximere licite non potest. Hunc respectum pacti bilateralis, qui concordatis inest, aliqui praeprimis in lucem ponere volentes, dicunt concordata esse contractus synallagmaticos *(theoria pactorum).*

---

[1] Editio authentica omnium concordatorum nuper prodiit: *Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le autorità civili 1098-1914,* Roma 1919.

[2] Eaedem ac in conventionibus internationibus.

[3] Conc. cum Franc. I, a. 1516, art. 27: «supradictam concordiam... veri contractus et obligationis inter nos et Sedem Apostolicam praedictam ex una, et praefatum regem et Regnum suum ex altera partibus, legitime initi, vim et robur obtinere», art. 28: «irritum et inane quicquid secus super iis vel eorum aliquo a quoquam quavis auctoritate et etiam per nos et successores nostros praefatos contigerit attentari, decernimus». — Sollemnes promissiones, omni tempore et inviolabiliter observandi quae statuta sunt, continentur in conventione pro Bohemia 1630, pro Sicilia 1741, pro Hispania 1753 («La Santità Sua in fede di Sommo Pontefice e Sua Maestà in parola di Re Cattolico promettono mutuamente, per sè medesimi ed in nome dei loro successori la fermezza inalterabile e perpetua sussistenza di tutti e ciascheduno degli articoli precedenti»), pro ducato Mediolan. et Mantuano 1784, pro republica italica 1803, pro Bavaria 1817, pro Sicilia 1818, pro Hispania 1851, pro Austria 1855 etc. Saepe statuitur regula, difficultates quae in interpretatione vel applicatione concordati oriantur collatis partium consiliis esse componendas. Conc. Hispan. art. 45, Austr. art. 35, Wirtemberg. art. 13, Badens. art. 24, Aequator. art. 24.

[4] *Iulius III:* Nos attendentes concordata praedicta (cum Germania) vim pacti inter partes habere, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogare non consuevisse nec debere»; *Pius VII* in conc. cum Ludov. XVIII: «Haec concordata habent vim veri contractus utrimque obligantis» (ap. *Wernz,* I, 165, not. 27): *Leo XIII,* ep. *Nobilissima Gallorum,* 3 febr. 1884, «Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem, publice aliquid constitutum est, tum profecto quod iustitiae interest, interest idem reipublicae, concordiam manere integram» in ep. ad archiep. Monach. 29 apr. 1889, de concordato Bavariae: «Cui ab altero e paciscentibus derogari vel abrogari nequit, altero ignaro abnuente»; in encycl. *Au milieu,* 18 febr. 1892: «Sur le maintien de ce pacte solennel et bilatéral toujours fidèlement observé de la part de Saint-Siège» (ap. *Cavagnis,* I, 669); *Pius X,* encycl. *Vehementer:* «Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset».

[5] Et in hoc est sane *utilitas* pro Ecclesia.

c) Verumtamen ex ipsa rei natura sequitur pactum nonnisi eam obligationem producere posse, quam *materia* patitur. Unde si de re agitur quae admittit contractum sensu proprio (et huiusmodi non tantum res materiales sed etiam iura acquisita esse possunt)[1] ac verba stipulationis non obstent, exurget obligatio *iustitiae commutativae;* si de re spirituali et inalienabili, obligatio profecto vera at alterius generis. Quod ceterum etiam de civitate asserendum est, si constet noluisse vel forte non potuisse ius strictum tribuere.[2] Concessiones ordinis spiritualis fere semper in concordatis continentur; cum has, iustissimis quidem ex causis, sed non quasi obiectum commutationis cum re temporali a Civitate oblata, Ecclesia tribuat, sua intima natura aequivalent privilegiis. Id considerantes et praeterea animavertentes Statum plerumque nihil in his conventionibus dare, quod iam antecedenter non debeat, alii canonistae concordata mera privilegia Ecclesiae vocant, eisque generalem doctrinam privilegiorum privatorum applicantes, interdum obligationem ea servandi in R. Pontifice nimis extenuant *(theoria privilegiorum).*

Duae, re vera, dicuntur esse, inter catholicos canonistas, circa naturam concordatorum, contrariae sententiae: *theoria pactorum* et *theoria privilegiorum.* At, saltem si de modernis scriptoribus agitur, potius in verbis et nominibus quam in re videtur dissensus inveniri. Sufficit ex. gr. conferre quae tradit Card. Cavagnis,[3] qui censetur potissimus inter theoriae pactorum recentiores assertores, cum iis quae proponit Wernz, qui haud obscure theoriae privilegiorum indulget,[4] ut quisque perspiciat unam esse, quoad substantiam, utriusque doctrinam. Nihil mirum: innititur enim principiis iuris publici, quae omnibus catholicis communia sunt. Unde forte tempus esset ut haec opinionum distinctio, quae interdum malevolis vel falsis interpretationibus ansam praebuit, in nostris tractatibus derelinqueretur. Indubium quidem est omnes antiquiores canonistas, quamvis accessoriam naturam pacti non excluderent, concordata privilegiis accensuisse,[5] non ideo tamen ipsi eorum obligationem in R. Pontifice eo modo infirmarunt, quo subinde aliqui novi fece-

---

[1] *Hammerstein,* 215; *Wernz,* I, 169, not. 80; *Cavagnis,* I, 659.

[2] *Hammerstein,* 211.

[3] o. c. I, 661 ss.

[4] o. c. I, 171 ss. Qui, haud secus ac Hammerstein, praeter diligentes distinctiones et lucidam expositionem, nihil novi affert, ideoque non est ratio eos, tamquam tertiae alicuius sententiae patronos (cf. *Rivet,* 209; *Bargilliat,* I, 161) exhibendi.

[5] Quod egregie demonstravit *Baldi,* De nativa et peculiari indole concordatorum apud scholasticos interpretes, Romae 1883 (lithogr.). Attamen non abs re erit animadvertere veteres illos canonistas agere exclusive de concordatis Germanicis, quae a modernis notabiliter diversa erant. cf. *Wernz,* I, 167.

runt.[1] Qui vero alteram appellationem praeferunt terminologia utuntur quae cum documentis pontificiis apprime congruit.[2] At sane, si dicitur pactum bilaterale, hoc non sumitur omnimode in sensu strictiore (synallagma). Quoad iura spiritualia enim exclusa est obligatio iustitiae *commutativae*.[3] Unde R. Pontifex in iis *valide* concordato derogaret. Hoc necessario concedendum est et ab omnibus conceditur. Assertores vero theoriae privilegiorum ulterius procedunt et dicunt: ex iusta causa etiam *licite*. Quod ex inalienabilitate iurium primatus necessario *non* consequitur atque cum declarationibus et protestationibus pontificiis non apte componitur. Nec concordatum simpliciter pactis internationalibus est aequiparandum, sed est *conventio generis singularis*, utpote inter duas potestates supremas quidem sed diversi ordinis inita.[4]

35. Interpretatio et cessatio. *a)* Ex natura rei, *interpretatio* collatis consiliis et mutuo consensu facienda est. Quod saepe expresse etiam in ipso pacto statuitur, et tunc vi conventionis quoque servandum est. Si autem partes non consentiant, ius praevalens indubie competit Ecclesiae, quia habetur conflictus in quo, secundum principia generalia, societas ordinis inferioris cedere debet. Praeterea Ecclesia est supremus iudex iustitiae et moralitatis.

b) Omnia pacta publica ineuntur sub tacita clausula «rebus sic stantibus». Unde si res incidat in eum casum a quo incipere non poterat, i. e. si materia fiat physice vel moraliter impossibilis, pactum eo ipso non tenet; quod profecto etiam de concordato, sive in favorem Ecclesiae sive in favorem Civitatis,[5] affirmandum est. Qua in re tamen distingui solent *articuli principales* et articuli *secundarii;* si illi non amplius sustineri possunt corruere censetur tota conventio, non item si isti, sed in principalibus pergit valere. Si *unus* principalis autem impossibilis fieret, causa haec esset illum mutandi vel revocandi, firma manente in ceteris conventione.[6]

---

[1] cf. definitionem *Tarquini*, 73, qui acerrimus fuit defensor theoriae privilegiorum: «Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum». Idem affirmat concordata privilegiis *gratuitis* aut ad summum *remuneratoriis* accenseri oportere; Principem posse, si iusta exigat causa, revocare privilegia personae subditae a se concessa, in iis autem Ecclesiam habere rationem principis, societatem civilem personae subditae (n. 82).

[2] cf. *Wernz*, I, 155, not. 27.

[3] *Wernz*, I, 171; *Cavagnis*, I, 662-663.

[4] *Wernz*, I, 165, not. 26; *Cavagnis*, I, 663; *Dudon*, Concordats in *Dict. apol.* I, 631 ss.

[5] Nisi tamen observatio cum detrimento temporali sit absolute necessaria pro bono spirituali. *Cavagnis*, 661.

[6] *Biederlack*, 80. At hoc principium, quoad conventiones internationales non est extra controversiam. cf. *Contuzzi*, Dir. internaz. 165 et 172.

Violatio concordati ab alterutra partium culpabiliter facta alteri ius tribuit illud vel suspendendi, vel rescindendi, vel etiam obligationem urgendi. Ecclesia quae, historia teste, fidelissima semper fuit in initis pactis adimplendis, dum Status saepe promissis defecerunt, hunc ultimum modum praefert et dispositiones concordati servat quousque possibile sit.[1] Denique interitu reipublicae, deficiente ex toto materia, mutuo consensu conventionem cessare; vi aut dolo extortam, errore substantiali infectam infringi posse, clarum est.

An Ecclesia, in casibus particularibus, possit nedum *valide* sed etiam *licite* concordato *derogare* in rebus spiritualibus et mixtis, ex iusta causa, quae tamen ad illud dissolvendum sufficiens non esset, quaestio est cum alia de natura concordatorum intime connexa. Assertores theoriae privilegiorum consequenter ei hanc facultatem concedunt.[2]

36. Nota historica. Pacta societatis et amicitiae inter Romanos Pontifices et Principes iam pridem inita sunt, quibus sibi mutuum auxilium promittebant; huiusmodi sunt ex. gr. ea quae interdum, nomine valde improprio, *concordata Carolingica* vocantur.[3] At quousque suprematia Ecclesiae in tota vita publica agnita est et ipsa sua lege limites competentiae utriusque potestatis determinare potuit, nulla causa erat in his rebus paciscendi. Cum vero civitas incoepit iura sibi vindicare et dissidia orta sunt, transigere et conventiones inire opus fuit. Unde antiquissima concordata sunt bulla Urbani II (1098), quae Rogerio I comiti Siciliae legatiam apostolicam concedebat et deinde, arbitrarie extensa, *Monarchiae Siculae* originem dedit,[4] concordia *Londinensis* (1107) et concordia *Wormatiensis* seu *pacta Callistina* (1122), quibus controversiae de investituris in Anglia et Germania finis impositus est. Magni momenti fuit etiam conventio ab episcopis *Lusitaniae* cum Dionysio rege firmata (1288) et a Nicolao IV approbata, qua complura negotia ecclesiastica ordinata, multi abusus et vexationes, quae sub quattuor praecedentibus regibus duraverant, sublata sunt. Item concordata *Constantiensia,* nationibus Germanica, Anglica et Latinis a Martino V (1418) concessa, schisma occidentale concluserunt. Sunt autem potius temperatio iurium Ponti-

---

[1] Bene animadvertit *Cavagnis,* I, 683: «Societas, quae est persona perpetua, in perpendenda utilitate sua non sistit in momento temporis, id est non considerat quid in singulis momentis ei magis utile est, sed quod est magis utile respiciendo integram eius vitam. Hinc etsi aliquando esse posset utilius hic et nunc rescindere concordata, tamen quando non est rigorose necessarium pro salute animarum, faciendum non est, quia si principes viderent haec rescindi arbitrio Ecclesiae, eadem non contraherent; hinc non haberentur tot Ecclesiae utilitates».

[2] *Wernz,* I, 175 III; *Rivet,* 208.

[3] Pactum inter Steph. III et Pipinum (pacta *Carisiaca* 754); inter Hadrianum I et Carolum M. 774; inter Paschalem I et Ludov. Pium 817. His accedunt pacta inter Leonem IV et Lotharium c. 850, inter Ioannem XII et Othonem I 962, inter Greg. V et Othonem III 996.

[4] Authentia bullae Urbani II (*Galante* 215), quam multi olim uti spuriam impugnaverunt, hodie non amplius in dubium vocari potest. De ulteriore evolutione et extensione monarchiae Siculae vide *Cavagnis,* II, p. 278 ss. et *Wernz,* II, 688. Penitus abrogata a Pio IX, const. *Suprema,* 28 ian. 1864, gubernium italicum ei renuntiavit in lege «delle guarent.» a. 15.

ficis in favorem Praelatorum et populorum singularum gentium, quam tractatus cum rebuspublicis. Idem dicendum de concordatis *Vindobonensibus* Nicolai V cum Imperatore Friderico III et cum aliis principibus saecularibus et ecclesiasticis Germaniae (1449).

E contra *conventio Leonis X cum Francisco I rege Galliae* (1516), qua, ut Pragmatica sanctio Bituricensis aboleretur, complura iura potestati civili attributa sunt, est pactum inter hanc tantum et S. Sedem, cuius executioni clerus nationalis longe ac pertinaciter restitit.[1] Toto saeculo XVII unicum habetur concordatum Urbani VIII pro *Bohemia* (1630), quod melius transactio de quaestione aliqua particulari diceretur; saec. XVIII complura inita sunt at minoris ponderis; praesertim cum civitatibus Italiae, sed etiam cum *Hispania* (1753) et *Lusitania* (1778), in eorum dispositionibus tristes conditiones Ecclesiae illa aetate et nova studia quae in Statibus invalescebant haud obscure apparent.

At primum magnum concordatum cum moderna civitate est *Gallicum* seu *Napoleonicum* a. 1801 a Pio VII cum primo consule initum. In quo Ecclesia multum quidem concedere debuit, sed tandem obtinuit ut penitus destructa hierarchia et intermissus cultus in Gallia denuo instauraretur.[2] Exinde opportunitas paciscendi fere ubique agnoscitur: saec. XIX primos videmus tractatus cum principibus acatholicis (cum *Borussia* 1821, *Hannovera* 1824, *Russia* 1847, *Wirtemberga* 1857, *Badis* 1859, *Montenegro* 1886, *Anglia* 1890); integram seriem concordatorum cum rebuspublicis *Americae* (Costaricensi 1853, Guatimalensi 1853, Haitiana 1860, Hondurensi 1861, Aequatoriana 1862 et 1881, Nicaraguensi 1862, Sancti Salvatoris 1862, Columbiana 1887 et 1892) praeter complura alia cum civitatibus Italicis (*Sardinia* 1817 et 1836, *Utraque Sicilia* 1818 et 1834, *Etruria* 1851), cum pagis *Helveticis* 1828 et 1845, cum *Bavaria* 1817 et *Belgio* 1827, cum *Lusitania* 1857, et praesertim duo optima concordata cum *Hispania* 1851 et cum *Austria* 1855, quorum primum adhuc viget, alterum a. 1870 a gubernio denunciatum est, sed in praxi numquam cessavit. Ultimum concordatum initum est a Pio X cum regno *Serviae* a. 1914.

VI. RELATIO ECCLESIAE AD ACATHOLICOS ET INFIDELES.

37. Relatio ad acatholicos. *Acatholici*, secundum terminologiam in C. receptam, vocantur omnes qui Ecclesiae auctoritatem non agnoscunt,[3] *infideles* ii tantum qui baptismum non susceperunt. At plerumque, in scientia canonica, inter utrosque adaequate distinguitur et nomine acatholicorum in-

---

[1] *Dudon*, l. c. 636.

[2] Gubernium Gallicum simul cum concordato promulgavit 77 articulos *(articles organiques)*, qui illud arbitrarie limitabant et pervertebant, ideoque ab Ecclesia statim reiecti sunt. Textus et commentarium, tum concordati tum articulorum, ap. *Cavagnis*, II, 1 ss.

[3] cf. can. 1099 («sive baptizati sive non baptizati»). At terminologia non est constans et interdum appellatio limitatur haereticis vel schismaticis. cf. can. 542, can. 987, can. 1061-1063; alibi sensus est aequivocus, can. 1102, 1149, 1152, 1350.

telliguntur christiani haeresi aut schismati adhaerentes. *Iuridice* inter illos et istos est essentiale discrimen. Cum enim baptismate homo constituatur in Ecclesia Christi persona, cum omnibus christianorum iuribus et officiis,[1] acatholici in iure omnino *subditis* Ecclesiae accensentur eiusque legibus subiiciuntur, nisi ab aliqua expresse eximantur;[2] licet iuribus frui nequeant quia eius membra non sunt, cum obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens.[3] Nam omnes acatholici, etiam bona fide errantes, in foro externo, uti excommunicati tolerati habentur.[4]

Ecclesia tolerantiam *dogmaticam* prorsus respuit et logice respuere debet, atque societatibus acatholicorum, quae canonice *sectae* dicuntur, quodcumque ius, imo vel ius existendi abiudicat.[5] Non ideo tamen omnes earum asseclas indiscriminatim damnat, sed perpetuo inter *formales* haereticos aut schismaticos, qui pertinaciter veritati resistunt, et *materiales*, qui sine culpa errant, distinxit.[6] Dum vero suos fideles sive a doctrinis sive a communione in sacris acatholicorum prohibet,[7] sui muneris esse affirmat horum conversionem prudenter curare, at magnopere cavet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur,[8] neque improbat tolerantiam *politicam*, si haec ex iustis causis concedatur.

38. Relatio ad infideles. Infideles, cum neque membra neque subditi Ecclesiae per baptismum facti sint, ut perfecte extranei considerantur et ab eius sociali auctoritate et iurisdictione prorsus immunes.[9] Unde inter infideles eorumque societates et Ecclesiam nonnisi eae relationes iustitiae et ca-

---

[1] can. 87.

[2] can. 12; can. 1099.

[3] Ideo aliud est membrum aliud subditum Ecclesiae esse; hoc latius patet.

[4] can. 2314 § 1.

[5] *Pius IX*, Syll. prop. 15: «Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit»; prop. 16: «Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt»; prop. 18: «Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est»: prop. 21: «Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem» *(Denz.* 1715 ss.).

[6] *Pius IX*, Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 aug. 1863 *(Denz.* 1677).

[7] can. 1324; can. 1258.

[8] can. 1350; can. 1351. cf. *Leo XIII*, encycl. *Immortale Dei*, § Revera (ed. cit. II, 162).

[9] can. 12; cf. I Cor. V, 12-13: «Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?.... Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit»; c. 8, X. 4, 19; *Conc. Trid.* sess. XIV, c. 2.

ritatis, quae vel ex naturali lege vel ex pacto oriuntur, intercedere possunt. Attamen ex speciali mandato divino, cui omnes homines subsunt, competit Ecclesiae:

a) Ius in universo mundo gentes omnes evangelicam doctrinam *docendi.*[1] Quod ius urgeri quidem potest, etiam per coactionem, contra eos qui liberam praedicationem impediant, non tribuit autem Ecclesiae facultatem cogendi infideles ut veritatem amplectantur, quia obligatio est mere moralis.[2]

b) Ius authentice *interpretandi* legem divinam naturalem et positivam, quam interpretationem infideles quoque sequi tenentur.

Ex lege naturali vero, prout cuicumque personae et societati:

c) Ius *sese defendendi* contra iniustos aggressores, eosque qui in suo fine assequendo eam impediunt. Ex quo iure nedum leges condere potest, quae immediate quidem proprios mediate vero etiam extraneos tangunt, sed praeterea directe quoque iudicia et coercitionem usurpare contra infideles qui ordinem, securitatem, pacem reipublicae ecclesiasticae perturbare, eidem damnum in bonis spiritualibus vel temporalibus inferre, subditos ad inobedientiam aut defectionem impellere conarentur.

His attentis principiis, historica agendi ratio Ecclesiae erga *Iudaeos* bene explicatur. Ipsorum conscientiae et cultus libertatem, bona et iura legitime acquisita semper admisit, imo ab iniustis etiam christianorum vexationibus vindicavit. Iam *Gregorius M.*, compluribus epistolis, Iudaeos ad baptismum cogi, synagogis vel libris et utensilibus sacris privari, contra ius affligi prohibuerat, simul vero sollicitus fuerat ne Iudaei christianis damno essent aut ne ultra id quod eis a legibus permissum erat quidquam praesumerent.[3] Quae praecepta, propter auctoritatem tanti viri, per totum medium aevum custodita sunt et in collectiones canonum recepta.[4]

---

[1] can. 1322 § 2.

[2] can. 1322 § 2; can. 1351; can. 752 § 1. cf. c. 3, X. 3, 43. Imo nec infantes infidelium, invitis parentibus, Ecclesia baptizari permittit, quia, uti ait *S. Thomas*, III, q. 68, a. 10 quem refert et approbat *Ben. XIV*, const. *Postremo*, 28 febr. 1747 (*Denz.* 1480): «pueri infidelium filii... si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt ...et ideo contra *iustitiam naturalem* esset si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus». Concordat can. 750 § 2.

[3] Registr. IX, 195; I, 34; XIII, 15; IX, 38; IX, 40; II, 6; III, 37; VI, 30; V, 7. cf. *Grisar*, S. Gregorio Magno, trad. De Santi, Roma 1904, 341 ss.

[4] *Collectio Anselmo dicata; Regino ab. Prumiens.; Burchardus Wormat.; Ivo Carnut.; Gratianus* (c. 2, C. 14, q. 6 et c. 3, d. 45); *Decretales* cc. 3, 9, X. 6, 5.

At inde a saec. XII, cum Ecclesia ex eorum commercio et familiaritate cum fidelibus pericula timeret, praesertim post exortas Albigensium aliasque haereses, maiore severitate *separatio* christianorum a Iudaeis, quae hucusque nonnisi in legislatione particulari Hispaniae statuta erat,[1] iure comuni invecta est. In *Decretalibus* (l. 5, t. 6) complures huiusmodi leges continentur, quae tamen saepe in desuetudinem abierunt et deinde iterum a quibusdam Pontificibus inculcatae sunt. At multo frequentiores sunt decretales, quibus R. Pontifices, contra reges et populos in eos saevientes, Iudaeos defenderunt.[2] Bulla *Sicut Iudaei*, quae sub nomine Clementis III (1190) in c. 9, X. 5, 6 legitur, sed probabiliter primo in hac forma a Nicolao II († 1061) promulgata est, quoad substantiam vero a Gregorio M. procedit, sub poena excommunicationis omnibus mandat: « ut nullus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum venire compellat,... nullus eorum quemlibet sine iudicio terrenae potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel suas pecunias auferre praesumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt consuetudines, immutare; praesertim in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat,... nemo coemeteria Iudaeorum mutilare aut invadere audeat, sive obtentu pecuniae corpora humata effodere ». Quae charta libertatis haud parum contulit defensioni Iudaeorum illa aetate et sequentibus, cum nedum in C. I. C. contineretur, sed insuper fere ab omnibus successoribus Clem. III usque ad saec. XVI expresse renovata sit.

Gregorius XIII, const. *Antiqua Iudaeorum improbitas,* 1 iun. 1581, iudicio Inquisitorum et gravibus poenis submisit Iudaeos qui aliqua maiora crimina commisissent. Cuncta haec crimina cum ordine publico et incolumnitate fidei et morum christianorum relationem habent.[3] Ceterum bulla parum servata est. Alia constitutione, *Sancta mater Ecclesia,* 1 sept. 1584, idem Pontifex iussit ut quolibet die sabati Iudaei e synagoga exeuntes audire cogerentur sermonem theologi super eodem textu biblico, quem rabbinus in conventu legerat. Haec lex ubique terrarum vigere debuisset; de facto extra Urbem, ubi demum Pius IX a. 1848 eam sustulit, aut non recepta aut mox neglecta est. Fundabatur in iure divino, quod Ecclesiae veritatem praedicandi, Iudaeis eam audiendi et amplectendi officium imponit.

VII. FORMA REGIMINIS SOCIALIS ECCLESIAE.

39. Subiectum potestatis. Ad constitutionem societatis perfectae pertinet etiam determinare quaenam sit *forma regiminis,* vel penes quos potestas socialis resideat. Integrum enim ius publicum duplici quaestione absolvitur; altera de *obiecto,* altera de *subiecto potestatis.* Qua in re variae quidem formae

[1] cf. c. 5, d. 45; c. 17, d. 54; c. 31, C. 17, q. 4; cc. 10, 11, 12, 13, C. 28, q. 1; c. 94 d. 4 de cons.

[2] *Vernet,* Iuifs et chrétiens in *Diction. apolog.* II, 1725-1736.

[3] Recensentur a *Ferraris,* Prompta biblioth. IV (Parisiis 1861) v. *Hebraeus,* n. 17.

esse possunt et mutationi obnoxiae, nisi ex superiore voluntate societas praefinitam et immutabilem constitutionem habeat. Re vera Ecclesia catholica *a iure divino* repetit ut, penitus seclusa ab imperio multitudine,[1] ipsa regatur per supremum pontificatum et per episcopatum huic subordinatum.[2] Quae duo elementa igitur in fundamentali eius ordinatione continentur et perpetuo adesse debent.

a) Primatus, per quem totum corpus ad unitatem redigitur, importat «*supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam* tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in eis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent» (can. 218 § 1). Christus eum contulit B. Petro, qui primus episcopus Romanus fuit, ab eo deinde in eius successores transiit, ideoque R. Pontifex legitime electus statim ab acceptata electione *immediate* a Deo obtinet summum in Ecclesia principatum.[3] Id hodie dogmatice definitum,[4] sed iam a primaeva aetate et deinceps constanter, theoretice et practice, agnitum est.[5] Quo iure autem coniunctio primatus cum *sede Romana* facta sit, non plene constat.[6]

b) Sed pariter iure divino sunt in Ecclesia etiam *episcopi,* apostolorum successores non quidem in munere apostolatus, quod personale et transiens erat, sed in officio eis commisso regendi simul cum Petro et sub eius auctoritate fideles. Itaque episcopi *propria, ordinaria, immediata* et *perfecta* iurisdictione fori externi pollent, qua veri principes sunt,

---

[1] can. 107; can. 109; can. 118. cf. supra n. 7.

[2] can. 108 § 3.

[3] can. 219.

[4] *Conc. Vat.* sess. IV, cc. 1, 2, 3 *(Denz.* 1823, 1825, 1831).

[5] Historicorum et dogmaticorum est demonstrare Christum contulisse Petro primatum iurisdictionis, Petrum Romae sedem fixisse et mortem subiisse, traditionem christianam episcopo Romano semper summun principatum in Ecclesia agnovisse. Quae omnia canonista iam probata supponit. cf. *Dalponte,* o. c. I, 210-229; *Pesch,* o. c. I, 285-304, 464-506; *Funk,* 33 ss. 73 ss.; *Albers,* Manuale di storia ecclesiastica, trad. it. I (Torino 1913) 47 ss. 92 ss.; *Rinieri,* S. Pietro in Roma e i primi papi, Torino 1909, passim; *Sägmüller,* 31 ss. etc. Recentes errores notati sunt in decr. *Lamentabili* nn. 50, 53 et 55 (Denz. 2050, 2053, 2055). cf. infra n. 150.

[6] Alii enim eam repetunt ex *iure divino* (antecedenti vel saltem subsequenti electionem a Petro factam), alii ex iure humano, *ecclesiastico-apostolico.* Quaestio libere disputatur et Conc. Vatic. eam definire noluit. Prop. 35 syll. intelligenda est de translatione sine consensu R. Pontificis, v. *Wernz,* II 566, not. 8; *Biederlack,* 89; *Dalponte,* I, 230 ss. *Pesch,* I, 498 ss.; *Choupin,* 297 ss. Nullo modo autem admittendum episcopum Romanum ex causis politicis vel ex legibus imperialibus factum esse caput Ecclesiae, ut complures sive antiqui sive moderni asseruerunt. cf. decr. *Lamentabili,* n. 56: «Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est» (*Denz.* 2056).

non tamen universali sed territorio limitata et dependenter a R. Pontifice exercenda.[1] Quare potest is hanc nedum ampliare verum etiam limitare et restringere, singulis auferre vel singulos episcopatus delere; at nec licita *nec valida* esset immutatio qua forma regiminis episcopalis in Ecclesia cessaret aut nonnisi nomen et species maneret, dum societas per officiales vel vicarios unius summi principis gubernaretur.

Utrum autem episcopis iurisdictio *immediate* a Deo vel *mediate* per R. Pontificem conferatur; controvertitur;[2] multis altera sententia verior videtur, quia Papa certe potest sive episcopalem potestatem concedere iis qui ordinem non habent sive tollere ab iis qui habent; quia difficile est definire momentum quo, in contraria hypothesi, a Deo iurisdictio conferatur; quia denique incongruum est directum interventum divinum adstruere, ubi causa sufficiens iam in plenitudine pontificiae potestatis adest.[3]

Ecclesia igitur habet formam regimis specialem eique unice propriam; ex appellationibus vero quae reliquis societatibus tribuuntur, maxime ei conveniret nomen *monarchiae temperatae.*

Rectae doctrinae circa constitutionem Ecclesiae contradicunt theoriae sive *democratici* sive *aristocratici* regiminis. Illud, explicite vel implicite, omnes vindicant qui universam potestatem ecclesiasticam penes populum esse affirmant et tantummodo *ministerialiter* aut per delegationem a Praelatis exerceri (Marsilius Patav., Richerius et multi Gallicani, syn. Pistoriensis, Febronius, novissime modernistae),[4] vel qui saltem populo *partem* in regimine *iure* competere asserunt (in acceptatione legum, in consuetudinibus facti, in constituendis pastoribus). *Aristocratiae* fautores sunt imprimis schismatici (orientales) et haeretici illi (ex. gr. Angli) qui totam iurisdictionem ecclesiasticam *episcopis* attribuunt, deinde defensores *theoriae conciliaris* (Conc. Pisanum 1409, Conc. Constant. 1415, Basileens. 1439), denique etiam Gallicani et Febroniani qui solum *primatum honoris* Pontifici concedebant, iurisdictionis vero negabant (*Episcopalismus).*

---

[1] can. 329 § 1; can. 334 § 1; can. 335 § 1. cf. *Conc. Vatic.* sess. IV, c. 3. (*Denz.* 1828) et infra n. 185.

[2] Celebris quaestio inter Tridentinos Patres summa contentione exagitata, sed neque a Concilio neque serius umquam authentice definita. Utramque sententiam ita librat *Bened. XIV* (De syn. l. I, c. 4, n. 2): «Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis, nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita». cf. etiam *Pesch,* I, 370-371; *Scherer,* I, 557. Aliter *Wernz,* II, 737.

[3] *Wernz,* l. c.; *Biederlack,* 91; *Bargilliat,* I, 537. Rationes contrariae legi possunt ex. gr. apud *Bouix,* Tractatus de episcopo, I (Parisiis 1859) 74 ss.

[4] *Pius X,* encycl. *Pascendi,* 7 sept. 1907: «Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error, quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare *auto-*

CAPUT III.

HISTORIA FONTIUM IURIS CANONICI

40. Fontes essendi et fontes cognoscendi. Omne ius *oritur* ex causa efficiente, quae ultimo est sane semper Deus (n. 4), sed immediate aut hic aut legislator aliquis humanus esse potest. Quare si loquimur de fontibus iuris canonici, imprimis intelligimus *causas quae ius in Ecclesia condunt*, nimirum principium *ex quo* ius *emanat* (legislator), aut etiam, et melius, principium *quo* ius *constituitur* (lex, consuetudo etc.). Hi vocantur *fontes essendi* seu *materiales;* quinam sint et quid valeant suo loco dicetur.

At, alio sensu, fons est etiam quidquid nobis notitiam iuris exhibet, seu principium *per quod* ius *cognoscitur*. Unde hi *fontes cognoscendi* aut *formales* dicuntur. Et lata quidem acceptione, omnia monumenta, sive scripta sive non scripta, ex quibus aliquam notitiam iuris haurire possumus huc veniunt; magis proprie autem canonistae fontes vocare assolent *collectiones quae apposite conflatae sunt ut certae leges conservarentur et cognoscerentur*. De his nobis sermo.

Collectiones aliae sunt *authenticae* aliae *privatae:* illae auctoritate legislatoris editae, hae privati hominis diligentia compositae; aliae *genuinae* quae vera et integra iura continent, aliae *spuriae* quae ex toto vel in parte conficta documenta et sub falso nomine exhibent; aliae *chronologicae* quae canones ordine temporis disponunt, aliae *systematicae* quae eosdem secundum materiam iuridicam ordinant.

Omnes collectiones antiquae nonnisi historicum momentum amplius habent. Tamen neque originem, vicissitudines, evolutionem iuris quis penitus perspicere, neque vigentem disciplinam scientifice interpretari poterit,[1] si eas ignoraverit aut neglexerit.

---

cratica merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, cum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine aeque atque vita una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, *auctoritati Ecclesiae officium inest democraticis utendi formis*, eo vel magis, quod, ni faxit, exitium imminet» (*Denz.* 2091).

[1] Ius C. enim, fere totum, ex antecedentibus collectionibus depromptum est, atque, in dubio, secundum antiquiores canones est intelligendum (can. 6; can. 20; can. 23).

I. AB EXORDIIS USQUE AD GRATIANUM.

41. Collectiones pseudo-apostolicae. Praeter *S. Scripturam,* quae est potissimus fons iuris divini cognoscendi, complura supersunt documenta ad ius humanum pertinentia, quae sub nomine *apostolorum* circumferebantur. Omnia *apocrypha* sunt, at illud habent momentum ut nobis disciplinam ecclesiasticam remotissimae antiquitatis patefaciant. Inter quae recensenda sunt: *a) Doctrina duodecim apostolorum* (*Διδαχή*), iam saec. primo exeunte orta, ignoto auctore et loco, cuius secunda pars praecepta continet de receptione doctorum peregrinantium, de celebratione Eucharistiae die dominico, de electione episcoporum et diaconorum aliaque. *b) Canones ecclesiastici apostolorum,* sub fine saec. III in Aegypto conscripti, in prima parte cum Didaché congruentes, in altera peculiares ordinationes circa electionem et qualitates clericorum exhibentes. *c)* Eiusdem fere temporis sed maioris momenti est *Didascalia apostolorum,* in Syria composita, quae de episcopo, de administratione bonorum ecclesiasticorum, de viduis, de cultu divino, de baptismo, de poenitentia normas tradit. *d)* At inter omnes amplissima est collectio quae nomine *Constitutiones apostolicae* designatur. Circa a. 400 in Syria ab auctore apollinarista vel semiariano confecta, octo libris constat: in sex primis materia Didascaliae, haud paucis additionibus et immutationibus, retractatur, in septimo paraphrasis et amplificatio Doctrinae habetur, octavus, qui notabilissimus est, ritus omnium ordinationum, liturgiam missae, regulas singulis classibus fidelium proprias, praecepta pro vita communitatis, aliaque multa continet. In ultimo capite leguntur *85 canones apostolorum,* qui fere exclusive clerum, eius electionem, ordinationem, munera, obligationes respiciunt.[1]

Constitutiones in toto *Oriente* magnam auctoritatem assecutae sunt. Conc. Trullanum (692) eas ab usu publico reiecit quidem, quasi ab haereticis interpolatas, at implicite originem earum apostolicam confirmavit. *Canones apostolorum* vero, qui de facto partim ex ipsis Constitu-

[1] De omnibus his libris ampliora traduntur in patrologiis: ex. gr. *Bardenhewer,* Patrologia, versio ital. Mercati, §§ 6, 42, 46, 75. cf. etiam *Bernareggi,* Metodi e sistemi delle antiche collezioni e del nuovo codice di d. c. Monza 1919 (vel in *Scuola catt.* Milano 1919-1920).

tionibus partim ex conciliis saec. IV deprompti sunt, uti authenticos agnovit. Ecclesia *latina* Constitutiones penitus ignoravit; *canones* apocryphos declaravit decretum Gelasianum.[1] Nihilominus cum Dionysius Exiguus (ca a. 500) eorum quinquaginta latinitate donaverit, exinde in collectiones occidentales recepti sunt.[2]

42. Collectiones orientales. *a)* Inde a saec. IV multa concilia Orientis de disciplina ecclesiastica statuerunt. Ignotus auctor in Ponto primus videtur collegisse canones conc. *Ancyrani* (314) et *Neocaesareensis* (314); his deinde additi sunt *Gangrenses* (343), praepositi, ob maiorem auctoritatem, *Nicaeni* (325), demum iterum subiuncti *Antiocheni* (341). Ex huiusmodi collectione, ubi canones continuis numeris in hac serie dispositi erant, in synodo oecumenica Chalcedonensi (451) nonnulli recitati sunt. Postea accesserunt canones conc. *Laodicoeni* (343-381), *Constantinopolitani* (381), *Ephesini* (431) ipsiusque *Chalcedonensis,* denique in recentiore recensione post canones Neocaesareenses inserti sunt *Sardicenses* (343-344), omnibus vero praemissi *85 canones apostolorum.*

b) Ex hac chronologica collectione *(«Vetus Ecclesiae universae codex»),* saec. VI, *systematicae* adornari coeperunt. Prima, ab ignoto auctore ca a. 535 in sexaginta titulos distributa, periit, eius appendix autem, quae viginti quinque constitutiones ecclesiasticas Codicis Iustinianei referebat, conservata est sub nomine *Collectio XXV capitulorum.* Alteram *Ioannes Scholasticus,* qui postea fuit Patriarcha Constantinopolitanus († 577) circa a. 550 composuit, canones conciliorum et sexaginta octo alios ex epistolis canonicis S. Basilii eductos in quinquaginta titulos dividens, quibus compendium ex novellis Iustiniani, quod *Collectio LXXXV II capitulorum* inscribitur, adiecit.

c) Peculiare Graecis genus sunt collectiones quae *Nomocanones* vocantur, eo quod simul *et* canonicas sanctiones (*κανόνες*) *et* imperiales leges (*νόμοι*), quibus nativa vis in Ecclesia obligandi tribuitur, complectuntur. Primus nomocanon, in 50 titulos divisus, imperante Mauritio (582-602) concinnatus est, ideoque falso usque ad recentiora tempora Ioanni Scholastico adscribebatur; alter saec. VII ortus, sub nomine

---

[1] c. 3, d. 14. De origine et tempore huius celeberrimi decreti, quod Gelasio I (492-496) tribuitur, valde disputatur.

[2] Editio critica: *Funk,* Didascalia et Constitutiones apostolorum, Paderborn 1905.

Photii posteritati transmissus est, qui tamen collectionem praeexistentem nonnisi ampliavit, expolivit, denuo edidit a. 883. In hac, praeter canones antiquiores, habentur etiam 102 canones *conc. Trullani* (692), qui in toto Oriente maximam auctoritatem adepti sunt et fundamentum iuris Graecorum constituunt. Collectio Photiana hodie quoque ut authenticus *codex iuris ecclesiarum orientalium* consideratur, et quidem, quatenus expressis pontificiis vel synodalibus decretis non contradicat, etiam catholicorum.[1] Commentariis aucta est a Theodoro Balsamone, saec. XII.

43. Collectiones latinae antiquiores. Longo tempore ecclesia Romana usa esse videtur solis canonibus *Nicaenis*, a quibus additi Sardicenses non distinguebantur.[2] At certe iam saec. V versiones reliquorum canonum orientalium in *Italia* extabant, quarum duae praecipuae memorantur: altera *Hispana* seu *Isidoriana*, altera *Prisca* seu *Itala* dicta.[3] In Africa vero, ubi frequenter concilia plenaria celebrabantur, mos erat ut in posterioribus canones antecedentium synodorum denuo recitarentur et confirmarentur, unde sponte aliqua collectio authentica orta est, quae post conc. Carthaginiense XVII (419) canones 138 comprehendit. Collectio Africana tanti habita est, ut nedum apud Latinos sed apud Graecos vulgaretur.

a) Iam vero, sub fine saec. V, Romam advenit auctor primae magnae collectionis occidentalis, *Dionysius Exiguus*. Is, natione Scytha, instituto monachus, doctrina praeclarus,[4] circa a. 500 novam latinam interpretationem canonum graecorum absolvit, collectionemque confecit, quam primo et mox

[1] cf. *Papp-Szilágyi*, Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis cathol.[2] Magno-Varadini 1880, § 51.

[2] Utrum alios quoque canones ecclesia Romana agnoverit, adiuturno tempore controvertitur et nondum constat. cf. *Devoti*, Institutiones, I, Proleg. § 57; *Scherer*, I, 198; *Wernz*, I, 209. Ex recentissimis studiis nunc scimus *vetustissimam collectionem* occidentalem, quamvis graeco sermone conscriptam, fuisse eam quae dicitur « *Traditio apostolica Hippolyti* », cuius tamen supersunt dumtaxat versiones coptica, arabica et syriaca atque pauca fragmenta versionis latinae et textus graeci. Continet 32 canones, qui de episcopo, presbytero, diacono, confessoribus, lectore, subdiacono, viduis, virginibus, charismatibus, baptismo, ieiunio, oblationibus, precibus, Eucharistia et sepultura agunt. cf. *Bernareggi*, o. c. 11 ss.

[3] *Hispana* seu *Isidoriana* vocata, quia in posteriore collectione Hispanica, falso S. Isidoro tributa, est deinde recepta; *Prisca* quia ad eam, hac appellatione, innuere videtur Dionysius in praefatione sui operis. Utrum autem Prisca alia sit revera ab Hispana, an forte tertiam quamdam sub oculis habuerit Dionysius incertissimum est.

[4] Multa ex graeco in latinum sermonem vertit; praeterea chronologiae peritissimus aeram vulgarem a Chr. n. introduxit. Exiguum non alii eum propter pusillum corpus, sed ipse se modestiae causa vocavit, uti alii quoque, praesertim monachi, assolebant.

iterum, paullo auctam et ordine immutatam, edidit, in qua L canones apostolorum, canones novem conciliorum orientalium (nimirum supra laudatorum, praeter Ephesinum) atque canones Africanos conc. Cartaginiensis recepit. Haud multo post colligendis quoque *decretalibus* R. Pontificum manus admovit, et revera syllogen 39 epistolarum a Syricio (384-398) usque ad Anastasium II (496-498) adornavit. Duae collectiones deinde in *unam* coniunctae sunt, quae *Corpus canonum* vel *Corpus codicis canonum* vocata in Italia, Gallia, Hispania, Africa, Hibernia frequentata, ubique amplissimo honore et auctoritate habita.[1] Quae maior adhuc facta est postquam Hadrianus I Dionysianam aliquatenus immutatam et novis decretalibus auctam a. 774 Carolo M. dono dedit, et haec *Dionysio-Hadriana* sub nomine «*Codex canonum*» in magna synodo Aquisgranensi (802) uti collectio authentica regni et ecclesiae Francorum proclamata est. Nicolaus I autem declaravit eam exclusivam vim iuridicam minime habere (c. 1, d. 19).

Multae aliae collectiones, vel Dionysianae coaevae vel posteriores circumferebantur, inter quas praecipuae sunt: *a*) Collectio circ. 104 canonum quae saec. VI ineunte in Gallia meridionali orta *Statuta Ecclesiae antiqua* audit; *b*) Collectio *Quesnelliana*,[2] eiusdem fere aetatis, canones et decretales complectens, ampla sed male ordinata, in Gallia multum adhibita; *c*) Collectio *Avellana*,[3] item coaeva, continet plusquam ducentas epistolas pontificias et imperiales; *d*) Collectio *Hibernensis*, initio saec. VIII adornata, copiosa et *systematica*, etiam in Galliam et in Italiam migravit et usque ad saec. XI influxum exercuit.[4] *e*) Sed inter systematicas prior est «*Breviatio canonum*» diaconi Africani *Fulgentii Ferrandi*, qui iam prima medietate saec. VI in logica serie 232 capitulorum canones orientales et africanos disposuerat;[5] serius circa a. 690 episcopus Africanus *Cresconius* integram materiam Dionysianae in 301 titulos distribuit, sub nomine «*Concordia canonum*».[6] Exeunti saec. VIII tribuenda est *Dacheriana*, in Gallia lucubrata, simplici et perspicuo ordine praestans.[7]

---

[1] Textus in *Migne*, Patrol. lat. LXVII, 139-316.

[2] Ita a nomine primi editoris *Pasch. Quesnel* († 1719) vocata. Etiam a fratribus *Ballerini*, Opp. Leonis M. Venetiis 1757, III, 13-472 publicata.

[3] Primo in codice monasterii S. Crucis in fonte Avellana inventa. Edita a *Günther* in Corpore script. eccl. lat. XXXV, Vindobonae 1895-1898.

[4] Editio critica a *Wasserschleben*, Die irische Kanonensammlung², Giessen 1885.

[5] Textus ap. *Migne*, LXVII 949-962.

[6] Textus ap. *Migne*, LXXXVIII, 829-942.

[7] A *L. D'Achery* († 1685), Veterum aliquot scriptorum spicilegium XI (Parisiis 1672) 1-200, primo edita.

b) In *Hispania* quoque mos fuit recitandi in synodis canones antiquiores, unde sensim eorum collectio efformata, cuius primo meminit conc. Bracarense a. 563. Hoc eodem tempore (572) *Martinus Bracarensis* episcopus systematicum opus perfecit, in quod ex graecis praecipue sed etiam ex latinis fontibus canones contulit. Vocatum est plerumque *Capitula Martini* ac saepe Martino papae vel alicui concilio ab eo celebrato tributum.[1] Ex sylloge chronologica vero paulatim amplissima collectio extitit, quae tempore *conc. Toletani VI* (633) iam completa ab eodem approbata est. A loco originis *Magna Hispana*, a fictitio auctore, S. Isidoro Hispalensi († 636), cui inde a saec. IX eius ampliata recensio adscribebatur, *Isidoriana* dicta, simul cum Dionysiana inter omnes copia et ordine excellit ac prae reliquis in usu fuit.

Bipartita est. Complectitur in *prima* parte canones decem synodorum orientalium (n. 42), septem Carthaginensium et Milevitanae, decem Gallicanarum (ab Arelatensi I, 314 ad Aurelianensem V, 549) quattuordecim Hispanicarum (ab Illiberitana, 304 ad Toletanam VI, 633). Codices posteriores plusquam triginta concilia Hispanica habent, usque ad Toletanum XVII, 694. In *altera* parte 104 decretales Rom. Pontificum, ab epistola Damasi, 378 ad epistolam Gregorii M. 599. In Hispana ampliata complures aliae additae sunt. Saec. VII exeunte etiam systematice disposita est (*Hispana systematica*).[2]

44. Poenitentialia. Ordines. Formulae. Leges. *a)* Fontibus iuris canonici accensendi sunt etiam *libri poenitentiales* seu *Poenitentialia*, in quibus singulis peccatis et criminibus suae poenae vel poenitentiae statuebantur, ideoque magna pars disciplinae ecclesiasticae ordinabatur, cum non ad solum forum internum coarctarentur, sed multipliciter etiam forum externum attingerent. Horum inter saec. VII et saec. IX plurimi lucubrati sunt.

b) Ius liturgicum et sacramentarium quoque iampridem stabilem forma obtinuit et in peculiaribus libris fuit collectum; hi *Libri mysteriorum, sacramentorum, Sacramentaria, Ordines*, graece *Euchologia* dicti. Inter omnes notissimi sunt « *Ordines Romani* ».

[1] Gratianus multa ex Bracarensi in Decreto capitula descripsit cum hac inscriptione *ex Concilio Martini Papae;* Ivo Carnutensis idem antea fecerat cum inscriptione *ex decretis Martini Papae.* Textus ap. *Migne*, LXXXIV, 574-586.

[2] Textus Hispanae auctae ap. *Migne*, LXXXIV, 93 ss.; systematicae ibid. XXXXIV, 25-92.

c) Praxis iuridica in actis et documentis redigendis elucet ex *formulis* quae constanter retinebantur et normam officialium sive Sedis Apostolicae sive episcoporum constituebant. Quae deinde in libros receptae sunt, qui ad cognoscendum stylum Curiae et modum in explendis negotiis servatum haud parum conferunt.

d) Leges civiles tum Romanorum tum Barbarorum saepe etiam de rebus ecclesiasticis agunt et, quatenus ab Ecclesia expresse vel saltem tacite confirmatae sunt (canonizatae), in foro canonico vim obtinuerunt atque evolutionem iuris nostri in compluribus institutis determinaverunt. Ecclesia etiam post collapsum imperium «vivebat *lege Romana*», a qua multa sibi derivavit, attamen influxus iuris *Germanici,* praecipue in re beneficiaria, non est parvi faciendus.[1]

a) Disciplinae poenitentiali iam antiquitus, per synodales canones et praesertim per decreta quorumdam episcoporum late vulgata, regula data erat (syn. Ancyr. 314; Cyprianus, Gregor. Thaumat., Dionysius et Petrus ep. Alex. praecipue epist. can. Greg. Nisseni († 395) et tres ep. can. ad Amphil. Basilii Caesar. † 379); primi *libri poenitentiales* autem in *Hibernia* et *Brittania* orti sunt saec. VI. Celebriores sub nomine *Theodori* archiep. Cantuariensis († 690), *Bedae* Venerabilis († 735) et *Egberti* ep. Eboracensis († 766) circumferebantur, at sane erronee. Ab insulis in *regnum Francorum* libri poenitentiales migrarunt, hic etiam multi novi compositi, quos inter alter *S. Columbano* alter *Cumeano* tributus eminent. At ex multitudine confusio; inde syn. Turon. et Cabilon. (813) omnes, qui ignoti essent auctoris, comburi iusserunt. Tunc alii, emendatiores, suffecti sunt: ab *Haltigaro* ep. Cameracensi († 831) et a *Rabano Mauro* ep. Moguntino († 856). *Italia* quoque multos huiusmodi libros habuit, et suum etiam ecclesia Romana, attamen nusquam extitit *Poenitentiale Romanum,* quod in universa Ecclesia vim iuridicam obtinuerit.

b) Antiquissima sacramentaria Romana sunt *Leonianum, Gelasianum* et *Gregorianum,* de quorum auctoribus et tempore multum ac ancipiter disputatur. Primum est opus privatum, saec. VI tribuendum, alterum et tertium sunt collectiones officiales Romae adornatae sed etiam in toto regno Francorum late diffusae, Gelasianum uti videtur saeculi VI, Gregorianum saec. VII.[2] Ab initio saec. IX vero incipiunt *Ordines Romani,* qui ritus omnium sacramentorum et liturgicarum caeremoniarum continent.[3]

---

[1] Imo sunt moderni canonistae, qui de periodo Germanica iuris canonici loquuntur. cf. ex. gr. *Koeniger,* Gruudriss einer Geschichte des kath. Kirchenr. Köln, 1919, 25 ss.

[2] *Duchesne,* Origines du culte chrétien[5], Paris 1909, 120 ss. 126 ss. 137 ss.; *Baudot,* Le Missel Romain, ses origines, son histoire, Paris 1912, 53 ss.

[3] *Duchesne,* o. c. 147 ss. - Editi a *Mabillon,* Museum italicum II, Parisiis 1724, etiam a *Migne,* LXXVIII. 851-1372. — Ordo officiorum Ecclesiae Lateranensis, ed. *Fischer,* München-Freising 1920.

c) Libri formularum huius temporis multi supersunt, praesertim ex regno Francorum. Plerique res civiles tantum respiciunt; inter eos qui materiam civilem et ecclesiasticam simul continent, antiquitate et praesfantia memoranda est collectio monachi *Marculfi* (660) in duobus libris; inter mere ecclesiasticos prae omnibus *Liber diurnus* ecclesiae Romanae, saec. VII ortus, sed formulas ex antecedentibus quoque saeculis exhibens, qui usque ad Greg. VII in cancellaria apostolica usuvenit.[1]

d) Leges de rebus ecclesiasticis collectae inveniuntur in *Cod. Theod.* (ll. 3, 9, 15), in *Cod. Iustin.* (ll. 1 et 5), in *Novellis,* in *Breviario Alariciano* (506) quod in Hispania compositum in aliis quoque regionibus receptum fuit, in *Lege Romana canonice compta,* saec. IX in Italia orta. Capitularia Carolingica in quattuor libros, quorum primus et alter capitularia ecclesiastica referunt, digessit *Ansegisus* abbas Fontanellensis (827), cuius opus late vulgatum et serius uti authenticum agnitum est.

45. Collectiones pseudo-isidorianae. Medio saec. IX tres collectiones, sub nomine Benedicti Levitae, Angilramni et Isidori Mercatoris prodierunt, quae ratione materiae et originis intime inter se connexae unam constituunt eamque maximam in historia iuris canonici falsificationem et communi appellatione *pseudo-isidorianae* dici consueverunt.

a) Prima, quae uti complementum collectionis Ansegisi profertur, tribus libris *capitularia* regum Francorum exhibet. Eiusdem auctorem se dicit *Benedictus* quidam *Levita* (i. e. diaconus) ecclesiae Moguntinae, qui documenta a se oblata in diversis locis sed praesertim in scriniis suae ecclesiae invenisse ac iussu Autgari archiepiscopi († 847) edidisse narrat. Revera autem haec capitularia maxima ex parte spuria sunt; de universa fere disciplina canonica agunt, sed praecipuum studium quod ex eis apparet est tueri Ecclesiam contra usurpationes potestatis civilis. In comitiis *Carisiacis* (857) primum allegata, paullo ante in Gallia occidentali composita fuerant; *quis* autem huius falsi opifex fuerit, utrum ipse Pseudo-Isidorus an alius qui eosdem fines prosequeretur, nulla certitudine constat.[2]

b) Altera collectio, *Capitula Angilramni,* si inscriptio fidem mereretur ab Hadriano Papa episcopo Metensi Angil-

[1] Editiones: *De Rozière,* Liber diurnus etc. Paris 1869; *Sickel,* Liber diurnus R. Pontif. ex unico codic. Vatic. Vindobonae 1889. Textus ap. *Migne* CV est imperfectus. - Secundum novissimas investigationes magna pars *Libri diurni* extabat ante Greg. M. cf. *Peitz,* Liber diurnus in Sitzungsber. der K. Akad. der Wissenschaften, Wien 1918, vol. 185; *De Santi,* Il liber diurnus in *Civ. Catt.* 1920 vol. III, 438 ss.

[2] Textum ediderunt *Baluze,* Capitularia Regum Francorum, I (Venetiis 1772) 537-632; *Pertz,* Monumenta Germ. hist. Leges, II, pars II, 39-158.

ramno († 791), cum is Romae degeret, dono data esset,[1] vel vicissim ab episcopo Pontifici (785), ac decreta synodorum, Romanorum Pontificum et imperatorum exhiberet. At de facto 70 vel 80 capitula, quibus constat, omnia commenticia sunt, regulas procedendi quae episcopis in iudicio accusatis prospiciant statuunt et, uti fere omnes censent, a Pseudo-Isidoro conficta sunt.[2]

c) Magna Hispana in toto imperio Carolingico late vulgata erat in peculiari recensione, quae immutationibus et accessionibus a primitiva iam discrepabat *(Hispana Gallica)*. Hac usus est falsarius, qui se *Isidorum Mercatorem* vocat, ut sua spuria inventa obtruderet, quod praestitit dum Hispanam pluribus in locis corrupit et ingenti falsorum documentorum numero auxit. Et quidem in *prima parte* Pseudo-Isidorus post quinquaginta canones apostolorum epistolas posuit sexaginta R. Pontificum, singulis qui a Clemente usque ad Silvestrum I (90-314) fuerunt saltem unam adsignans, omnes commenticias et, exceptis duabus Clementis, quas iam ab alio assumpsit, omnes uti videtur ab ipso Pseudoisidoro confictas. *Secunda* pars canones conciliorum Hispanae plerumque germanos interdum corruptos exhibet, praeterea quaedam spuria documenta, inter quae *donationem Constantini*. *Tertia* pars denique refert decretales pontificias collectionis Hispanae, sed his nonnullas alias genuinas, quadraginta quinque falsas admiscet, eas inter Pontifices a Sylvestro I usque ad Gregorium II (314-781) distribuens. Itaque falsa documenta fiunt saltem 104.

Omnibus hodie compertum est collectionem in *Gallia occidentali*,[3] in provincia aut Remensi aut Turonensi,[4] inter aa. 845-852, ortam esse. Quis autem falsarius fuerit, multi inquisiverunt nemo adhuc invenire potuit,[5] quisnam eius *finis*, etiam hinc inde disputatur. Certe non ille solus, quem

---

[1] Ideo etiam *Capitula Hadriani* saepe vocata et uti talia allegata, ex. gr. a Gratiano c. 6, C. 6, q. 1; c. 11, C. 25, q. 1.

[2] Textus apud *Hinschius*, Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Angilramni, Lipsiae 1863.

[3] Iamdiu derelicta est sententia, quae tenuit Pseudo-Decretales Romae confictas esse.

[4] Plerique, post Hinschius, censent patriam Pseudo-Isidori in provincia ecclesiastica Remensi quaerendam esse, at argumenta a Fournier etiam recenter pro provincia Turonensi et diocesi Cenomanensi allata non sunt exigui ponderis. cf. *Sägmüller*, I, 164; *Wernz*, I, 216, IV; *Fournier*, Fausses Décrétales in *Diction. apolog.* I, 907.

[5] Variae hypotheses, quae propositae sunt, legi possunt ex. gr. ap. *Scherer*, I, 222 s.. *Sägmüller*, I, 165. Omnes autem conveniunt cuncta falsa Isidoriana, sin ab uno auctore, saltem ab una officina prodiisse.

ipse Pseudo-Isidorus profert, nimirum adiuvandi episcopos et clericos in cognoscendo iure canonico. Huic fini tot fraudes adstruere non opus erat. Sed eius consilium fuisse videtur *auctoritatem episcoporum* contra principes laicos, contra metropolitas, synodos provinciales et chorepiscopos augere et defendere, eosque a quacumque alia potestate, excepta R. Pontificis, immunes reddere. Unde si hanc iterato ac ex professo extollit eiusque exercitium, etiam ultra limites tunc vigentis disciplinae, extendere studet, id ei nonnisi *medium* ad propositum assequendum est. Praeterea vero tristes *conditiones* ecclesiae Gallicanae sui temporis *mederi* quoque voluisse, ab eius mente alienum non videtur.

Fraudator fidem obtinuit. Falsae decretales quae primum in statutis synodi Remensis (852) allegantur, mox ubique uti opus S. Isidoris Hispalensis receptae et usque ad saec. XV in magno honore habitae sunt.[1] Etiam R. Pontifices, inde a Nicolao I (865), saepissime ad eas provocaverunt,[2] apud scriptores ecclesiasticos et fere in omnibus collectionibus posterioribus commenta Isidoriana, genuinis iuribus omnino aequiparata, copiosissime occurrunt. Quare *influxus* huius collectionis, praesertim in scientiam canonicam sed etiam in iuris evolutionem determinandam, non est attenuandus. Attamen neque ita exaggerandus ut dicatur per eam Ecclesiae constitutionem penitus immutatam, pontificium primatum invectum, novum ius inductum esse.[3] Pseudo-Isidori fraus in eo *praecipue* fuit, ut remotae antiquitati disciplinam et desideria sui temporis tribueret, hinc etiam intelligitur cur fere nullam oppositionem excitarit. Quae autem materialiter *nova* subintroducere conatus est, nec multa, nec maximi momenti, nec omnia admissa sunt.[4]

---

[1] Primus qui valida argumenta contra genuinitatem attulit fuit card. *Nicolaus Cusanus* († 1464), cui adstipulatus est Ioannes a *Turrecremata* († 1468). Eam acriter impugnaverunt *Centuriatores Magdeburgenses*, quos deinde secuti sunt Dumoulin, Le Comte, cum aliqua haesitatione *A. Augustinus*. Corrector Rom. *Franc. Torres* qui pseudo-decretales defendendas suscepit funditus profligatus est a *Blondel* (1628), id quod alios a temerario hoc conatu non deterruit. cf. *Scherer*, I, 226, not. 44.

[2] Difficile videtur hodie negare Nicolaum I pseudo-decretales *et* cognovisse *et* saltem implicite adhibuisse, cf. *Fournier*, l. c. 908 s.; *Sägmüller*, I, 155. Oppositum ostendere recenter nisus est *Roy*, S. Nicola I, trad. it. Roma 1908, 167 ss.

[3] Quae opinio Gallicanorum et praesertim Febronianorum ceterum a nullo hodie amplius admittitur.

[4] Editio critica curata est ab *Hinschius*, Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Angilramni, Lipsiae 1863.

46. Collectiones systematicae ante Gratianum. Amplissima a Pseudo-Isidoro et, uti credebatur, absolutissima collectione chronologica oblata, iam *systematicis* lucubrandis laborem impenderunt sequentes, ut ingens canonica materia in certum ordinem redigeretur et ita melius perspici posset. Huius generis collectiones plusquam quinquaginta a saec. IX ad XII numerantur, omnes valde imperfectae, pleraeque sine ullo discrimine genuina et spuria documenta ex chronologicis syllogis, imprimis ex pseudo-isidoriana, depromentes. Attamen, si quoad rem haud multum inter se differunt, in *methodo* aliqualis progressus paulatim attingitur; in collectionibus saec. XI et XII studium apparet accuratius *secernendi* textus theologicos a textibus iuridicis, hos secundum logica principia *disponendi*, discordantes canones *conciliandi*. Amplitudine vel auctoritate prae aliis notabiliores fuerunt: *Collectio Anselmo dedicata*, *Polycarpus*, opera *Reginonis Prumiensis*, *Burchardi*, *Deusdedit*, *Anselmi Lucensis*, *Ivonis Carnutensis*.

Hae collectiones ratione loci et temporis originis in classes distribuuntur. **1. Italicae:** *Collectio Anselmo dedicata*, adulto saec. IX orta,[1] copiosa, late vulgata; deinde quae dicuntur *gregorianae*, quia auctores habent Gregorii VII reformationem propugnantes, inter has «Collectio canonum» *Anselmi iunioris* ep. Lucensis († 1086), collectio card. *Deusdedit* (1087), utraque maximi momenti propter documenta ex pontificiis archivis deprompta, *Breviarium* card. *Attonis* (ca 1080), *Decretum Bonizonis* ep. Sutrini (post 1089 compos.), *Polycarpus* card. *Gregorii* (ante 1120).[2] **2. Germanicae:** *Reginonis* abbatis Prumiensis libri duo *De synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis* (906), episcopo diocesim visitanti et ius dicenti destinati;[3] *Collectarium canonum* episcopi Wormatiensis *Burchardi*, magnum opus in 20 libris inter 1008 et 1012 ad usum pastorum et ordinandorum lucubratum, ex quo reliquae collectiones multa derivarunt et etiam in Decretalibus capita recepta sunt.[4] **3. Gallicae:** Collectio *Abbonis* abbatis *Floriacensis* († 1004); *Collectio tripartita*, *Panormia* et *Decretum*, tria opera *Ivonis* ep. Carnutensis († 1117), alterum ab altero ratione materiae dependens, ratione methodi Panormia in 8 libris longe praestat (1095); denique *De misericordia et iustitia* scholastici Leodiensis

[1] Anselmus enim, cui nuncupatur collectio, fere certe alter huius nominis archiepiscopus Mediolanensis (883-897) fuit. Nondum edita.

[2] Collectio Anselmi iun. adhuc inedita; card. Deusdedit edita a *Wolf v. Glanvell*, Paderbon 1905; Breviarium Attonis a *Mai*, Script. veter. nova collectio, VI (Romae 1832) app. 60-100; Decretum Bonizonis fere totum ineditum, item Polycarpus.

[3] Textus in *Migne*, CXXXII, 175-484; optima editio a *Wasserschleben*, Reginonis abb. Prum. libri duo de syn. causis, Lipsiae 1840.

[4] Sub nomime «decreta Burchardi» vel «liber Brocardibus» allegatum, cf. c. 2, X. 4, 4; c. 1, X. 4, 15; c. 8, X. 5, 1. Iam saec. XVI pluries typis expressum, denuo a *Migne*, CXL.

Algeri (ante 1121) script.) in quo primo textus iuridici per breves sententias theoreticas *(dicta)* coniunguntur, secundum methodum scholasticam nunc in theologiam invectam.[1] Ivo et Algerus uti praecursores Gratiani considerantur. **4. Hispanicae:** *Collectio Caesaraugustana* in quindecim libris et *Collectio Tarraconensis* in sex libris, utraque ex saec. XII.

II. CORPUS IURIS CANONICI.

47. Decretum Gratiani. Necessitas congeriem canonum, qui origine aetate auctoritate varii, saepe sibi contradicentes, in tot collectionibus continebantur, *apte disponendi* et *scholastica methodo illustrandi*, causa fuit ut medio saec. XII, prout paullo ante quoad theologiam evenerat,[2] novum opus elucubraretur, in quo totum ius scientifica quadam ratione propositum ut propria disciplina pertractaretur.[3] Auctor fuit Gratianus, Camaldulensis monachus, in Bononiensi coenobio SS. Felicis et Naboris theologiae practicae magister, qui inter aa. 1139 et 1150,[4] probabiliter sub titulo «*Concordia discordantium canonum*» suum tractatum vulgavit,[5] mox etiam «*Decreta*» vel «*Liber, corpus decretorum*», inde a saec. XIII frequentius «*Decretum*» vocatum, quod nomen denique praevaluit.

Gratianus non meram collectionem sed potius *systema iuris* conficere voluit; etenim generalia principia asserit *(distinctiones)*, casus proponit *(causae)*, dubia movet *(quaestiones)*, ubique suam sententiam vel suam solutionem allatis textibus iuridicis probat. His utitur proinde tamquam argumentis *(auctoritates)*, si inter se contrarii sint eos conciliare, si disiuncti colligare studet *(dicta Gratiani)*, singulis *summaria* praemittit.

---

[1] Textus Abbonis ap. *Migne*, CXXXIX, 473-508; Decreti et Panormiae Ivonis ap. *Migne*, CLXI, 47-1344; Algeri ap. *Migne*, CLXXX, 857-968.

[2] *Abelardi* († 1142) Sic et non, *Petri Lombardi* Sententiarum libri IV (ca 1140). Nexum inter novam methodum in theologia et in iure canonico innuit fabulosa traditio, quae Gratianum et Petrum Lombardum fratres dixit. cf. *Laurin*, Introductio in C. I. C. Friburgi 1889, 10. Neque obliviscendum est influxus renovati studii iuris Romani, cuius centrum Bononia erat (Irnerius, †ca 1125).

[3] *Laurin*, 12.

[4] De anno quo prodiit Decretum haud parva controversia est. Certe non ante 1139 nec post 1151. Olim communiter a. 1150 adsignabatur, novissime critici inclinant potius versus a. 1140. cf. *Laurin*, 21 ss.; *Wernz*, I, 231. Ceterum de vita Gratiani fere nihil cognoscimus: natus esse videtur Carrariae ap. Ficulle (prov. Urbis Veteris). *U. Stutz*, Gratian u. die Eigenkirchen in Z. d. Savigny-Stift. Kan. Abt. I (1911) 2. Mortuus ante 1179.

[5] *Heyer*, Der Titel der Kanonensammlung Gratians in Z. d. Sav.-Stift. für Rg. Kan. Abt. II (1912) 336-342; *Idem*, Namen u. Titel des Gratianischen Dekretes in AK CXIV (1914) 501 ss. Id negaverat *Laurin* 25 ss. cui alii quoque adstipulantur.

Gratianus auctoritates plerumque *non* ex fontibus originalibus, sed ex collectionibus quae antecesserant desumpsit. Unde complures spuriae etiam apud eum inveniuntur; praeterea non multum attendit quaenam vis iuridica esset earum quas afferebat, locos S. Scripturae, Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, iuris particularis, obsoleti, romani, germanici permixte cum decretalibus pontificiis et conciliorum canonibus congessit.[1] Et cum eius collectio, quamvis summis laudibus cumulata, in foro et in schola amplissime adhibita, cura Gregorii XIII edita cum prohibitione textum immutandi, tamen *numquam* uti *authentica* declarata fuerit, mansit *opus* mere *privatum*, quapropter quidquid in ea continetur non maiorem auctoritatem habet ac si seorsim a Decreto spectetur.[2]

Divisum est Decretum in partes *tres*, quarum *prima* de natura et fontibus iuris («tractatus decretalium», d. 1-20) et de personis («tractatus ordinandorum», d. 21-101) agit, continet *distinctiones* 101 et sub qualibet distinctione plures canones aut *capita*. Allegatur: c. 3, d. 10. Pars *altera* varias materias complectitur, praesertim vero ordinem iudiciorum, bona ecclesiastica, ius regularium et matrimoniale respicit; haec omnia in 36 *causis* proponuntur, quarum singulae plures *quaestiones* habent, quaestionibus capita subduntur. Quaestio tertia causae 33 singularem tractatum *de poenitentia* exhibet, qui in distictiones distribuitur. Allegatio secundae partis: c. 2, C. VIII, q. 2; excepta sectione poenitentiali quae ita: c. 2, d. 4 *de poen.*, causa et quaestione subintellectis. *Tertia* denique pars de sacramentis et sacramentalibus agit et in 5 distinctiones dispescitur. Citatur: c. 1, d. 2 *de cons.* Auctoritatibus quas Gratianus collegerat plusquam 150 aliae in Decreto accesserunt, a discipulis primum in margine descriptae postea in ipsum operis contextum translatae, hae *paleae* vocantur.[3]

48. Magnum historicum momentum Decreti in eo est, quod classicus liber *novae scientiae canonicae* evasit, quae inde initia coepit. Vix enim in lucem prodiit, antiquiores collectiones oblitteravit, novis aditum prae-

---

[1] Fontes mediatos et immediatos Decreti recenset *Laurin*, 14-21.

[2] cf. *Bened. XIV*, De syn l. VII, c. 15, n. 6; *Gasparri* in praef. ad C.

[3] A nomine primi discipuli qui eas in notabili numero adiecit, *Paucapalea*. Huic tribuitur quoque divisio primae partis Decreti in distinctiones, insertio d. 73, distractio a secunda parte causae 37, ex qua tertiam efformavit et in distinctiones distribuit. Quae omnia autem certa non sunt. Alii volunt *paleas* dictas esse quia *grano* (Gratiani) adiectae. cf. *Gillmann*, Paucapalea u. paleae in AK LXXXVIII 466 ss. Numeratio capitulorum sine paleis a Carolo Dumoulin (1554), cum paleis a Le Comte (1556) provenit.

clusit, ubique vulgatum et receptum est, omnium ad se studia convertit. Ius canonicum a theologia distinctum peculiarem disciplinam iam nunc constituit. *Decretistae,* eadem methodo ac doctores Corpus iuris civilis, in scholis, praecipue in universitate Bonioniensi, quo ex universa Europa innumeri fere auditores confluebant, Decretum publice legere et explanare coeperunt. Mox etiam calamo illustratum est. Glossis interlinearibus et marginalibus, ex quibus orta est *glossa ordinaria* Ioannis Teutonici (intra 1210-1215) a Bartholomaeo Brixiensi (ca 1245) emendata, accesserunt *apparatus* i. e. perpetua commentaria textus, *summae* scilicet compendiosae expositiones materiae vel universae vel particularis, *quaestiones,* quo nomine uberiores tractatus alicuius singularis argumenti plerumque designabantur, *distinctiones, repetitiones, brocardica* seu regulae et principia iuris ex Decreto desumpta, aliaque multa.

Praecipui **Decretistae** sunt: *Paucapalea,* qui non solum in opere magistri perficiendo et augendo primas partes habuit, sed insuper «Summam» scripsit quae omnium antiquissima esse videtur;[1] *Rolandus Bandinelli,* postea in sede apostolica Alex. III (1159-1181), iam ante a. 1148 «Stroma» composuit;[2] *Omnibonus,* serius ep. Veronensis (1157-1185), cui tribuitur «Abbreviatio Decreti», probabiliter a. 1156 edita, ideo notabilis quia meliorem ordinem in opus Gratiani inducere conatur; *Rufinus,* natione Gallus, cuius «Summa» a. 1164 absoluta fuisse videtur;[3] *Stephanus Tornacensis* ep. († 1203) eius discipulus;[4] *Ioannes Faventinus* ep. qui ca a. 1171 «Summam» edidit suo tempore valde celebratam, sed Rufinum et Stephanum plus aequo expilavit; *Huguccio* Pisanus, magister Innocenti III, deinde ep. Ferrariensis († 1210) glossatorum Decreti princeps, amplissimam «Summam» concinnavit (1188), quae tum rerum copia tum exponendi et interpretandi ratione reliquis praecellit, quamvis aliqua prolixitate laboret;[5] *Bazianus* († 1197) primus «doctor utriusque iuris», cum antequam clericus fieret et ius canonicum doceret, civile tradidisset; *Ioannes Teutonicus* in Germania natus sed Bononiae magister († 1246 vel 1247) «Apparatum» exaravit, qui uti glossa ordinaria receptus est.[6]

Cum igitur Decreti auctoritas nedum in *scholis* sed etiam in *foro* et in *quotidiano usu* maxima ac pene universalis facta esset, quia ab auditoribus Bononiensibus, saepe vel ad summa ecclesiastica officia promotis, ubique adhibebatur, Magister ingentem influxum exercuit et merito *pater iuris canonici* appellatur. Exinde ius, quod hactenus fere totum particulare erat, *universale* fieri coepit, tam theoretice quam practice, nam *unus* liber omnibus norma fuit et secundum ipsum consuetudines efformatae sunt, itaque legislationi universali sequentium Pontificum (Alex. III, Innoc. III, Greg. IX) via parata est et futurae evolutioni iuridicae solidum fundamentum positum.[7]

---

[1] *Schulte,* Die Summa des Paucapalea, Giessen 1890.
[2] *Thaner,* Die Summa Magistri Rolandi, Innsbruck 1874.
[3] *Singer,* Die Summa Decretorum des Magister Rufinus, Paderborn 1902.
[4] *Schulte,* Die Summa des Stephanus Tornac. Giessen 1891.
[5] cf. *Gillmann,* Die Abfassungszeit der Dekretsumme Huguccios in AK CXIV 223 ss.
[6] Apparatus Ioannis Teut. in editionibus glossatis Decreti invenitur.
[7] cf. *Hergenröther-Hollw.* 184.

49. Compilationes decretalium. Post Gratianum aetas intercessit, in qua ius canonicum alacriter et actuose evolutum perfectumque est, tum per oecumenicas synodos (Later. III, 1179 et Later. IV, 1215) tum praecipue per *decretales* pontificias, quae iam frequentissimae erant et, etiamsi pro casibus particularibus datae (rescripta), vim normae iuridicae universalis in similibus habere censebantur.[1] Omnia haec nova in Decreto suis locis inserere impossibile erat, ignorare non oportebat, unde mox ortae sunt collectiones quae ad instar appendicum imprimis decretales post Gratianum editas, sed alias quoque auctoritates ab eo praetermissas — ideoque *extravagantes* dictas — referebant.

Harum *compilationum*, quae a principali materia *Decretalium* vocantur, plusquam viginti notae sunt,[2] inter eas vero *quinque* excelluerunt, quia a professoribus Bononiensibus simul cum Decreto legebantur et deinde etiam glossatae sunt, quocirca hae solae, ceteris neglectis, in communem usum transierunt, ad complendum supplendumve Gratianum admissae. Hac de causa *Compilationes* simpliciter appellatae et altera ab altera ordinali numero uti prima secunda tertia quarta quinta distinctae, serius demum *compilationes antiquae* dictae sunt, cum *nova* Gregorii IX eas excepit.[3]

Compilatio prima (ante 1191) auctorem habuit *Bernardum* praepositum, deinde episcopum, *Papiensem* († 1213), qui eam «Breviarium extravagantium» inscripsit, et merito quia non integras decretales sed partes tantum earum continet. Cum Gratianum complere vellet, *nihil* quod apud illum iam erat recepit, sed antiquiora iura non pauca quae illum *effugerant*, praecipue vero *decretales posteriorum* Pontificum, ab Alex. III ad Clementem III (1187-1191), praeterea canones conc. Later. III. Sed quod pluris refert, Magistri ordinem multum perfecit, nam exemplaria iuris Romani imitatus, totam materiam in *V libros*, hos in *titulos*, titulos in *capita* distribuit. Quinque libri de

[1] Iampridem hoc Pontifices Rom. identidem postulaverant, uti ex. gr. Siricius († 399) in epist. ad Himerium, Innoc. I († 417) in ep. ad Alexandr. patr. Antiochenum, sed demun post Gratianum legislatio universalis ingens incrementum coepit.

[2] Fere omnes describit *Laurin*, 90-126. Memoria dignae sunt quae Compilationi I praecesserunt: *Appendix Concilii Lateranensis* (50 part. 537 cap.), *Collectio Bambergensis* (54 tit. 446 cap.), *Lipsiensis* (65 tit. 632 cap.), *Casselana* (65 tit. 479 cap.).

[3] *A. Augustinus*, Antiquae collectiones decretalium, Ilerdae 1576 quattuor priores in lucem edidit, quintam *Cironius*, Quinta compilatio epist. decretalium Honorii III, Tolosae 1645; omnes, at incomplete, *Friedberg*, Quinque compilationes antiquae, Lipsiae 1882.

personis, de iudiciis, de clero et rebus sacris, de matrimonio, de delictis et poenis — iuxta notum versiculum: *Iudex, iudicium, clerus, connubia, crimen* — agunt; singuli tituli *rubricas*, haud raro e corpore Iustinianeo translatas, habent. Quae dispositio ita perspicua et accomodata visa est, ut constanter deinde retineretur.

Compilatio secunda, a Ioanne Galensi concinnata, decretales exhibet Clementis III et Coelestini III (1191-1198), unde immediate Breviario subnectitur et propterea secundae nomen accepit, quamvis post tertiam orta.

Compilatio tertia decretales ab Innocentio III in primis duodecim annis (1198-1210) sui pontificatus editas continens ipsius iussu ab apostolico notario Petro Collivacino absoluta est et universitati Bononiensi transmissa (1210), ut adhiberetur «tam in iudiciis quam in scholis»; est igitur *prima collectio authentica*.

Compilatio quarta (1220 ?) decretales Innocentii III inde ab anno 1210 necnon canones conc. Later. IV colligit; cui tribuenda sit ignoratur, cum non satis probata videatur opinio quae eam authenticam fuisse tenet.

Quinta denique, auctoritate Honorii III edita et item universitatibus transmissa (1226), ideoque publica, huius pontificis decretales exhibet.

50. Decretales Gregorii IX. Attamen necessitatibus, in dies auctis, scientiae et vitae iuridicae per quinque compilationes admodum imperfecte satisfiebat. Nam, praetermisso etiam quod in pluribus libris extravagantes dispersae erant, quaedam licet genuinae in nullo legebantur ideoque aut *negligi* aut imo uti spurias eas *respui* saepe contingebat, quaedam aut *inutiles* aut nimis prolixae aut iam obsoletae, aliae demum *incertae* auctoritatis aut cum aliis *pugnantes* videbantur. Quare frequentes dubitationes et incertitudines oriebantur ac multorum erat in votis, ut suprema potestas authentice quid pro iure habendum quid resecandum esset decerneret.[1] Quibus permotus *Gregorius IX* (1227-1241) consilium iniit novae collectionis publice conficiendae munusque commisit *Raymundo*

[1] cf. bullam promulgationis *Rex pacificus*; *Laurin*, 126 s.; *Scherer*, I, 250, Ex obiectivis igitur causis collectio adornata est, non ex Pontificis desiderio universalis potestatis exercendae.

de Pennaforte, poenitentiario suo,[1] ei peramplam tribuens facultatem inserendi, omittendi, contrahendi, immutandi quae in syllogis post Gratianum adornatis continebantur, aut etiam addendi si quae opportuna viderentur. Opus quattuor annorum spatio absolutum, per const. *Rex Pacificus,* 5 sept. 1234, promulgatum et universitatibus Bononiensi ac Parisiensi missum, primum «Compilatio nova vel sexta» appellatum est, crebrius «Liber extra (vagantium)», postea vero communiter «Decretales Gregorii IX».

Raymundus a praedecessoribus divisionem in *V libros,* in *titulos* et *capita* (unde allegatio: c. 3, X. 4, 9) assumpsit, rerum ordinem quoque et titulorum rubricas, paucis tantum immutatis vel adiectis,[2] necnon fere totam materiam; addidit autem 196 capita Gregorii IX, *vel* ex huius iam publicis decretalibus depromta *vel,* ad statuenda principia aut dubia solvenda, apposite data.[3] Ut vero brevitati consuleret contrarietatesque auferret, documenta libere mutilavit contraxit reformavit. Qua in re cum pontificia auctoritate egerit, quidquid de scientifica eius opera sentiendum sit,[4] arbitrii et falsi accusari nequit.[5] *Promulgatio* enim Gregorii IX collectionem *unam* et *authenticam* fecit, cuius singula capita, in parte dispositiva, cuiuscumque originis et tenoris fuerint, *tunc* in nova forma vim legis *universalis* obtinuerunt. Idem de *rubricis* affirmandum est, si haberent sensum perfectum, secus ut medium interpretationis usui erant. *Exclusiva* vero collectio non fuit nisi relate ad compilationes antiquas, at neque Decretum neque decretales alias adhuc forte extravagantes abolevit.

Hoc ipso tempore incidit *aurea aetas classici iuris canonici.* Summo studio innumeri homines in eo audiendo, docendo, interpretando incumbebant. Plurima opera scientifica prodierunt, assueta methodo et forma

---

[1] Natus post 1180 prope Barcinonam, doctor Bononiensis, magister generalis O. P., † 1275. Canonizatus 1601. De eo in Brev. Rom. d. 23 ian.

[2] Ex 185 titulis quinque dumtaxat novi sunt, reliqui omnes iam in compilationibus antiquis extant. *Laurin,* 135 s.

[3] Decretales 1971 capita continent, quorum 1766 ex compilationibus, 196 Greg. IX, 9 ex decretalibus Innoc. III. *Scherer,* I, 250. Paullo aliter *Laurin,* 133 s.

[4] Quae non adeo excellens fuit. Vitia huius collectionis bene recenset *Bernareggi,* 74 ss.: praecipuum, iam a Bernardo Pap. et reliquis commissum, quod in rescriptis resecatae sunt *species facti,* unde saepe decisio obscura fit. Hae partes decisae suppletae sunt serius ab editoribus.

[5] Uti fecerunt Schulte et Friedberg.

a **Decretalistis,** prout nunc vocabantur commentatores decretalium, lucubrata. Inter quos prae aliis memoria digni videntur: *Bernardus Papiensis* qui Breviarii sui nedum glossas sed absolutam ac valde notabilem «Summam» etiam scripsit;[1] *Tancredus* († 1234-1236) canonista praestantissimus, qui praeter glossam ordinariam ad tres priores compilationes, «Summam de matrimonio» et «Ordinem iudiciarium», utrumque magni pretii opus, composuit;[2] *Goffredus de Trano* († 1245) auctor «Summae» valde laudatae; *Sinibaldus Fiesco,* qui cum iam esset summus Pontifex (Innoc. IV 1243-1254) sed ut doctor privatus egregium «Apparatum in V libros decret.» scripsit; *Bernardus de Botone* († 1263) concinnator glossae ordinariae; *Henricus de Segusia,* card. *Hostiensis* († 1271), «monarcha iuris» dictus, qui «Summam auream» et «Lecturam in Decretales» in lucem edidit; *Guido de Bayso* «Archidiaconus» († 1313), notus praesertim propter magnum Decreti commentarium, «Rosarium» vocatum, sed auctor praeterea «Apparatus in Sextum»; *Ioannes Andreae* ultimus at non minimus huius aetatis canonista, «fons et tuba iuris», qui ultra 40 annis Bononiae docuit celebratissimus († 1348) et multa scripsit, inter alia apparatus in Sextum et in Clementinas, qui utriusque collectionis facti sunt glossa ordinaria, «Novellam» in Decretales.[3]

51. Liber sextus. Clementinae. Extravagantes. 1. Decretales post Gregorium IX editae et canones utriusque concilii Lugdunensis (1245 et 1274) ut in Gregorianos codices suis locis *insererentur* mandaverant Pontifices, quorum nonnulli decretales suas collegerunt et universitatibus miserunt (Innoc. IV, Greg. X, Nicol. III). Sed hoc, cum valde difficile esset, plerumque factum non est, quamvis schola has collectiones tamquam «Novellas» reciperet et illustraret. Quare mox multae appendices Decretalium, publicae et privatae, extiterunt,[4] cum omnibus incommodis quae ex hac re consequebantur. Unde necessitas ut iterum multiplicia iura in unum corpus redigerentur. Id praestitit *Bonifacius VIII* (1294-1303) per Guilelmum de Mandagoto archiep. Ebrudunensem, Berengarium Fredoli ep. Biterricensem et Richardum Petroni Senensem, R. E. Vicecancellarium.[5] Compilatores in contrahendis aptandisque textibus magna libertate usi sunt, ita ut haud raro nova redactio haberetur, additis vero multis capitibus

---

[1] *Laspeyres,* Bernardi Pap. Summa Decretalium, Ratisbonae 1860.

[2] *Wunderlich,* Tancredi Summa de matrimonio, Gottingae 1841; *Bergmann,* Pilii, Tancredi, Gratiae libri de ordine iudiciario, Gottingae 1842.

[3] Fere omnia opera horum decretalistarum, et aliorum quoque, typis expressa sunt iam saec. XV et XVI, quorumdam saepius.

[4] De his videri potest *Laurin,* 165-176.

[5] 88 *Regulae iuris,* quae in appendice continentur tribuuntur *Dino de Rossonibus,* Mugellano, iuris civilis doctori Bononiensi.

ipsius Bonifacii VIII plurima *dubia iuris* resolverunt. Opus bulla *Sacrosanctae* 3 mart. 1298 promulgatum, «*Liber sextus*» dictum atque eadem methodo et ratione distributum ac Decretales, harum complementum *authenticum* fuit et relate ad constitutiones inter 1234 et 1294 latas, sed nec receptas nec reservatas, *exclusivum*. Citatur: c. 3, in VI. 3, 12.

2. *Clemens V* (1305-1314) constitutiones suas in conc. Viennensi (1311-12), ante et post ipsum latas, recognitas et emendatas, in collectionem quinque librorum sub assuetis titulis adunaverat, quam in consistorio apud Carpentoratum celebrato (1314) promulgaverat. At eius mors transmissionem ad universitates intercepit, unde de valore collectionis dubium exurgere potuit. Quod sustulit *Ioannes XXII* per bullam *Quoniam nulla*, 25 oct. 1327, «*Clementinas Decretales*» diserte confirmans et Bononiensi ac Parisiensi scholae communicans. At quamvis *authentica* et *universalis*, haec collectio *non* fuit *exclusiva*.

3. Qua de causa decretales post librum sextum latas, utpote vi legali praeditas, multi collegerunt earumque plures authenticis voluminibus subnectere consueverunt. Ex quibus *extravagantibus* praesertim 20 Ioannis XXII, quas canonista Zanzelinus de Cassanis (1325) copioso apparatu munivit, et 70 variorum Pontificum a Bonifacio VIII usque ad Sixtum IV (1295-1483), quae graviores aut utiliores videbantur, frequentius occurrebant. Has *Ioannes Chappuis*, cum editionem Parisiensem Corporis iuris canonici curaret (1500) in duas collectiones distribuit, alteram in 14 titulis *Extravagantes Ioannis XXII* continentem, alteram 70 (serius 74) *Extravagantes communes* in V libros (at IV vacat) et titulos divisam. *Utraque* collectio *opus* mere *privatum* et exigui scientifici pretii fuit; nihilominus in omnibus posterioribus editionibus mansit. Decretales receptae vero nonnisi illam auctoritatem habuerunt, qua antea fruebantur.

Corpus iuris canonici complexus harum sex collectionum inde a saec. XVI vocari consuevit.[1] Ex mandato Conc. Trid. *Gregorius XIII* per «Correctores Romanos» *textum* revidendum expurgandum et emen-

[1] Quod nomen, ex iure Romano translatum, antea quoque usurpatum erat, ita ut «Corpus iuris» vel «Corpus canonum» iam Dionysiana ac Collectio Anselmo dicata, deinde vero «Corpus iuris canonici» Decretum Gratiani, Collectio Gregoriana, Liber sextus, singulae Compilationes antiquae et praesertim tres collectiones authenticae vocatae sint. cf. *Laurin*, 221 ss.

dandum curavit, per breve *Cum pro munere,* 1 iul. 1580, eumdem immutari prohibuit et editionem Romae a. 1582 impressam pro usu pubblico authenticam declaravit. Attamen haec approbatio ipsum corpus non attigit, cuius singulae partes proinde maiorem auctoritatem aut aliam iuridicam naturam, ac antea habebant, non obtinuerunt.

III. FONTES IURIS POST CORPUS IURIS CANONICI.

52. Regulae Cancellariae. Post editas Clementinas nullum amplius authenticum corpus universi iuris canonici prodiit, licet legislatio ecclesiastica multipliciter immutata fuerit et aucta. Tamen complures collectiones, quarum aliquae publice confectae pleraeque privatae, fontes iuris recentioris continebant. Inter has recensendae sunt primum *Regulae cancellariae apostolicae.* Erant hae normae a Pontifice initio pontificatus, et ad eius vitam valiturae, cancellariae pro expediendis gratiae et iustitiae negotiis datae;[1] et *aliae* quidem formam litterarum apostolicarum determinantes *(directivae* seu *expeditivae), aliae* collationes ac reservationes beneficiorum respicientes *(beneficiales, reservatoriae), aliae* ad ordinem iudicialem spectantes *(iudiciales).* Morte Pontificis expirabant, quare sede vacante non vigebant, ut reviviscerent confirmatione successoris opus erat.

At cum ab unoquoque haec fieret atque, licet haud raro immutationes, omissiones, accessiones inducerentur,[2] semper antecedentium ratio habita sit, merito *edicto perpetuo* praetoris comparatae sunt. Vim *legis* obtinebant:[3] directivae pro officialibus, reliquae pro omnibus, quorum negotia attingerent, dummodo iure concordatario vel legitima consuetudine abrogatae non essent.[4]

Hodie regularum cancellariae *plures* in canonibus C. aequivalenter vel limitatae exprimuntur,[5] *quaedam* per con-

---

[1] *Ottenthal,* Die päpstl. Kanzleiregeln von Ioannes XXII bis Nicolaus V, Innsbruck 1888, VI ss.

[2] Regulas cancellariae usque ad Clem. XI (1700-1721) multipliciter fuisse mutatas et demum ab hoc tempore easdem mansisse (non inde a Nicolao V, ut plerumque docetur) demonstravit *Iackowski,* Die päpstl. Kanzleir. etc. in AK XC (1910) 21 ss. Textum regularum Pii VI exhibet *Ferraris,* Prompta bibl. ed. Parisien. 1863, I, v. Beneficium a. X, antiquarum *Ottenthal,* o. c.

[3] cf. *Iackowski,* l. c. 38 ss.

[4] Neque in Germania neque in Gallia pleraeque regulae cancellariae receptae sunt, sed aliquae dumtaxat. *Iackowski,* 44 ss.; *Bouix,* De principiis, 247 ss.; *Wernz,* I, 252.

[5] Reg. 1-8 cf. can. 1431, 1435, 396 § 1; reg. 19 (de viginti) cf. can. 1486; reg. 20 (de idiomate) cf. can. 453 § 2, 149; reg. 21 cf. can. 150; reg. 35 et 36 (de annali et triennali) cf. can. 1447 et 1446.

trarias dispositiones uti abrogatae censendae sunt,[1] *aliae* quatenus ad stylum Curiae pertineant neque sint reformatae adhuc vigere videntur.[2]

Primus qui *scriptas* regulas cancellariae apostolicae collegit et publicavit fuit *Ioannes XXII* (1316-1334),[3] cuius exemplum omnes Pontifices, inde ab hoc tempore, imitati sunt, plerumque ordinationes decessoris plus minusve mutatas vel auctas confirmantes. Nova recensio facta est a *Gregorio XI* (1370-1378), generalis reformatio vero ab antipapa Avenionensi *Benedicto XIII* (1393-1424), quae deinde etiam in cancellaria Romana recepta est. *Nicolaus V* (1447-1455) dicitur antiquis regulis *iudiciales* adiecisse, quod non omnimode verum est, cum aliquae eo vetustiores sint. Regulae usque ad initium saec. XVIII in perpetua evolutione et progressu fuerunt, exinde numero 72 et invariata forma manserunt. Iam a multis saeculis usuvenerat ut diem post electionem Papae semper adscriptum haberent, licet serius compositae et publicatae, *Urbanus VIII* autem ut omnem ambiguitatem tolleret, clausulam apposuit qua a crastino post assumptionem novi Pontificis ligare inciperent, etiamsi nondum publicatae.[4]

53. Decisiones Rotae Romanae, antiquissimi huius tribunalis, cui ex universo orbe causae deferebantur, olim maximo in pretio habitae sunt et, praesertim ante institutas Congregationes, ingentem influxum in firmandis principiis iuridicis et efformando *usu forensi* exercuerunt. Remotissima aetate enim auditores R. Pontifici ipsi sententias proferenti adsistebant eiusque consiliarii in iure erant, unde arcta connexio inter decretales et vetustas decisiones habetur.[5] Sed etiam serius, quando eis nedum cognitio sed et definitio causarum commissa est, tanta fuit eorum auctoritas, praecipue cum constantem iurisprudentiam servarent, ut sententiae rotales, quamvis nonnisi ius inter partes facerent, magnum pondus in reliquis tribunalibus et in scholis assequerentur et tamquam argumenta ad genuinum sensum canonum probandum passim allegarentur.

---

[1] reg. 9 de mensibus papalibus; reg. 30 de verisimili notitia, reg. 26, 58, 62 de expectativis.

[2] *Pius X* in normis peculiaribus adiectis const. *Sapienti consilio,* cap. IX, a. 1 iussit regulas Cancellariae reformandas esse a coetu Cardinalium, interim (a. 2) voluit eas vigere. De hac reformatione nihil innotuit. Stylus Curiae uti norma subsidiaria statuitur in can. 20.

[3] Distinguendae sunt ab *ordinationibus cancellariae,* quae perpetuae leges erant officia Curiae, collegia et tribunalia, eorum competentiam, taxas disponentes. Harum iam inde a saec. XII memoria extat. *Tangl,* Die päpst. Kanzleiordungen von 1200 bis 1500, Innsbruck 1894.

[4] Primus glossator fuit *Alphonsus de Soto* (1484-1486), quem multi secuti sunt. cf. *Göller,* Die Kommentatoren der päpstl. Kanzleir. vom Ende des 15. bis zum Beginn des 17 Iahrh. in AK LXXXV (1905) 443 ss. Celeberrimus et classicus est *Riganti,* Commentaria in regulas etc. Romae 1744-47.

[5] cf. *Lega,* Praefatio ad S. R. R. decisiones seu sententias, vol. I, Romae 1912, VI ss.

Quare nil mirum si iam pridem in collectiones conflatae sunt, quae tamen omnes privatae diligentiae sunt tribuendae. Ex decisionibus aliae *antiquiores* vel *antiquissimae, antiquae, novae, novissimae, recentiores* nuncupari solent, at denominationes non apud omnes eisdem limitibus continentur. Prima collectio adornata esse videtur a. 1376, sed in hac praeter antiquas iam novae referuntur.[1] Deinde plurimae aliae prodierunt. Rota a Pio X restituta suas sententias authentice edit.

54. Canones Conciliorum. Concilia saec. XV falsae doctrinae circa constitutionem Ecclesiae indulserunt. *Pisanum* numquam confirmatum fuit. *Constantiense* (1414-1418) et *Basileense* (1431-1443) decreta etiam in re disciplinari tulerunt, quae, licet cum clausulis limitantibus, a Martino V et Eugenio IV approbata sunt, ideoque vim legis universalis obtinuerunt. *Lateranense V* (1512-1517) quoad ius canonicum parum praestitit. E contra maximi momenti fuit *Conc. Tridentinum* (1545-1563), a quo moderna aetas iuris ecclesiastici revera incipit, quia in plurimis antiquam disciplinam penitus reformavit atque fundamentum posuit totius sequentis legislationis, prout etiam nunc in C. extat. Decreta Tridentina praesertim administrationem dioeceseos, educationem cleri, beneficia, matrimonium, regulares plenissime ordinaverunt, at nulla fere est provincia iuris in qua aliquid non innovaverint. Concilium confirmavit et promulgavit Pius IV, bulla *Benedictus Deus,* 26 ian. 1564, simulque sub censura l. s. prohibuit ne quis eiusdem commentaria vulgaret. *Interpretatio* reservata fuit exclusive S. Sedi. Ultimum concilium generale, *Vaticanum* (1869-1870), canones disciplinares, quorum magnam copiam paraverat, propter angustias temporis edere non potuit, at ex multiplici causa nostra quoque interest: quia *primatum* pontificium definivit,[2] quia *codificationem* promovit, quia plura capita novissimi iuris a Leone XIII et Pio X conditi ab eo primam *originem* repetunt.

Concilia provincialia quolibet tertio anno celebrari Conc. Tridentinum iusserat, quod mandatum tamen parum observatum

[1] De antiquis collectionibus fuse et erudite agit *Lega* l. c. XXXVIII ss.

[2] Influxum tamen huius dogmaticae definitionis in evolutionem iuris canonici exaggerant quidam scriptores, qui de *aetate vaticana* iuris canonici loquuntur. *Stutz,* Kirchenr. 358 et passim in aliis eius operibus; *Hörmann,* Zur Würdigung des vatik. Kirchenr. Innsbruck 1917, 6 ss.; cf. *Hilling* in AK XCIV, 331 s.; XCVII, 481 s.

est. Nihilominus *tum* exeunte saec. XVI (conc. Mediolanensia S. Caroli; plura conc. Gallica) *tum* rarius sequentibus (conc. Tarraconensia in Hispania, conc. Beneventana et Romanum 1725 Ben. XIII) *tum* praesertim saec. XIX-XX (conc. Baltimorensia, plenaria Amer. sept. et latinae, aliaque multa in omnibus Europae regionibus) huiusmodi coetus habiti sunt, quorum decreta nedum ad ius particulare sed etiam ad illam «vigentem Ecclesiae disciplinam»[1] quae nunc est codificata, haud modicum contulerunt.

Acta conciliorum, *privata* industria congesta, in pluribus collectionibus inveniuntur: *Labbe* et *Cossart,* Sacrosancta concilia, Parisiis 1671 ss. 17 vol.; copiosior est nova eiusdem operis editio a *Colet* curata, Venet. 1728 ss. in 23 vol. - *Hardouin,* Acta conc. et ep. decret. summ. pontif. Parisiis 1715, 11 tom. (12 vol.); - *Mansi,* Sacr. conc. nova et amplissima collectio, Florentiae et Venet. 1759 ss. 31 vol. quae documenta continent usque ad a. 1439, huius operis continuatio est *Martin* et *Petit,* Collectio conc. recentior. ecclesiae universae, Parisiis 1905 ss.; - *Collectio Lacensis,* Acta et decreta conc. recentior. Friburgi 1870 ss. - *Schannat et Hartzheim,* Conc. Germaniae, Coloniae 1759 ss.; - *Sirmond,* Concilia antiqua Galliae, Parisiis 1629, suppl. a *de la Lande,* Paris. 1666; - *Odespun,* Concilia novissima Galliae, Paris. 1646; *Aguirre,* Collectio max. conc. Hispaniae, Romae 1753 ss.; - *Wilkins,* Conc. Magnae Brittaniae et Hiberniae, Lond. 1737; Acta Ecclesiae Mediolanen. cur. *A. Ratti,* Mediol. 1892 ss. etc.

55. Constitutiones pontificiae. Decisiones Congregationum. At potissimus fons iuris communis scripti, omnibus his saeculis, fuerunt *constitutiones* pontificiae. Harum plurimae conditae sunt, nullibi autem authentice collectae, si excipias tomum primum decretalium Benedicti XIV, qui ipsius auctoris nomine et cura promulgatus est.[2] Viri privati autem non defuerunt qui R. Pontificum leges coadunarent in volumina, quae *Bullaria* inscripta sunt, licet non tantum bullas sed et alia documenta, tum universalia tum particularia, continerent. Primus fuit Laertius Cherubini (1586), alii deinde secuti sunt, ita ut praecipua acta omnium Pontificum, a Leone I usque ad Pium X nunc collecta habeantur. Singulorum vero authentia per insertionem in Bullariis *nec* probatur *nec* efficitur.

Ad ius commune, sive constituendum sive praesertim interpretandum, pertinent etiam multae *decisiones* et *decreta* Congregationum Romanarum. Congregationis *Concilii* prae-

[1] can. 6.

[2] Etiam sequentia volumina II 1749, III 1753, IV 1757 cura Pontificis edita sunt, at non ita certe constat utrum sint authentica.

valens auctoritas fuit, quia exclusivam facultatem habuit interpretandi Tridentini. Cuius secretarius cum esset Benedictus XIV coepit resolutiones edere,[1] et haec collectio, aliquo sensu authentica, hactenus continuatur. Novissime vero prodierunt collectiones authenticae decretorum S. C. *Rituum* et S. C. *Indulgentiarum.* Atque inde ab a. 1904 primum *Acta S. Sedis* postea *Acta Ap. Sedis* commentaria officialia declarata sunt,[2] unde quae in eis tamquam a legislatore prolata exhibentur, absque dubitatione ut genuina considerari debent.

Bullaria: Cherubini, Bullarium... a Greg. VII usque ad Sixtum V, Romae 1586; — Bullarium magnum Rom. a Leone M. usque ad Bened. XIII, 1727 ss. (B. Luxemburgense); — Bullarium Romanum, Romae 1733 ss. (usque ad Clem. XII); — *Tomasetti,* Bullarium Romanum, Aug. Taurin. 1857 ss. (B. Taurinense). — Acta Gregorii XVI, Romae 1900; Acta Pii IX, Romae 1854 ss.; Acta Leonis XIII, Romae 1881 ss.; Acta Pii X, Romae 1905 ss. (authentica declarata a Secr. Stat. 26 dec. 1913, A. V. 558).

Thesaurus resolutionum S. Congreg. Conc., Urbini deinde Romae 1739 ss. — Decreta authentica Congr. S. Rituum, Romae 1898 ss. — Decreta authentica S. Congr. Indulgentiarum, Ratisbonae 1883. — Ius pontificium de Propaganda fide, Leonis XIII iussu recognitum, Romae 1888 ss. (non authent.).

IV. CODEX IURIS CANONICI.

56. Necessitas et processus codificationis. In huiusmodi conditionibus, ad postremos hosce annos, ius canonicum versabatur. Si cui libuisset dispicere, quid Ecclesia de certo quodam disciplinae capite praescriberet, *diversissimos fontes* consulere cogebatur. Praeterea, ex documentis quae in illis afferebantur, haud pauca omni *carebant utilitate,* alia nonnisi responsionem pro *singulari casu* datam exhibebant, ex qua legem generalem privato labore colligi oportebat, de certis quibusdam rebus *nulla norma* habebatur, dum e contra leges complures a diuturno tempore aut *abrogatae* aut *obsoletae* aut ad *particulare* territorium coarctatae in fontibus extabant. Nec deerant quae, licet ab initio prudentissime latae, immutatis temporum adiunctis, factae essent aut ad exequendum *difficiles* aut minus ad animorum salutem conducibiles, ideoque necessario *emendandae.*[3]

---

[1] cf. Praefationem operis De syn. dioec.

[2] AS XXXVII, 3 et A. I 5.

[3] Haec omnia, fere totidem verbis, in praefatione ad C. card. *Gasparri,* qui recinit et amplificat quod iam *Pius X* in Mp. *Arduum sane,* 19 mart. 1904 (AS XXXVI, 549) scripserat. Brevius, sed quoad rem idem, *Benedictus XV* in bulla promulgationis *Providentissima mater.*

Unde *necessitas* sacros canones in unum redigendi aptaque ac propria forma proponendi iamdiu persentiebatur. *Gregorius XIII,* dum editionem antiqui corporis iuris curabat, hoc consilium coeperat et trium Cardinalium coetui perficiendum commiserat, illo mortuo *Sixtus V* alacriter prosecutus erat, Cardinali *Pinelli* munus deferens. At quam is sillogem absolvit et «Clementis Papae VIII Decretales» inscriptam huic Pontifici, qui interim successerat incoeptoque foverat, obtulit (1598), varias ob causas,[1] nec approbationem nec promulgationem umquam est assecuta.

Temporis autem decursu incommoda et difficultates magis magisque invalescebant. Quare Patres conc. *Vaticani* multa postulata, ut novus iuris canonici codex conficeretur, proposuerunt.[2] Quibus S. Sedes, in iis quae urgentiora videbantur, per *partiales* codificationes satisfacere studuerat,[3] at nihilominus desiderium ut *universum* ius ad unitatem et ordinem in moderna forma redigeretur et ad temporum conditionem propius aptaretur non acquiescebat.[4]

Tandem *Pius X* magnum opus aggressus est, Mp. *Arduum sane munus,* 19 mart. 1904, commissionem Cardinalium constituens, quam penes esset totius negotii moderatio et cura.[5]

---

[1] *Gasparri,* praef.: «nescimus quo pacto». At causae satis notae sunt, et tum in vitiis operis ipsius, tum praesertim in conditionibus politicis illius temporis inveniuntur. *Wernz,* I, 207; *Scherer,* I, 275; *Sägmüller,* I, 185 s. — *F. Sentis,* Clementis Papae VIII Decretales, quae vulgo nuncupantur Liber septimus, Friburgi 1870 textum abbreviatum (sed recentioribus documentis auctum) edidit.

[2] Haec commemorantur etiam in praef. card. *Gasparri.* Sententiae, imo verba, quae in illis documentis leguntur, fere eadem redeunt in Mp. *Arduum sane.* Sed illud magis animadvertendum est, C. in plurimis locis respondere votis quae in conc. Vaticano prolata sunt. cf. *Stutz,* Geist, 129-156 et integra documenta in *Collect. Lac.* VII, 768 ss. 833 ss. 873 ss. 875 ss. 879 ss. 881 ss. 889 ss.

[3] *Pii IX,* const. *Apostolicae Sedis,* 12 oct, 1869 (de censuris, AS V, 287); *Leonis XIII,* const. *Officiorum et munerum,* 25 ian. 1897 (de prohib. libr. AS XXIX, 388), const. *Conditae a Christo,* 8 dec. 1900 (de relig. congreg. AS XXXIII, 341); C. Ep. et Reg. Instructio de modo oeconomice procedendi, 11 iun. 1880 (AS XIII, 324); C. P. F. decr. *Cum postremis,* 19 mart. 1893 (de missionibus, AS XXV, 513); *Pii X,* decr. *Ne temere,* 2 aug. 1907 (AS XL, 525), const. *Sapienti consilio,* 29 iun. 1908 (de R. Curia, A. I, 7); C. Cons. decr. *Maxima cura,* 20 aug. 1910 (de amotione administr. A. II, 636) etc.

[4] Cuius rei argumentum sunt, praeter postulationes cardinalium et praesulum, quarum meminit Mp. *Arduum sane,* etiam plura exempla codificationis a privatis viris tentata: G. de Luise, E. Colomiatti, A. Pillet, H. M. Pezzani. F. Deshayes, F. Russo et quoad ius poenale I. Hollweck.

[5] Initio 16 cardinales in commissionem adsciti sunt, quorum nomina in praef. card. *Gasparri* recensentur. Mox vero, quo res celerius et expeditius procederet, *peculiare consilium* quinque cardinalium institutum est, cui pertinuerunt Ferrata, Cavagnis, Cavicchioni, Gennari. Vives y Tuto, iis vero morte interceptis, successerunt Martinelli, De Lai, Pompili, Bisleti, van Rossum, Vinc. Vannutelli, Lega, Giustini. Horum dumtaxat, qui revera opus perfecerunt, meminit bulla promulgationis.

Invitati porro fuerunt omnes Ordinarii ut paucis referrent, an et quaenam in vigenti iure canonico immutatione vel emendatione aliqua prae ceteris indigere censerent.[1] Materiam parare sententiamque de ea edere demandatum fuit compluribus consultoribus, quibus praepositus *Petrus Gasparri,* tunc archiep. Caesareensis, qui serius cardinalis creatus relator factus est coetus Cardinalitii et totius laboris potissimus artifex.[2]

Diligentissimo studio et repetitis disceptationibus gradatim *schema* codicis ad finem adductum est, eiusque quinque libri subcessive Ordinariis totius orbis communicati, ut de eis suum quisque iudicium et animadversiones proferre posset. Interim Pius X diem supremum obiit (1914), et *Benedictus XV,* iam a pontificatus sui primordiis, institit ut brevi opus absolveretur, et re quidem vera, non multa mora interposita, dum illud ultimis curis, respectis praesertim episcoporum optatis, expoliretur, post duos annos Codicem, const. *Providentissima mater* 27 maii 1917 promulgavit, eumque decrevit vim legis pro universa Ecclesia habiturum esse a die festo Pentecostes (19 maii) anni 1918.

Praeter momentum *formale* unitatis et perspicuitatis iuris, etiam finis *substantialis,* illud innovandi et ad temporum necessitates aptandi, in codificatione intentus est. Qui finis in toto opere apparet, eidem notam quandam propriam, qua a veteribus collectionibus distinguitur, imprimens. Ad hunc refertur speciale studium quo media Ecclesiae *spiritualia* foventur, arcta connexio cleri et populi cum hierarchia ac praesertim cum *centro* regiminis urgetur, obligationes *laicorum* mitigantur, conflictus competentiae cum potestate *civili* devitantur. Haec omnia autem ad summum illud principium: «Salus animarum suprema lex esto» reducuntur, quod Pius X tam saepe proclamavit, sed *iam pridem* recentioris iuris evolutionis signaculum fuerat.[3]

57. Ratio et forma codificationis. «*Codex Iuris Canonici* Pii X P. M. iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus», alia prorsus methodo ac antiquae collectiones comparatus, est *propria* universi iuris ecclesiastici *codificatio,* ad instar codicum modernorum.[4] *Normae* brevibus,

---

[1] Secr. Stat. ep. *Pergratum mihi,* 25 mart. 1904 (AS XXXVI, 603).

[2] Normas consultoribus praefinitas, quibus in munere adimplendo uterentur, refert *Gasparri,* in laud. praef.

[3] cf. ME XXX, 51 ss.; *Hilling* in AK XCVIII, 76 ss.; *Stutz,* Geist 57, 155 s. 160 ss.

[4] Causae quae hunc progressum formalem iuris canonici adduxerunt bene exponuntur a *Bernareggi,* l. c. 125-138, 204-215. cf. etiam *P. Vidal,* Il nuovo Codice di d. c. in *Civiltà catt.* a. 68, vol. II, 547 ss. Praecipuae fuerunt evolutio ipsa scientiae iuris nostri et influxus scientiae ac praxis iuris civilis.

perspicuis, imperativis sententiis, nullis adiectis rationibus generali forma conceptis, proponuntur, quae *canones* vocantur et numero 2414 continenti serie per totum opus decurrunt. Ampliores in *paragraphos* (§) et *commata* (n) dividuntur. Systematice materia distributa est in *quinque libros,* quorum primus *normas generales* exhibet, alter de *personis,* tertius de *rebus,* quartus de *processibus,* quintus de *delictis* et *poenis* agit. Nimirum divisio, quae ex Institutionibus Iustiniani mutuata iam a multis saeculis in scientificis expositionibus iuris canonici translaticia erat,[1] quoad substantiam servata est. Librorum, excepto primo, in *partes,* harum interdum in *sectiones* partitio fit, quin tamen interrumpatur series *titulorum,* quae in unoquoque libro perpetua et praecipua est. Ubi res postulat tituli dispescuntur in *capita,* rarius capita in *articulos.* Quaelibet divisionis pars, maior vel minor, suam *inscriptionem* habet, attamen nonnulli canones praeliminares subinde extra titulos inveniuntur.

Ipsi codici praemissa est *praefatio* card. Gasparri, *bulla promulgationis,* Mp. *Cum iuris canonici,* quod interpretationem ordinat, *professio fidei;* illum concludunt *octo documenta,* ad quae, suis locis, canones remittunt (I-III de electione S. Pontificis, can. 160 et 2330; IV de concursu paroec. can. 459 § 4; V de administr. poenit. can. 884, can. 904, can. 2367, can. 2368; VI-VIII de solutione matrim. can. 1125) et denique index alphabeticus. In quibusdam editionibus praeterea adnotati sunt, in extrema quaque pagina, *fontes* unde canones eliciti sunt, at nec istae notae, nec praefatio, nec index authentiam C. participant.

Divisio fundamentalis est igitur in libros, titulos et canones, haud secus ac in antiquis collectionibus. Hodie autem sufficit numerum canonis *allegare.* Lib. I constat 6 tit. 86 can.; II tit. 19 can. 639; III tit. 30 can. 826; IV tit. 33 can. 643; V tit. 19 can. 220.

Codex, etiam *formam* et *redactionem* quod attinet, maxima cura concinnatus est et optata peritorum in arte non decepit. Cum multorum

[1] *Bernareggi,* l. c. 132 ss. *Institutiones* P. Lancellotti, et aliorum, dividuntur in quattuor libros, quorum argumentum indicatur his versibus:

Personas nos prima docet, resque secunda,
Tertia dat iudices, crimina quarta premit.

In C. vero «Normae generales» ex tractatu de personis discerptae efformant peculiarem libr. I, unde quinquenarius numerus habetur. Systema multo praestat imperfectissimo Decretalium et usui bene est accomodatum, facile autem reduci potest ad systema quod in modernis scientificis tractatibus iuris canonici plerumque receptum erat.

concursu absolutus sit, devitari quidem non potuit quin quaedam menda irrepserint, at horum pleraque statim post promulgationem correcta sunt et a recentioribns editionibus exularunt, alia nonnulla in terminologia vel singularum rerum distributione ac huiusmodi practice nihili referunt.[1]

58. Vis et natura iuridica Codicis. *a)* Ex bulla promulgationis constat imprimis Codicem, «sic ut digestus est», collectionem esse *authenticam*. Omnia igitur quae continet a legislatore provenire censenda sunt et vim legis habent, vel si careant sensu perfecto, uti inscriptiones, saltem eius mentem, in interpretatione attendendam, ostendunt.

b) Secundo est *universalis*, ideoque omnes subditos Ecclesiae ubique terrarum obligat. Attamen *Orientales* positive (can. 1) excipiuntur, in iis quae ad propriam eorum disciplinam pertinent. Fuit enim constans regula, ut illi legibus etiam generalibus non obstringerentur, nisi in rebus fidei aut in eis quae explicite[2] vel implicite, pro subiecta materia (ius divinum, iura primatus), ad Orientales quoque extenduntur. Haec in C. firmatur; sed quem hucusque Corpus iuris apud Graecos locum tenùit *fontis subsidiarii*,[3] eumdem assecuturum esse Codicem merito praesumendum est.

c) Tertio est collectio *unica* et *exclusiva*. Scimus enim legislatorem sibi proposuisse, ut omnes leges in unum redigeret, ne in pluribus fontibus dispersae essent quaerendae.[4] Quod de legibus sensu proprio *disciplinaribus* intelligendum est, unde in C. nec ius Ecclesiae *constitutivum* nec ius *liturgicum* data opera exhibetur. Sunt quidem canones, qui utrumque illud, prouti etiam ius naturae vel doctrinam fidei. respiciunt, at nonnisi per accidens vel uti principia quibus ius constitutum innititur ponuntur.[5] Quare authentici libri

---

[1] cf. *Bernareggi*, l. c. 356 s. 360 s.; *Stutz*, Geist 46, 220 s. Singulas difficultates alii interpretes animadverterunt.

[2] cf. can. 98, 257, 542, 622 § 4, 733 § 2, 782 § 5, 804 § 1, 851, 866, 881, 955 § 2, 961, 1004, 1099 § 1.

[3] *Papp-Szilágyi*, o. c. 68.

[4] cf. Mp. *Arduum sane:* «ut *universae* Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur»; C. Sem. et Univ. decr. 7 aug. 1917 (A. IX, 439) «*unicus* et authenticus fons»; can. 6 nn. 5-6.

[5] *Gasparri*, praef. Normae consultoribus praescriptae: «I. Ut Codex eas tantummodo leges complecteretur quae ad disciplinam spectant. Nihil tamen prohibebat, quo minus in Codice *principia quaedam* attingi possent aut deberent, quae ad ius naturae aut ad ipsam fidem referrentur».

liturgici[1] uti *fontes peculiares* perdurant, omnesque leges liturgicae vim suam retinent, nisi earum aliqua in C. expresse corrigatur (can. 2)[2].

Altera limitatio attinet ad ius *concordatarium*. Conventiones, quae die promulgationis vigebant, Ecclesia nec potuit per actum unilateralem nec voluit abolere aut coarctare (can. 3). Idcirco quidquid in eis sive contra sive praeter novum ius statuatur, perinde valet ac si C. promulgatus non esset, atque concordata constituunt *fontem iuris particularis*, quod recentioribus temporibus ad communem quamdam formam redactum[3] iuri universali accedit eique derogat.

59. Relatio ad ius antiquum. Ex dictis consequitur omnes antiquas leges *disciplinares* generatim esse abolitas et totum, quod nunc viget, ius esse *formaliter* novum. At alienum prorsus a natura et traditione Ecclesiae fuisset, ideoque a mente legislatoris fuit, antiquum ius etiam *materialiter* radicitus convellere et plane novum adstruere, quin imo C. vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat (can. 6). Et quamvis hae nec paucae nec exigui momenti sint, tamen plurimi canones ius vetus ex integro referunt, imo in dubio *correctio non praesumitur* et ab illo non est recedendum (c. c. nn. 2 et 4; cf. can. 23). Quidquid autem antiqui iuris incolume mansit logice intelligi ac aestimari debet prouti hucusque a probatis auctoribus intelligebatur, nec partiales immutationes forte per C. inductae ulterius sunt extendendae, quam ipsa verba postulant (c. c. nn. 2 et 3).

Quibus praemissis, haec speciatim principia statuuntur:

a) Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis C. *oppositae* abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur (c. c. n. 1).[4]

b) Leges *disciplinares generales* hucusque vigentes, quae quidem C. contrariae *non* sunt, sed in eo nec explicite nec

---

[1] Missale, Pontificale, Rituale, Breviarium Rom., Caeremoniale Episcop., Collectio decr. C. R.

[2] cf. praesertim can. 106 circa questiones praecedentiae, quae hucusque ad C. R. nunc ad C. C. pertinent (can. 250 § 3).

[3] *Wernz*, I, 165.

[4] cf. ex. gr. can. 459 § 4.

implicite continentur,[1] omnes vim amisisse dicendae sunt (c. c. n. 6). At cum lex generalis non deroget particulari, leges, statuta, regulae sive *particulares* sive *speciales,* quae *praeter* ius commune aliquid iubent, per C. non sunt abrogatae.[2]

c) Sanctiones *poenales* vero, cum speciali modo odiosae sint, omnes sublatae aestimandae sunt, quarum in C. non fiat *expressa* mentio (c. c. n. 5).[3] Quod autem de statutis particularibus praeter ius commune, idem de poenis eisdem forte adnexis, dummodo ex iis sint quas modernum ius admittit, valet.[4]

d) Quia «lex non agit retro» (cf. can. 10), iura quaesita omnia, privilegia et indulta, datis quibusdam conditionibus, C. non tangit (can. 4). *Iura quaesita* proprie ea intelliguntur, quae quis sibi *facto iuridico* legitime iam comparavit, atque in tertias personas sunt omnino iustitiae commutativae, quatenus autem in lege Ecclesiae fundantur subsunt supremae eiusdem potestati. Quamvis igitur *licite* ex proportionata causa, praesertim boni publici, *valide* etiam sine causa tolli possint, perpetua tamen regula fuit ut integra conservarentur, ac nulla lex eis praeiudicium afferebat, nisi per specialem clausulam hoc statueret.[5] *Privilegia* vero, quibus in perpetuum favor contra vel praeter ius conceditur, ac *indulta,* quae idem ad tempus tribuunt,[6] tota a voluntate superioris pendent, ideoque ex qualibet iusta causa, uti leges omnes, revocari possent. Quod tamen in iure nostro fieri non consuevit, quia «decet concessum a Principe beneficium esse mansurum».[7]

---

[1] Unde, cum in can. 1406 § 1 professio fidei emittenda dicatur «secundum formulam a Sede Apostolica probatam», obligatio consequitur addendi *nunc* iuramentum antimodernisticum. S. O. 23 mart. 1918 (A. X, 136). Item cum refetiuncula serotina in diebus ieiunii facienda sit «servata circa ciborum quantitate et *qualitate* probata locorum consuetudine» (can. 1231 § 1), ubi antea carnibus vesci non licebat hodie quoque non licet. C. I. 29 oct. 1919 (A. XI, 476).

[2] Hoc confirmatur a can. 22, ubi solus can. 6 n. 1 a generali regula excipitur non vero nn. 5-6. Unde ex. gr. can. 489 nonnisi applicatio can. 6 nn. 1 et 6 est. cf. C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476) et votum secret. C. C. in *Wratislavien.* 20 mart. 1920 (A. XII, 43 s.).

[3] Hic igitur nec analogia admittitur nec productio de persona ad personam aut de casu ad casum, nec conclusio a minore ad maius; can. 20 et can. 2219 § 3. Idem principium quoad irregularitates et impedimenta, can. 983 et can. 1038 § 2.

[4] can. 2255, 2291, 2298.

[5] Principium diserte sancitur in Reg. Canc. 18 *de non tollendo ius quaesitum.*

[6] cf. can. 70; *Wernz,* I, 158 II et 163; *Toso,* Ad Codic. I. Can. commentaria, Tiferni Tiberini, 1921, 8.

[7] Reg. iur. 16 in VI. Privilegia *remuneratoria* et eo magis *conventionalia* firmiorem obligationem in concedente pariunt, quae interdum vel iustitiae commutativae esse potest. Haec potius ut iura quaesita consideranda sunt.

Itaque C. *iura quaesita* sarta tecta esse vult, nisi expresse in aliquo canone revocentur;[1] *privilegia* et *indulta* item, at ea dumtaxat quae a *Sede Apostolica* concessa, *in usu adhuc* sunt, et quidem legitime quia *numquam revocata.*[2] Privilegia vero ab alio superiore data, si quidem contra novum ius *commune* sint, cessant, si contra *particulare* tantum, manent.[3]

e) Consuetudines iuris pari ratione ac leges per se habendae essent. At ob peculiarem naturam iuris consuetudinarii rigor principii non omnino urgetur. Statuitur quidem *regula* omnes consuetudines *contra* C., sive universales sive particulares, esse *abrogatas*, eoque magis eas quae expresse *reprobantur*,[4] sed a generali abolitione *excipiuntur*, ideoque valere pergunt, illae quas C. nominatim permittit,[5] omnes insuper *immemorabiles* et *centenariae*, quas Ordinarii, pro locorum et personarum adiunctis, existimant[6] prudenter submoveri non posse (can. 5).[7] Consuetudinibus *praeter ius* norma can. 6 n. 6 et can. 30 est applicanda; quare si universales sint cessant,[8] si particulares sustinentur. Nihil denique

---

[1] Quod nullibi fit, nisi in quibusdam canonibus poenalibus. Imo superveniens poena inhabilitatis non adimit iura iam quaesita, can. 2296 § 2. Nihil novi continent dec. C. I. 2 iun. 1918 (A. X, 346) et 16 oct. 1919 (A. XI, 476) quae iura quaesita ex sponsalibus, ex matrimonio, ex professione iure antiquo vigente ad normam can. 4 aestimant.

[2] Nimirum iam ante C. — In hoc autem complures privilegiorum revocationes continentur: can. 343 § 2, 403, 460 § 2, 519, 522, 544 § 2, 654, 774 § 1, 876 § 1, 964 nn. 1 et 4, 1157, 1267, 1356 § 1, 1576 § 1. — Probe *distinguendum* est privilegium aut indultum a iure *particulari* pro aliquo territorio ab ipsa S. Sede statuto. Pii X const. *Provida* post C. cessavit, quia catholicis Germanicis et Hungaricis *nullum ius* per eam concessum fuerat contrahendi clandestine matrimonia mixta, sed solummodo Ecclesia haec, licet prohibita, uti valida considerabat. cf. *Chelodi*, Ius matrimoniale[3], Tridenti 1921, 139.

[3] can. 71 et 60 § 2.

[4] can. 343 § 2, 346, 396 § 2, 403, 409 § 2, 418 § 1, 433 § 1, 455 § 1, 460 § 2, 774 § 1, 818, 978 § 3, 1006 § 5, 1041, 1056, 1181, 1356 § 1, 1408, 1492 § 1, 1525 § 1, 1576 § 1.

[5] cf. ex. gr. can. 136 § 1, 162 § 1, 408 § 1, 417 § 3, 462 n. 6 etc.

[6] Quodsi episcopus ius suum abdicans rem superiori auctoritati administrativae remittit, haec ipsa de conservanda vel tollenda consuetudine pronunciat (C. C. 14 nov. 1920, A. XIII, 43). Quae, uti videtur, in praesentiarum eo tendit, ut consuetudines contra ius abrogentur. cf. ME XXXIII, 60.

[7] Agitur hic certe saltem de *particularibus* consuetudinibus. An etiam de *generalibus?* Attenta constructione grammaticali can. videtur affirmandum, quo in casu fierent *particulares* illorum locorum, ubi Ordinarii eas submoveri non posse arbitrarentur.

[8] At possunt ut particulares, in certo territorio, sustineri. cf. not. praec. et C. C. 20 ian. 1920 (A. XII, 43). — Relator huius causae affirmat consuetudines *universales* praeter ius per can. 6 n. 6 non esse abrogatas, quia in eo sermo fit de «*legibus*». At consuetudo legitima iuridice est lex. Nec plus valet aliud argumentum, ex can. 5 deductum, «absonum prorsus censeri» legislatorem benignius egisse erga consuetudines vigentes *contra* canones quam erga consuetudines *praeter* canones. Tum dici posset etiam absonum esse legislatorem benigniorem fuisse consuetudinibus quam legibus, quas tamen silentio abrogavit. Ratio iuridica can. 5 est alia, videlicet *aptandi* ius commune *locorum* necessitatibus.

prohibet *novas* consuetudines etiam contra C. efformari, dummodo non agatur de iis quae iam nunc reprobantur et ceterum conditiones requisitae verificentur.[1]

C. igitur non absolute *unicus* fons dici potest, ita ut, ubi eius norma desit, libera agendi facultas habeatur. Etiam nunc enim multiplices sunt fontes, ex quibus iura et officia in Ecclesia oriri possunt; ius divinum naturale et positivum, libri liturgici, concordata, leges particulares praeter ius commune, privilegia et indulta, consuetudines praeter et contra ius, denique aliquando analogia iuris, analogia legis, stylus Curiae Rom., doctrina canonica (can. 20). Qui fontes tamen omnes in C., fonte praecipuo, aut innituntur aut saltem agnoscuntur.

CAPUT IV.

DOCTRINA FONTIUM IURIS CANONICI

I. DE IURE DIVINO.

60. Ius naturale et positivum. *Fontes materiales,* quibus ius in Ecclesia constituitur,[2] pro varia origine aut *divini* sunt aut *humani*, pro varia forma aut *scripti* aut *non scripti*, pro ambitu aut *universales* aut *particulares.*

Ius divinum duplex distinguitur, alterum naturalibus alterum positivis praeceptis propositum. Utrumque etiam inter fontes iuris Ecclesiae recensendum est. *a)* Et imprimis *ius naturale* quod attinet, perspicuum est Ecclesiam, eoipso quod ut societas ex hominibus coalescit, complexum illarum legum, quae hominum naturam necessario ordinant, effugere non posse, sed potius eisdem ius suum positivum *conformare* debere.[3] Imo sublato iure naturali, quo Deum supremum dominum confiteri auctoritatemque ab eo constitutam vereri cogimur, totum ius canonicum corrueret (cf. n. 5).

Unde C. nedum ius naturae universim agnoscit (can. 6 n. 6) eiusque sanctiones reservat (can. 27 § 1, 1509 n. 1), verum multas etiam leges inter canones recipit, quas naturales esse expresse animadvertit.[4]

---

[1] can. 26-28.

[2] De singulis fontibus, *qui* ius constituunt (legislatores), agere pertinet ad ius constitutionale (De personis).

[3] Dict. *Gratiani* ad c. 2, d. 8: «Dignitate ius naturale simpliciter praevalet *consuetudini* et *constitutioni*. Quaecumque enim vel moribus recepta sunt vel rescriptis comprehensa, si naturali iuri fuerint adversa, vana et irrita habenda sunt»; *Pius IX,* Syll. 56: «minime opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur».

[4] cf. can. 1068 § 1, 1139 §§ 1 et 2, 1405 § 1, 1499 § 1, 1513 § 1, 1935 § 2. Sed alii quoque canones dispositiones iuris naturalis exhibent.

b) Sed principem locum inter fontes tenet *ius divinum positivum*, a quo Ecclesia esse, formam, potestatem repetit. Leges caeremoniales et iudiciales quae in *S. Scriptura Veteris Testamenti* continentur, utpote transitoriae, cessaverunt, non autem dogmatica et moralia praecepta. Auctor *novi foederis* vero novas veritates credendas proclamavit, legem moralem confirmavit et perfecit (unitas, indissolubilitas matrimonii), sacrificii et sacramentorum essentialia elementa determinavit, a se conditae societatis ius fundamentale ac praecipua organa, definita competentia, constituit, apostolis munus commisit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, ... docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis (Matt. 28, 18-20), ceterum tradita hierarchiae ordinis et iurisdictionis potestate, futuris Ecclesiae necessitatibus amplissime providit. Haec omnia ius divinum positivum efformant, quo Ecclesia fruitur et regitur, illudque etiam C. saepius commemorat.[1]

Dum ius naturale ex integro ad ius *non scriptum* spectat, ius positivum partim ex libris *S. Scripturae* partim ex *traditione* cognoscimus. Quod *ius traditum*, scil. a legislatore quidem immediate conditum, sed viva voce *non scripto* promulgatum, traditiones *divinas* et *divino-apostolicas* complectitur. Ad ius humanum e contra pertinent traditiones mere apostolicae et ecclesiasticae.[2] De quibusdam antiquissimis institutis iuridicis dubium esse potest a quonam fonte ortum ducant, quae dubia, uti cetera circa utrumque ius divinum, Ecclesia sola authentice dirimit.[3]

II. DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

61. Notio et divisio. *a)* Lex est « iussum legitimi principis propter bonum subditorum, commune, perpetuum, sufficienter promulgatum ».[4] Haec definitio tum civilibus tum ecclesiasticis legibus aeque convenit. *Iussum* dicitur quia actus est voluntatis superioris, qui parendi necessitatem in-

[1] cf. can. 6 n. 6, 27 § 1, 100 § 1, 107, 108 § 3, 109, 219, 727 § 1, 731 § 1, 1016, 1038 1060, 1322 § 2, 1509 n. 1, 1529 etc.

[2] *Wernz*, I, 185 ss. 198; *Devoti*, Ius can. I, cap. 16.

[3] can. 1322 § 1, 1038 § 1.

[4] *D'Annibale*, Summula theol. mor.[5] Romae 1908, I, 161 ex *Suarez*, De Legibus l. I, c. 12 « commune praeceptum, iustum ac stabile, sufficienter promulgatum » Cum hac congruit nota definitio *S. Thomae*, Summa theol. I, II, q. 90, a. 4 « rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata », dummodo « ordinatio rationis » perpetua intelligatur.

ducit; *legitimi principis,* nimirum perfecta iurisdictione in foro externo praediti atque intra fines suae competentiae suis subditis imperantis; in *bonum subditorum,* unde *iusta* debet lex esse et *possibilis nec inutilis,* quae rationi et religioni congruat, onus non importabile imponat, fini societatis conducat. Denique *commune* iussum est ac *perpetuum,* quia non singulis sed universae communitati datur, natura sua numquam cessaturum, nisi aut abrogetur aut obsolescat.[1]

Omnis lex personas afficit, aut directe ipsas aut indirecte per territorium. Altero modo plerumque: «lex non *praesumitur* personalis, sed *territorialis*» (can. 8 § 2). Unde, nisi plane constet aliquam legem esse personalem, quod ex natura potestatis ferentis vel ex tenore verborum colligitur, *non urget extra territorium* praecipientis, si is iurisdictionem habeat certo territorio limitatam, *nec,* etiam si suprema auctoritas eam tulerit, extra locum pro quo lata aut ubi adimplenda est. (cf. can. 13 § 2).

b) Leges quae in toto orbe vigent *universales,* quae in dioecesi vel provincia *particulares* vocantur. Pari significatione videtur adhiberi interdum divisio in *generales* et *peculiares,* interdum vero pressius cum de legibus agitur quae non omnibus prorsus sed omnibus ex aliquo coetu vel ordine (ex. gr. clericis) dantur, prout ubique aut alicubi tantum obligant.[2] Alias *territoriales* esse alias *personales* iam vidimus. Quatenus autem aut imperant aliquid aut vetant, leges *praecipientes* et *prohibentes* distinguuntur, utraque species si poenam constituat in transgressores fit etiam *lex poenalis.* Prohibentes vero aut dumtaxat vetant aut, quo maiorem efficaciam obtineant, personam perficiendi actum vetitum iuridice incapacem reddunt *(inhabilitantes)* vel ipsum actum nullum declarant *(irritantes).* Cum qua divisione alia cohaeret in leges *imperfectas,* quibus nulla sanctio adnexa, *perfectas* quibus nullitas actus, *plusquam perfectas* quibus nullitas et poena, *minus quam perfectas* quibus poena tantum.

---

[1] cf. supra nn. 3 et 20. De qualitatibus omni legi humanae communibus late agunt philosophi morales, ex. gr. *Meyer,* I, 294 ss.; *Cathrein,* I, 502 ss.; *Suarez,* o. c. passim in ll. I et III.

[2] Terminologia, quatenus fieri potest, ex C. sumenda est, qui tamen tractatus scholasticus non est, nec semper definitiones et divisiones suppeditat. cf. can. 6 n. 1, 8 § 2, 11, 13 §§ 1 et 2, 14 §§ 1 et 2, 81, 83 et supra n. 9.

Recensitae in definitione proprietates omnes ad veram legem requiruntur, quae per eas a *consilio,* a *decreto,* a *praecepto* distinguitur. *Consilium,* etiam a superiore datum, non imponit obligationem sed iudicium dumtaxat de aliqua re manifestat. *Decretum* generaliter quidem fertur sed non in perpetuum, et potius ad applicanda quam ad statuenda vel abroganda iura spectat. Est igitur verius actus potestatis *administrativae.* Ceterum eadem est practice vis legis et decreti, at distinctio efficit ut per can. 6 n. 6 decreta non sint abrogata, etiam si in C. non contenta.[1] *Praeceptum* denique proprie singulis et praecipue in bonum singulorum imponitur. Sed de hoc infra (n. 70).

Principium *legem esse territorialem* iampridem receptum erat in iure, et communis doctorum sententia legislatores particulares (episcopos), etiamsi vellent, suis legibus subditos absentes a territorio obligare minime valere «ex defectu potestatis».[2] Hoc ius non videtur immutatum, (can. 6 n. 4).[3] At compertum est legislatorem supremum legem ferre posse quae *personas* directe afficiat, quae idcirco eas tenet egressas quoque in loca ubi non est promulgata.[4] Contra huiusmodi legem tamen, in dubio, militat *praesumptio territorialitatis.*

62. Promulgatio et vacatio. *a)* Cum lex sit regula subditorum, nosse eam debent ut pareant, quod non fit nisi legislator *certo* et *manifeste* suam voluntatem communitati denunciet. Idcirco *promulgatio,* nimirum «publicatio legis nomine et auctoritate legislatoris facta», licet ad essentiam legis non pertineat, est tamen *conditio necessaria* ut ipsa suam vim exerat,[5] et optimo iure asseritur: «Leges instituuntur cum promulgantur» (can. 8 § 1).[6] *Modus* autem promulgationis, dummodò sufficiens sit, a legislatoris arbitrio pendet. Reapse quomodo leges conciliorum et episcoporum promulgentur, ipsi qui eas ferunt determinant,[7] de legibus *pontificiis* vero nunc statutum est promulgationem fieri «per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali,* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus» (can. 9). Subinde evenire sane potest ut iubeatur publicatio in singulis

---

[1] cf. rationes allegatas in decr. S. O. 22 mart. 1918 (A. X, 136); C. Rel. 15 iul. 1919 (A. XI, 321) et C. C. 20 ian. 1920 (A. XII, 43).

[2] *Suarez,* l. 3, c. 32, n. 3; *Wernz,* I, 105; *D'Annibale,* I, 70 et 161. «Extra territorium ius dicenti impune non paretur» ex c. 2 in VI, 1, 2.

[3] Argumentum enim in contrarium, quod *Toso,* 22 s. et *Maroto,* Instit. iur. can. I (Matriti 1919) 200 ex can. 201 § 3 deducunt, non videtur cogens, nam innititur valde impropriae notioni iurisdictionis *voluntariae.* cf. infra n. 125.

[4] Celebre exemplum habetur in vi *locali* et *personali* decreti *Tametsi.* cf. *Chelodi,* Ius matrim³. 129.

[5] *Suarez,* l. I, c. 11.

[6] Ex *Gratiano,* c. 3, d. 4.

[7] can. 227, 291, 335 § 2. Episcopi habent hodie plerumque suas ephmerides dioecesanas.

provinciis aut paroeciis, et quidem non solum ad divulgationem sed ad ipsam efficaciam legis,[1] verum hoc nec antiquo iure umquam necessarium fuit, nec eo minus est iure novo, nam per promulgationem in uno loco lex *communitati* sufficienter intimatur.

b) Promulgata lex, ex natura rei, *statim* omnes suos effectus producit, nec subditorum receptio requiritur aut non receptio eam infirmat. Et re vera leges dogmaticae vel quae ius naturale aut divinum declarant, illico ab accepta *notitia* universos obstringunt. At si res sit mere *disciplinaris* et latum territorium, ad quod lex extenditur, opportunum videtur ut legislator a promulgatione temporis intervallum definiat, quo lex divulgetur sed nondum obliget. Haec dicitur *vacatio legis.*

Quae cum in legibus *dioecesanis* non censeatur necessaria, quoad has iure communi non statuitur, quin tamen episcopus prohibeatur in peculiaribus casibus aliquam concedere (can. 335 § 2, can. 362); in legibus *conciliorum provincialium* Patrum prudentiae committitur tempus determinare (can. 291 § 1); leges *Sedis Apostolicae* vero vacant *tribus mensibus,* computandis a die apposito numero *Actorum* in quo promulgantur,[2] nisi in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter fuerit statuta (can. 9).

Ex stylo Curiae, inde a saec. XIII introducto, *leges pontificiae* per affixionem, ope cursorum, ad valvas basilicae Vaticanae, Lateranensis, (etiam Liberianae), Cancellariae et in acie Campi Florae *urbi et orbi* promulgatae censebantur, ita ut illico (postridie) ubique urgerent. Antecedente tempore varii modi usuvenerant, praesertim transmissio ad eos quorum intererat, deposito autographo in archivo pontificio.[3] Gallicani, regalistae, febroniani contenderunt necessariam esse publicationem in *singulis dioecesibus,* auctoritate episcoporum. Profecto potissimum eo fine ut via pateret potestati civili iurisdictionem apostolicam limitandi vel prohibendi. At praetensum hoc ius omni fundamento caret[4] et iam antiquatum est non secus ac ius *placet,* quo principes elapsis saeculis uti consueverunt, ad acta pontificia intercipienda.[5] Modernae constitutiones legislationem ecclesiasticam liberam et in suo foro validam agnoscunt

[1] Decr. *Tametsi* publicandum fuit in singulis paroeciis, ne matrimonia haereticorum fierent invalida; *Clem. XIV* breve *Dominus ac redemptor,* 21 iul. 1773, quo supprimebatur S. I. in singulis domibus, ut bona religionis a fisco salvarentur.

[2] Computatio est facienda ad norman can. 34 § 3 n. 2.

[3] *Devoti,* lus can. I, cap. 18, §§ 12-13.

[4] *Suarez,* l. IV, c. 15; *Devoti,* l. I, tit. 2, §§ 8-9; *D'Annibale,* I, 202; *Scherer,* I, 164 et praesertim *Ballerini* in speciali dissertatione, app. II vol. I operis maioris.

[5] *Pius IX,* Syll. 20, 28, 29, 41. cf. supra nn. 20 et 25.

« quatenus legibus reipublicae non contradicat ».[1] Episcopis vero denegata non erat facultas, textui Alex. III innixa,[2] *suspendendi ad tempus* applicationem *novae* legis pontificiae, quam ob locorum adiuncta minus opportunam iudicarent, dum S. Pontifici referrent ac remedium ab eo postularent *(ius remonstrandi)*. Quam, cum rationabilis omnino sit et indoli regiminis Ecclesiae conformis, sublatam non esse dixeris. Non tamen consequitur *receptionem* subditorum requiri ut leges vigeant, nam nec perfecta est iurisdictio quae in invitos exerceri nequeat, nec suam potestatem legislator huic conditioni umquam alligavit.

Pius X demum const. *Promulgandi*, 29 sept. 1908 (A. I, 5) iussit commentarium officiale edi, in quo omnia acta Sedis Apostolicae promulgarentur.

Iustinianus imp. (Nov. 66) *duos menses vacationis* novis constitutionibus tribuerat. Quod ius glossatores et antiquiores canonistae *nequaquam* indiscriminatim ad leges pontificias extenderunt,[3] prouti erronee posteriores doctores, etiam bonae notae, arbitrati sunt, qui huic sententiae adhaerentes, eam sua auctoritate probabilem reddiderunt.[4] At Congreg. Rom. usque ad recentissima tempora, rigorose tenebant leges, etiam irritantes, *postridie*[5] obligare, et solummodo in legibus *poenalibus* applicandis ignorantiam per bimestre in foro externo *praesumi* posse admittebatur.[6]

63. Obiectum legis ecclesiasticae esse potest quidquid immediate vel mediate ad finem Ecclesiae necessarium est, non solum proinde res spiritualis sed etiam temporalis. At nec *actus heroicos*, nisi obligatio ex pacto vel ultro suscepta sit, nec *actus mere internos* lex canonica praecipere valet. Illos quia communes hominum vires superant, hos quia *societatis* directe non intersunt, sed ad *privatam* uniuscuiusque salutem ordinantur, ideoque non ad regimen fori externi verum ad iudicium fori interni pertinent. Et licet *speculative* loquendo potuisset Christus hanc Ecclesiae tribuere potestatem, non tamen censendum est id revera fecisse, cum nec necessaria

[1] Legge delle guarentigie aa. 9, 16, 17.

[2] c. 5, X. 1, 3, quod proprie agit de rescriptis, a canonistis communiter ad leges quoque extensum. *Suarez*, l. IV, c. 16, nn. 3 ss.; *Bened. XIV*, De syn. l. IX, c. 8 et l. XII, c. 7 (qui tamen quasdam limitationes adstruit a doctrina non admissas); *Scherer*, I, 177; *Wernz*, I, 102; *Haring*, Das bischöfl. Vorstellungsrecht in AK XCI, 111 ss.

[3] Id definite ostendit *Ballerini* in laud. disert. ad quam corrigendus est *Scherer*, I, 177, not. 4 aliique.

[4] Imo *S. Alphonso*, Homo apost. II, 8, probabilissima, cf. *D'Annibale*, I, 202; *Suarez*, l. IV, c. 15. *Pius IV* in bulla *Sicut*, 18 iul. 1564 (*Richter* 484) ei adhaeret: « et iure, etiam communi, sancitum est, ut constitutiones novae vim non nisi post certum tempus obtineant ».

[5] C. Rel. decr. 30 iul. 1909 (A. I, 699) omnes professiones religiosas contra decr. *Perpensis*, 3 maii 1902, emissas, etiam antequam decretum cognosceretur, irritas declaravit.

[6] cf. CI disposiz. prelim. a. 1; CGa a. 1.

fuerit nec convenientis institutionis.[1] Quod confirmatur tota *traditione* canonica, theoretica et practica, quae ab hac potestate asserenda, et eo magis exercenda, est omnino aliena.[2] At bene praecipi possunt actus *interni*, qui *cum externis*, legitime impositis, ita indissolubiliter *coniuncti* sunt, ut inde esse physicum vel morale horum actuum pendeat, ut ex. gr. intentio orandi, baptizandi, servandi votum, dispositio essentialis ad recipiendum sacramentum, sine quibus oratio, sacramentum, votum non habetur.[3] Denique actus interni ab Ecclesia requiri possunt ut quis iure vel beneficio ab ea concesso potiatur.[4]

« Leges respiciunt futura, *non praeterita* » (can. 10), quatenus nimirum non *mere* declarativae (cf. can. 17 § 2) sed novi iuris *constitutivae* sunt.[5] Iura iam quaesita proinde intacta permanent,[6] negotia iam perfecta secundum antiquam legem aestimanda sunt, atque pendentia absolvenda. Iura vero, obligationes et alia huiusmodi quae ab ipsa lege statum capiunt eique *continue* innituntur, abrogata lege vel contraria subrogata, statim corruunt. Quare matrimonia ante C. inita, cum impedimento tunc existente nunc sublato, invalida adhuc sunt; impedimenta e contra olim ampliora nunc coarctata inter novos terminos nuptiis obstant, penitus abolita (affinitas ex copula illic.) omnino non obstant.[7]

---

[1] Sententia haec dici potest communis et classica. *S. Thomas*, II, II, q. 91, a. 4 et q. 100 a. 9; *Suarez*, l. IV, c. 12; *Bened. XIV*, De syn. l. IX, c. 4, n. 4; *S. Alphonsus*, Theol. mor. l. VII, n. 34; *D'Annibale*, I, 200; *Wernz*, I, 98. Est tamen quaestio controversa et etiam nuper valde agitata. Aliqui antiquiores, complures moderni, duce *Ballerini*, !, 310 ss., contrariam opinionem tuentur. cf. *Devoti*, II, tit. 2, c. 2, § 3, qui textus affert, ad quos isti provocare solent, qui autem facilem admittunt explicationem, agitur enim aut de declaratione iuris divini aut de actibus *occultis* quidem sed externe proditis.

[2] *Innoc. III* in c. 34, X. 5, 3: « Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare ». Et quamvis illatio a defectu potestatis iudiciariae ad defectum potestatis legislativae non sit in abstracto necessaria, consentanea est tamen naturae hominis.

[3] *Suarez*, l. IV, c. 13; can. 861, 907.

[4] can. 925 § 2; 934 § 3.

[5] l. 7, C. 1, 14 unde rubrica c. 13, X. 1, 2 « Constitutio futura respicit et non praeterita, nisi in ea de praeteritis caveatur ». Idem c. 2 eod. cf. CI dispos. prelim. a. 2 et dispos. transit.; CGa a. 2; CA § 5.

[6] At *iura quaesita* non sunt effingenda, ubi nulla sunt. Unde nullus canonicus potest praecedentiam Vic. generali contendere (can. 370), quia hucusque ipse eam habuit (C. C. 17 maii 1919, A. XI 349); nec religiosus aliquis est liber a prohibitionibus can. 642, quia ante promulgatum C. extra religionem versabatur (C. I. 24 nov. 1920, A. XII, 575). Haec enim a *lege* non a *facto* pendent (cf. supra n. 59, d).

[7] C. I. 2/3 iun. 1918 ad 6, 7, 8 (A. IX, 346). Ita etiam vota simplicia perpetua emissa ante C. in religionibus votorum sollemnium sunt moderanda, quoad modum dimissionis religiosorum et quod effectus dimissionis, a iure antiquo vigente ante Codicem. C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

Attamen potest legislator, quoad aliquos effectus, etiam pendentia vel praeterita attingere, si de eis nominatim caveat. Et quidem: *a) iura quaesita* tollere, quod tamen nonnisi ex causa boni publici fit, ut puta si actio ad matrimonium ex validis sponsalibus comparata denegetur;[1] *b) poenam* violatoribus iuris divini vel iuris ante constituti infligere;[2] *c)* personas *inhabilitare* vel actus *irritare*, nisi irritatio iuri divino repugnet.

64. Subiectum activum. Ad leges ferendas pro *universa* Ecclesia competentes sunt R. Pontifex et concilium oecumenicum, sed profecto etiam *ius particulare* condere possunt. Concilia plenaria et provincialia nationi vel provinciae, episcopus in synodo vel extra synodum dioecesi leges dant. Episcopali aequiparata est in iure potestas Vicarii, Praefecti et Administratoris apostolici, Abbatis et Praelati *nullius*, necnon, sede vacante, Capituli cathedralis per octiduum et deinde Vicarii capitularis. Denique etiam capitulum religionis clericalis exemptae potestate legislativa fruitur; num huiusmodi sit potestas condendi *statuta*, quae capitulis canonicorum quoad suos conceditur, merito dubitatur. Legati, Patriarchae, Metropolitae hodie, iure ordinario, a lege ferenda excluduntur.[3]

A novo iure *universali* constituendo S. Sedes, promulgato C., aliena est «ne crebra novarum legum varietate tanti operis stabilitas in discrimen vocetur».[4] Si quando vero, decursu temporum, gravis Ecclesiae universae necessitas postulabit ut aliquid novi decernatur, generale decretum a *Congregationibus Romanis*, quae ceterum nulla amplius potestate legislativa pollent, conficietur ac Pontificis approbatione obtenta, a Commissione interpretationis in canones redactum, suo loco in C. inseretur.[5]

Ius condendi statuta quidam canonistae[6] *autonomiam* vocant, eam nedum capitulis sed universitatibus, collegiis, confraternitatibus tribuunt ac uti *specialem* fontem iuris existendi, a lege distinctum, recen-

[1] C. l. 2/3 iun. 1918 ad 6.

[2] Quod tamen C. non facit, imo reo favet, can. 2226 §§ 2 et 3.

[3] can 218, 228 § 1, 291 § 2, 335 § 1, 362, 294 § 1, 315 §§ 1 et 2, 323 § 1, 435 § 1, 501 § 1, 410, 267 § 1 n. 3, 271, 274.

[4] *Benedicti XV*, Mp. *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917 (A. IX, 483).

[5] Mp. laud. nn. II et III. — Si novus canon antiquo sufficitur, huius numerum accipit; si res autem est de qua C. silet numerus canonis immediate praecedentis *bis, ter* etc. repetitur, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur.

[6] Praesertim Germanici: *Scherer*, I, 151; *Sägmüller*, I, 119; *Hergenröther-Hollw.* 156; *Haring*, 31.

sent. At terminus est *aequivocus,* videtur enim admittere ius obiectivum oriri posse in Ecclesia, prouti in re publica, ex conventione sociorum. Revera, si quando statuta verae leges sint, hoc nonnisi ex iurisdictione a legislatore corpori morali concessa provenit, si ut plurimum simplices conventiones, perfectione iuris carent.[1]

65. Subiectum passivum. *Legislator,* si est persona *singularis,* vi *coactiva* suae legis non tenetur, nec eius succes sor; *ille* quia nemo potest iurisdictionem in se habere nec sibi ipsi esse subiectus, *hic* quia «par in parem non habet imperium».[2] Unde si ex naturae iure deducitur legislatorem non posse fere legem in materia universali et communi, quin ipse *vi directiva* suae legis obstringatur, haec obligatio, quae sane etiam gravis esse potest, practice ad forum internum tantummodo pertinet.[3] Ceterum quaecumque causa ad alios dispensandos, eadem ad ipsum eximendum sufficiens est. Si autem lex lata sit a *collegio,* singuli profecto, utpote subditi, ligantur.

Lex est regula agendi quae subditis imponitur. Quia *subditis,* a legibus *mere* ecclesiasticis eximuntur qui baptismum non receperunt, nam aquae baptismus tantum subiicit homines Ecclesiae.[4] At, si validus, in *omnes* ac *perpetuo* hunc effectum producit; unde nec apostatae, haeretici, schismatici ab iurisdictione Ecclesiae sunt immunes, nec ipsa a suis legibus eos immunes facit, imo eos teneri vult, nisi specialem exceptionem statuat.[5] Quia *regula agendi,* eximuntur ex natura rei qui sufficienti usu rationis non gaudent, sive idiotae aut amentes nati sint sive post infantiam tales evaserint; ex positiva iuris dispositione qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt (can. 12).[6]

---

[1] *Suarez,* l. IV, c. 6, nn. 7 ss.

[2] *Innoc. III* in c. 20, X. 1, 6.

[3] Idcirco in *iure* admitti potest principium: «Princeps legibus solutus est (fr. 31, D. 1, 3). — Hanc quaestionem, in qua variae sunt opiniones, funditus discutit *Suarez,* l. III, c. 35. Cf. *Ballerini-Palmieri,* I, 330 ss.

[4] Quare eximuntur etiam *catechumeni.* — De *dubie baptizatis* est controversia, nec desunt qui vellent eos legibus canonicis subiicere cf. *Mannaioli,* Suppl. edit. quintae Summulae card. D'Annibale, Romae 1909, 76 ss. et in opere De obligationibus christianorum propriis, Romae 1913, 25 ss. At contraria sententia est late recepta et solide probabilis.

[5] cf. supra nn. 37 et 38. Antiquorum quorumdam opinio, Ecclesiam haereticos aliquibus legibus (ex. gr. impedimentis matrim.) *nolle ligare,* est obsoleta; nec magis probabilis distinctio recentiorum inter leges quae directe sanctificationem animarum et eas quae praecipue bonum publicum societatis intendunt. *Wernz,* I, 103 et IV, 66. Can. 12 apertissime enunciat regulam, omnes baptizatos teneri, quia exceptiones nominatim recenset. cf. etiam can. 1070 § 1 et 1099 § 2.

[6] Exceptiones can. 859 § 1 et 906 (praeceptum communionis et confessionis paschalis) suum fundamentum habent in iure *divino.* C. I. 3 ian. 1918 (ME XXX, 112).

His positis, legibus *universalibus* aut *generalibus* tenentur ubique terrarum omnes ad quos spectant pro subiecta materia; legibus *particularibus* qui sunt *de* territorio et *in* territorio. Territorio vero quis adscribitur per domicilium vel quasi-domicilium (can. 13). Quo adhibito principio, consequitur *peregrinos: a)* immunes esse a legibus particularibus sui territorii, quamdiu ab eo absunt. Qua intentione exierint non attenditur, etiam si in fraudem legis.[1] At si id quod absens facit aut omittit in patria noceat, veluti si parochus, relicta paroecia, peregre commoretur, *moraliter praesens* censetur et legi subest. Praeterea leges *personales* eum ubique sequi ex definitione constat. *b)* Immunes esse a legibus territorii in quo versantur, et quidem etiamsi lex particularis patria et particularis aliena eadem sit. Nihilominus, cum ex evidenti necessitate vitae socialis oporteat ut normae quae *ordini publico* consulunt[2] et *actuum* (contractuum, iudiciorum etc.) formam ac *sollemnia* definiunt (« Locus regit actum ») omnes in territorio *praesentes* afficiant, his etiam peregrini tenentur.[3] *c)* Legibus *generalibus* obstringi si in loco ubi sunt vigent, non obstringi si non vigent, quidquid iuris de eis domi sit.

Vagi autem, cum subditi sint Ordinarii loci ubi actu commorantur,[4] consequenter *tum* generalibus *tum* particularibus territorii legibus ligantur (can. 14).

66. Effectus essentialis et proximus legis ecclesiasticae est *obligatio* subditorum in utroque foro. *a)* Dummodo norma quae voluntatem legislatoris ostendit *certa* sit, nam haec tantum humanam libertatem rationabiliter limitare valet. Certitudo *aut* quoad ipsam legis existentiam *aut* quoad eius genuinum sensum et extensionem deficere potest. Si igitur scientificis argumentis hinc inde disputatur et, re diligenter explorata, inter canonistas non convenit an lex extet (lex *incerta)* aut quaenam sit legis sententia (lex *dubia),* habetur *dubium iuris* atque ex natura rei *nulla est obligatio.* « Leges (quaelibet) in dubio iuris non urgent » (can. 15). Quod principium, si

[1] Principium *territorialitatis* enim (can. 8 § 2) non patitur illas exceptiones, quas *Bened. XIV,* De syn. l. XIII, c. 4, n. 10 cum aliis doctoribus contra exeuntes ad evadendum legis vinculum statuerat. Unde etiam in reservatione peccatorum idem hodie valet. can. 900 n. 3.

[2] cf. C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 576): Peregrinus tenetur reservationibus loci in quo degit.

[3] cf. CI disp. prel. aa. 9, 10, 11; CGa a. 3; CG, Einführungsg. a. 11.

[4] can. 94 § 2. Hucusque *vagi,* quoad leges *particulares,* peregrinis aequiparabantur.

controversia circa maiorem vel minorem obligationem versetur, etiam obtinet quatenus «semper in obscuris, quod minimum est sequimur».[1] Si vero in casu peculiari quis ambigitur, utrum actio vel negotium sub certa et clara lege cadat necne *(dubium facti)* et contra legem nihilominus agit, in foro externo suo periculo id facit, quia lex suam vim non amisit et pro *obiectiva veritate* eam exerit, quamvis ex canonica aequitate in his adiunctis facilius dispensatio concedatur, quae ad cautelam semper petenda est et ab Ordinario dari potest.[2] Unde *discrimen* inter utrumque dubium patet. Qui enim ex. gr. contra legem irritantem in dubio *iuris* actum posuit, *valide* egit etiamsi serius per authenticam declarationem constet legem illum complecti; qui in dubio *facti, invalide,* seclusa dispensatione. Attamen etiam in hoc posteriore casu, manente dubio, pro regula «omne factum praesumitur recte factum» et in suo valore sustinetur.[3]

b) Specialis effectus sequitur ex lege *inhabilitante* et *irritante:* ex utraque idem, nimirum nullitas actus contra eam attentati, sed diversa ratione. *Illa* enim directe afficit *personas* quae naturaliter[4] actum validum ponere possent, easque agendi reddit incapaces; *haec* ipsum *actum* attingit, quem etsi ab habilibus personis et modo naturaliter sufficienti positum omni vi iuridica privat. Quod bifarie fit, dum *aut* actus prorsus vetatur *aut* nonnisi certa forma et sollemniis celebrari permittitur; primus absolute, alter forma posthabita irritus est. His accedunt leges, etiam iuri canonico non ignotae,[5] quibus actus *rescindibiles* declarantur per sententiam iudicis. Qua non impetrata vel nondum prolata, actus omnino uti validus est habendus.

Quidquid olim fuerit,[6] moderno iure certum est huiusmodi leges statutas esse *publicae utilitatis* causa, ad fines generales promovendos, non praecipue in odium alicuius criminis, etsi interdum in criminis poenam redundent. Quare *nec* odio-

[1] R. I. 9, D. 50, 17. Canonizata in R. I. 30 in VI: «in obscuris minimum est sequendum».

[2] cf. infra n. 87.

[3] «In dubio standum est pro valore actus». cf. R. 1 febr. 1913 (dec. 8, n. 4), 22 nov. 1913 (dec. 49, n. 19); can. 1014 et 1070 § 2; *D'Annibale,* I, 150 et 169.

[4] cf. can. 1093.

[5] Quae tamen, retenta notione can. 11, *irritantes* sensu proprio dici nequeunt.

[6] Cum enim *historice* multae incapacitates et actorum nullitates in poenam introductae sint, antiquiores canonistae eo tendebant ut huiusmodi leges *poenalibus* aequipararent ac iisdem principiis et regulis interpretationis metirentur.

sae simpliciter *nec*, eo minus, poenales dici possunt. Nihilominus, cum quolibet iure personae agendi capaces praesumantur, iure nostro insuper receptum sit principium actum contra legem positum esse quidem illicitum sed validum, nisi aliud constet,[1] *nulla lex inhabilitans* aut *irritans* esse censetur, quae talis expresse vel aequivalenter in C. non exhibeatur (can. 11; cf. can. 19).

c) Omnis lex, natura sua, *obligationem* imponit eam *cognoscendi*. Quare nullum ius pro regula ignorantiam suarum dispositionum admittere potest, ne inefficax sit et ab arbitrio subditorum pendens. «Ignorantia facti non *iuris* excusat».[2] Tamen, in nostro, non semper pleno rigore principium urgetur. *Generatim* quidem *ignorantia* aut error circa legem *non praesumitur*, at aliud est in legibus *inhabilitantibus* et *irritantibus* a quibus nulla ignorantia, nec iuris nec facti,[3] excusat, nisi espresse dicatur; aliud in legibus *poenalibus*, ubi inculpabilis semper, simpliciter culpabilis plerumque, crassa et supina interdum, affectata numquam prodest;[4] aliud denique in *reliquis* legibus, ubi ignorantia vel error, dummodo sine culpa, ab obligatione eximunt. Profecto affirmatam iuris ignorantiam quisque *probabilem* ostendere debet.

Idem onus probandi incumbit illi qui *ignorantiam* praetendit *facti* proprii vel facti alieni notorii, quia ex communiter contingentibus nemo haec ignorare censetur, ideoque merito *praesumptio scientiae* statuitur; ex eadem ratione e contra preasumitur ignorantia facti alieni non notorii,[5] cuius notitiam probare, si opus sit, adversarius cogitur (can. 16).

---

[1] *Innoc. III* in c. 16, X. 3, 31: «Multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem»; R. 3 febr. 1911 (dec. 6, n. 11). — Qua regula recessit ius canonicum a iure Romano ubi (l. 5, C. 1, 14) «quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est». Inde etiam axioma R. I. 34 in VI: «Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi». Vide *Suarez*, l. V. c. 25. Modernae leges, si boni publici interest, actus *nullos* reddere solent, si privati, *rescindibiles* ministerio iudicis. cf. *Brugi*, Istituz. di dir. civile ital³. Milano 1914, 194 ss. CG §§ 125 ss.

[2] R. I. 13 in VI (5, 12); fr. 9, D. 22, 6: «Regula est iuris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere». Moderni codices praesumptionem cognitionis legis statuunt (CI disp. prel. a. 1; CGa a. 1; CA § 2) in negotiis iuridicis aestimandis vero fere eamdem habent rationem erroris iuris et facti. CI aa. 1109 et 1110; CG § 120.

[3] Quod alterum in can. 16 § 1 non dicitur sed a consequentia iuridica exigitur. Non enim hic intentio agentis refert, sed solummodo rei veritas. Capacitas personarum, vis actus per leges adempta, nonnisi per leges restitui potest. cf. can. 988.

[4] can. 2202 §§ 1 et 3, 2218 § 2, 2229. *Chelodi*, Ius poen. 6, 20, 27.

[5] R. I. 47 in VI: «Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur»; R. I. 47 eod.: «Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiae causam censetur habere».

Leges *mere poenales* etiam in Ecclesia dari posse, *theoretice* indubium est, licet antiquiores et moderni doctores id interdum negaverint.[1] *De facto,* in iure communi huiusmodi leges excludi videntur, cum delictum canonicum peccatum supponat (can. 2195 § 1), quae a gravi imputabilitate excusant a qualibet poena excusent (can. 2218 § 2), poena vero nonnisi ob delictum in iure praevisum infligi possit (can. 2233 § 1) aut saltem ob notabilem aliam culpam (can. 2222 § 1). Si autem poena generaliore sensu pro quolibet incommodo vel privatione sumatur, exempla illius alternativae, quae legis mere poenalis nota propria est, novo iure quoque non desunt (cf. can. 132 § 2, 136 § 3, 141 § 1, 188 n. 2, 1469 § 3, praeter can. 593 ubi in genere confirmantur regulae religiosorum, quae communiter uti leges mere poenales aestimantur).

67. Interpretatio legis est « explicatio sensus in lege contenti ». Quare, nomine proprio, ea est quae nihil quidem novi statuit sed in obiectivo dubio voluntatem legislatoris ostendit *(i. comprehensiva),* latiore appellatione autem interpretatio dicitur etiam ea quae verba legis in se certa aliis magis perspicuis declarat *(declaratio)* vel quae legem coarctat aut extendit, ultra id quod eius auctor ab initio intenderat *(i. restrictiva* et *extensiva).*

a) Interpretatio alia *authentica* est, quae a publica auctoritate provenit et obligationem eam sequendi secumfert, alia *directiva,* quae privatam originem habet et per se libere acceptatur vel respuitur. *Generalis* dicitur interpretatio authentica cum a legislatore, a successore, ab alio cui munus commissum fuerit vel denique a consuetudine *iuris* ita proponitur ut pro omnibus subditis valeat, *particularis* si vel a potestate administrativa per rescriptum vel a iudice per sententiam in peculiari casu datur. Illa vim legis obtinet, haec ius inter partes tantum facit (can. 17). Canonum C. interpretatio generalis reservata est nunc speciali coetui Cardinalium,[2] particularem vero tum Congregationes Romanae, tum Ordinarii, tum varii gradus tribunalia experiri possunt. *Directiva* dispescitur in *doctrinalem,* quae a iurisperitis manat, et *usualem* quae moribus populi, consuetudine *facti* firmatur.[3]

[1] cf. *Suarez,* l. V. c. 4; *Wernz,* I, 112; *Sägmüller,* I, 132.

[2] Commissio ad Codicis canones autentice interpretandos. *Bened. XV,* Mp. *Cum iuris canonici,* 15 sept. 1917 ad I. Quenam autem exinde sit natura interpretationis, quae Instructionibus Congregationum (Mp. cit. ad II) suberit, clarum non est.

[3] can. 29: « Consuetudo est optima legum interpres » ex fr. 37, D. 1, 3 et rubrica c. 8, X. 1, 4.

Quam C. R. hucusque habuit facultatem authentice interpretandi *leges liturgicas,*[1] etiam novo iure servat (can. 253 § 1). Attamen non omnes eius decisiones hanc vim obtinent, sed eae tantummodo quae «Decreta» vel «Decreta generalia» nuncupantur, reliquae auctoritatem rescriptorum habent.[2]

Canones *disciplinares Tridentinos* authenticae interpretationi C. C. ex Sixti V const. *Immensa,* 22 ian. 1588, fuerant reservati,[3] ad quam de facto omnia fere dubia iuris communis, excepto liturgico, deferebantur. Eius decreta formaliter generalia itemque mere declarativa omnes obligare nullimode dubitabatur, decisiones iudiciales vel administrativas, in singularibus casibus editas, ius facere inter partes tantum, aeque certum erat, at *controversia* agitabatur inter canonistas de decretis in casu peculiari quidem datis, sed interpretationem legis *dubiae* et *obscurae* continentibus, quae proinde *formaliter particularia aequivalenter universalia* dicebantur, utpote quae in similibus applicari possent. Quae decreta quoque vim legis *non* obtinuisse censendum est, nisi aut universae Ecclesiae *promulgata* fuissent aut saltem pluries iterata in stylum Curiae et disciplinam communiter vigentem transiissent.[4] Interpretationes *extensivas* vel *restrictivas* pariter indiguisse promulgatione palam est.

Post reformatam Curiam per const. Pii X *Sapienti consilio,* 29 iun. 1908, facultas authentice interpretandi leges ecclesiasticas commissa fuit singulis Congregationibus secundum propriam cuiusque competentiam, salva R. Pontificis approbatione, tribunalibus Rotae et Signaturae vero agnita competentia interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita ut ius facerent inter partes.[5]

b) Interpretatio mere *declarativa,* cum nihil omnino edicat quod iam in lege non fuerit, et tantummodo *subiectivae* alicuius dubitationi satisfaciat, nulla indiget promulgatione et valet retrorsum a die quo lex obligare coepit. Si autem interpretatio legem hucusque *dubiam* in certo sensu determinat, aut eam *coarctat,* aut *protrahit,* evidenter habetur novus actus voluntatis legislatoris (ideoque ab eo tantum huiusmodi admittitur), qui congruo modo promulgandus est ac praeterita non respicit, nisi hoc, ut in qualibet alia lege, explicite statuatur (c. c. § 2).

c) Haec de authentica. *Doctrinalis* interpretatio cuique libera est, tanti valet quanti ponderis allata argumenta sunt, secundum regulas sanae iurisprudentiae. Harum quaedam ab

---

[1] C. R. 23 maii 1846, ap. *Ballerini-Palm.* I, 254.

[2] C. R. 8 apr. 1854 (AS III, 567) et proem. edit. *Decreta authent. S. R. C.*

[3] Praecedentes Pontifices nonnisi limitatas concessiones in hac re fecerant. cf. *Lingen et Reuss,* Causae selectae, Ratisbonae 1871, V- VII.

[4] *D'Annibale,* I, 184, not. 5; *Ballerini-Palm.* I, 254 ss. qui varias doctorum sententias affert et excutit; *Wernz,* I, 100 et 146.

[5] C. Cons. 11 febr. 1911 (A. III, 99).

ipso C. suppeditantur. Cum lex id sit quod legislator voluit, non *aliud*, non *plus*, non *minus*, hoc eruere illius finis est, quo duplici medio pervenit: *verba* declarando (grammaticalis) et *mentem* investigando (logica).

Et imprimis *verba* legum sunt attendenda,[1] eaque significatione accipienda quae propria est ac usu sive vulgari sive iuridico recepta.[2] Sed non seorsim et disiuncta, verum in toto *contextu* consideranda sunt, proinde integra lex perlegenda[3] et res, sedes,[4] occasio[5] exploranda (can. 18). Neque a verbis uti sonant est recedendum, nisi *manifestum* sit aliud sensisse legislatorem,[6] nimirum si lex ita intellecta iniusta vel absurda vel inutilis foret.[7]

Quo in casu, non verbis insistere, sed quae mens legislatoris fuerit oportet animadvertere.[8] Si hanc ipse expresse significaverit, nulla difficultas; sin minus diligenter est investiganda (c. c.). Et primum colligitur ex *locis parallelis*, si qui sint, quia leges inter se cohaerere credendum est, maxime in unico corpore prouti est C., quin imo integrum legislationis canonicae *systema* iuridice et historice consideratum (can. 6 nn. 2-4) singulis lucem affert. Deinde ex *obiecto* seu *materia*, nam in favorabilibus lata, in odiosis stricta interpretatione utimur.[9] Itaque leges quae *poenam* statuunt aut liberum *iurium exercitium* coarctant, quantum proprietas verborum permittit, limitandae sunt, idemque valet de iis quae a iure com

---

[1] «In re dubia melius est verbis edicti servire» fr. 1 § 20, D. 14, 1.

[2] Ex. gr. masculinum complectitur etiam femininum. Applicatio in can. 490. cf. fr. 1, D. 50, 16. E contra quae de feminis dicuntur non sunt trahenda ad masculos. — Particulae *et* ac *vel* disiunctivae aut alternativae aut copulativae esse possunt, cf. R. 10 ian. 1910 (dec. II, n. 10). Vide etiam can. 2229 § 2 («praesumpserit» etc.), can. 2343 § 1 («violentas manus») etc.

[3] «Incivile est nisi tota lege perspecta una aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere» fr. 24, D. 1, 3.

[4] «Valet argumentum de *rubro* ad *nigrum*, dummodo rubrum non contradicat nigro» *Glossa*. Haec regula obtinet in collectione authentica, ubi etiam inscriptiones a legislatore derivantur. cf. *Reiffenstuel*, Ius can. univ. I (Romae 1831) proem. nn. 96 ss.

[5] Haec praesertim in legibus antiquis, quarum multae in origine rescripta erant.

[6] «Cum in verbis nulla ambiguitas est non debet admitti voluntatis quaestio» fr. 25, D. 32, vel, ut plerumque enunciatur: «Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam». — Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus». — «Verba generalia generaliter sunt intelligenda».

[7] cf. *D'Annibale*, I, 184[3].

[8] «Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem» R. I. 88 in VI. — «Verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis» summ. ad c. 6, X. 5, 40. — «Scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem» fr. 17, D. 1, 3.

[9] R. I. 15 in VI: «Odia restringi et favores convenit ampliari»; R. I. 49 eod.: In poenis benignior interpretatio est facienda»: can. 2219 §§ 1 et 3; cf. can. 6 n. 5 et can. 11.

muni exorbitant et *exceptionem* continent,[1] quamvis haec forte aliquibus favorabilis sit (can. 19). Imo «exceptio firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis», unde ex ea argumentum deducitur ad legem cui adversatur aestimandam.[2] Denique ex *fine* et *ratione* legis.[3] Finis ab obiecto et circumstantiis *(occasione* legis) plerumque cognosci potest; ratio seu causa vocatur *anima* legis, et quamvis perniciose fallatur qui eam cum voluntate legislatoris confundit,[4] tamen si certa sit adaequata ac specialis multum adiuvare potest in illa determinanda. At summopere cavendum ab abusu interpretationis *restrictivae* et *extensivae,* ne iura legislatoris usurpare videamur. Sane interdum necessarium est, at semper periculosum, a verbis deflectere, ut praesumpta mente legislatoris et ratione legis innixi aliquid, quod ipse non dixit, statuamus.

68. Defectus legis. Cum leges generali forma constitui oporteat, vix ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur,[5] unde si quid huiusmodi occurrat, normae esse debent, quibus *lacuna* iuris suppleatur Qua in re imprimis notandum est id locum numquam habere ubi de *poena, incapacitate, irritatione, exceptione* statuenda agitur.[6] In reliquis speciebus *facti particularis* (nam generalem ordinationem legislator tantum condere valet), ipse C. (can. 20) nos remittit ad analogiam et ad fontes subsidiarios. *Analogia,* improprie etiam interpretatio extensiva vocata, duplex est: altera *legis,* si norma sumitur a legibus latis in similibus, cum utriusque casus eadem est ratio,[7] quod cum primis obtinet in correlativis, in aequiparatis, in connexis;[8]

---

[1] R. I. 28 in VI: «Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam unt trahenda». cf. tamen can. 67, 68 et 50.

[2] Argumentum *a contrario.* Huic regulae accedit alia: «Inclusio unius est exclusio alterius», quae tamen saepe fallit et corrigenda est per aliam: «Unius positio non est alterius exclusio».

[3] c. 6, X. 5, 40: «Intelligentia dictorum ex *causis* est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus».

[4] Est enim interdum ratio legis inepta, generalis, imo erronea. Exempla apud *D'Annibale,* I, 188, not. 51-52. Eo magis *occasio* non est magni facienda, nam cum lege nullam *necessariam* connexionen habet.

[5] fr. 10, D. 1, 3.

[6] can. 11, 19, 20, 983, 2219 § 3.

[7] Huc veniunt axiomata: «Ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio» *(Glossa* ad c. 3, X. 1, 2) et «de similibus idem est iudicium» *(Glossa* ad c. 4, X. 1, 3), utrumque prudenter adhibendum.

[8] *Correlativa:* can. 1530 prohibetur alienatio rerum ecclesiasticarum, ergo etiam emptio; *aequiparata:* can. 1081 § 1 consensus necessarius est ad matrimonium, ergo etiam ad sponsalia, quamvis hoc expresse non dicatur; *connexa:* can. 2261 fideles possunt ex iusta causa petere ab excommunicato sacramenta, ergo hic ea ministrare.

altera *iuris,* si norma eruitur ex generalibus iuris principiis.[1] Palam est analogiam legis nonnisi statutis canonicis inniti posse, analogia iuris vero praecipue quidem principia iuris nostri respicit, eaque *sola* si de re agitur quae natura sua alia non recipit, at non videtur respuere illa quoque quae Romani tam sapienter in suis legibus condendis expoliverunt, ut veluti commune omnium gentium iuridicum patrimonium facta sint.[2] Quod iurisprudentia Curiae Romanae ostendit, a qua etiam edocemur quomodo analogia temperanda sit, ut perpetuo *aequitas canonica* servetur.

Ubi autem ex iure, ne per analogiam quidem, norma haberi nequit, recurrendum est ad fontes subsidiarios, qui ex legislatoris approbatione hanc auctoritatem assequuntur, nimirum ad *stylum et praxim* Curiae Romanae (usum forensem, auctorit. causarum similiter iudicat.) et ad *communem constantemque sententiam* doctorum.

Per multa saecula Ecclesia *ius Romanum* tamquam ius subsidiarium agnovit, ad quod iudex recurrere debebat si lacuna legis canonicae fuisset supplenda.[3] Nihil frequentius apud antiquiores doctores et in decisionibus curiarum ecclesiasticarum quam promiscue allegatas legere auctoritates civiles et canonicas. Attamen, sin prius, saltem post promulgatum C. haec iuris Romani *praerogativa amissa* est, nec in eam successerunt *codices moderni,*[4] nisi quando expresse hoc a legislatore statuitur (can. 33 § 2, 1059, 1080, 1513 § 2, 1523 n. 2, 1529, 1926, 1930). Nihilominus, cum codificatio intime connexa sit cum tota historica evolutione iuris nostri, omnibusque perspicuum principia iuris civilis et communis quae dispositionibus C. subsunt ea esse, quae Romani agnoverunt et glossatores medioevales evolverunt,[5] consequi videtur haec ipsa in analogia iuris adhiberi posse.

69. Cessat lex si aut *ab intrinseco* corruit aut *ab extrinseco* tollitur.

a) Primum, quando non amplius est ordinatio rationalis, deficiente *adaequate* et pro tota *communitate* eius fine, sive *privative,* ita ut inutilis, sive *contrarie* ita ut noxia fiat. *Adaequate:* unde si finis ex parte cesset, lex manet; si omnino

---

[1] cf. CI disp. prel. a. 4; CA § 7.

[2] cf. altum iuris Rom. elogium, a Bened. XV in bulla *Providentissima* prolatum: «Romanorum ius, insigne veteris sapientiae monumentum, quod *ratio scripta* est merito nuncupatum». Contra *Maroto,* I, 384, *Toso,* 55. Sed vel de iure civili italico hoc admittunt iurisconsulti, cf. *Brugi,* 47 s. Consentit *Vermeersch-Creusen,* Epitome iur. can. I (Mechliniae 1921) 72.

[3] *Bened. XIV,* De syn. l. IX, c. 14; *Scherer,* I, 158; *Wernz,* I, 195.

[4] Quod voluit *D'Annibale,* I, 201, at non recte. cf. *Wernz,* l. c. not. 130.

[5] *Stutz,* Geist 188 ss.

quidem sed in aliquibus articulis tantum, ii soli vim amittunt.[1] Et quoad *communitatem*: huic enim datur lex, quare singuli non eximuntur eo quod eis inutilis sit, esto etiam agatur de lege fundata in *praesumptione periculi* generalis[2] et hoc in casu peculiari non adsit (can. 21). Quod si lex aliqua integre innititur *praesumptione facti*, re vera non extantis, vel graviter nociva subdito evadit, habemus casus non comprehensos; *illic* quia deest tacita sed essentialis conditio ab ipsa lege requisita,[3] *istic* quia legislator censetur iubere secundum principia communiter recepta, nimirum ut leges humanae serventur sine magno incommodo, exceptis sane casibus in quibus maior obligatio merito exigitur.[4]

Praesumptio quae est «rei incertae probabilis coniectura» aut *iuris* aut *hominis* esse potest. Haec in privata aestimatione consistit et huc non pertinet, illa expressam legem requirit. Et dicitur *iuris simpliciter* si probationem admittit contrariam, *iuris et de iure* si eam non admittit, nisi indirectam.[5] Iam vero legislator aut cavet *periculo* quod frequens occurrit ideoque semper adesse praesumit, aut aliquid iubet ac vetat praesupposito *facto*, quod plerumque verum est, licet interdum etiam non verum.[6] Deficiente praesumptione quoad *singulos*, in primo casu non deficit totaliter finis legis, at certe in altero. A quo distinguenda est *fictio iuris*. Nam haec non id quod incertum at probabile, sed quod indubie non verum at aequum est, supponit.[7] Unde definitur: «legis adversus veritatem in re possibili et ex iusta causa dispositio».[8] Leges in hac fictione fundatae[9] sunt rationabiles ac in utroque foro obligatoriae et absonum esset eis opponere rei veritatem, at locum non habent nisi in casibus nominatim expressis et strictae subsunt interpretationi.[10]

---

[1] R. I. 37 in VI: «Utile non debet per inutile vitiari».

[2] Ex. gr. can. 1020, 1022, 1060, 1398 § 1 etc.

[3] Ex. gr. non verificata praesumptione can. 1115 exulat impedimentum consanguinitatis; can. 1072 supponit in ordinato cognitionem obligationis (can. 16 § 2), ignorantia probata non urget; si praesumptio can. 1070 § 2 falsa invenitur, plures leges non sunt applicabiles. — Quae exempla ostendunt etiam leges *inhabilitantes* et *irritantes* hanc limitationem recipere.

[4] cf. *D'Annibale*, I, 178.

[5] can. 1825, 1826.

[6] At sunt etiam leges, imo plurimae, quae *nec* a praesumptione *periculi nec* a praesumptione *facti* procedunt. Unde haec divisio nullo modo est adaequata, atque can. 21 nequit considerari ut exceptio quae firmet in contrarium regulam interpretationis quoad omnes alias leges. Aliter *Toso*, 59.

[7] «Supra id, quod est certum, fingitur; super incerto praesumitur». *Glossa* ad l. un. § 13 a, C. 5, 13.

[8] *Reiffenstuel*, I, tit. II, nn. 176 ss.

[9] Ex. gr. can. 188, 409 § 1, 420, 422, 1114, 1116, 1138.

[10] Doctrina quattuor regulas tradit: I. Fictio iuris idem operatur in casu ficto, quam veritas in casu vero. II. Fictio iuris non debet plus operari in casu ficto, quam veritas in casu vero. III. Fictio non habet locum nisi in casibus a iure expressis. IV. Fictio non trahitur ad illa quae sunt impossibilia secundum naturam.

Dum excusatio ex parte *subiecti* est, qui propter moralem impossibilitatem legem servandi ab eius *obligatione* eximitur, fundamentum *epicheiae* invenitur potius in *ipsa lege,* quae, utpote generaliter lata, non censetur comprehendere quosdam casus insolitos et speciales.[1] Epicheiae notio non apud omnes eadem est, et modo latius modo arctius circumscribitur, imo sunt qui eam *in iure* admitti posse negent.[2] At est forte quaestio de verbis. Ubi alii loquuntur de epicheia, alii dicere possunt legis obligationem cessare quia impossibilis, vel quia alia potior praevalet vel quia mens legislatoris interpretationem restrictivam suadet. In concreto leges *inhabilitantes* et *irritantes* epicheiam non recipiunt, quia obstat bonum publicum, in *poenalibus* vix casus occurrere poterit, in qua ea utendum sit, cum ipsum ius tot excusationes contineat, in reliquibus legibus practice quaestio ad *forum externum* non deducetur.

b) Ad alterum vero necessarius est positivus legislatoris actus. Qui si tota lex directe revocatur *abrogatio* dicitur, si pars detrahitur *derogatio*, si per contrariam legem eliditur *obrogatio.* Itaque lex posterior vel *expresse* priorem tollit, cum id aperte aut aequivalenter per clausulas derogatorias («contrariis quibuscumque non obstantibus»)[3] edicit, vel *tacite,* cum priori directe est contraria aut saltem totam huius materiam ex novo ordinat, quod faciens legislator satis ostendit se nolle antecedentem amplius sustineri (can. 22). At probe tenendum est *correctionem iuris* esse *odiosam* neque sine necessitate asserendam, quare «*in dubio* revocatio legis praeexistentis *non praesumitur* (can. 23), sed iura iuribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, dum leges posteriores per aptam interpretationem, attenta sane proprietate verborum sed simul etiam mente legislatoris, ad priores trahuntur.[4] Ubi vero utriusque legis contradictio manifesta est, praevalet posterior.

Et haec quidem valent si legem generalem sequitur generalis aut particularem particularis. Sed quia «generi per speciem derogatur»,[5] lex generalis non derogat *iuribus particularibus,* sive haec sint territorialia, sive specialia corporum moralium, sive singularia (privilegia), tum per legem tum per

---

[1] Et in hoc videtur esse proprie utriusque distinctio. *D'Annibale,* I, 187, not. 49.

[2] *Scherer,* I, 16 et 176; *Sägmüller,* I, 135; *Haring,* Die Lehre von der Epikie in Theol. prakt. Quartalschrift, LII (Linz 1899) 579 ss. 796 ss.

[3] R. 9 ian. 1912 (d. II, n. 4); «Clausula quae sonat «quibuscumque contrariis minime obstantibus» abrogat omnes consuetudines et leges, etsi speciales, contrarias, ac si essent in specie expressae»; quod tamen si de consuetudinibus centenariis aut particularibus agitur, verum non est (can. 30).

[4] cf. can. 6 n. 4, can. 18; *Reiffenstuel,* I, proem. nn. 201 ss. et tit. II, nn. 492 ss.; R. 19 ian. 1910 (dec. III, n. 4).

[5] R. I. 34 in VI.

consuetudinem inducta (can. 22, cf. can. 30, 60 § 2, 71), nisi aliud expresse caveatur, uti factum est in can. 6 n. 1, quoad leges particulares praescriptis C. oppositas *et* in momento promulgationis vigentes.

Principium a Bonif. VIII (c. 1 in VI. 1, 2) enunciatum: «Romanus Pontifex iura omnia *in scrinio pectoris sui* censetur habere», sed ante et post eum apud canonistas in eodem sensu receptum,[1] quo exprimitur legislatorem supremum cognoscere quidem totum ius commune sed non iura particularia, ideoque illud, non haec, prae oculis habere quando novam legem fert, continet *rationem formalem,* ob quam lex generalis particulari non derogat. At profundior ratio in eo quaerenda est, quod Ecclesia, propter territorii amplitudinem et gentium varietatem, prudenter existimat ius particulare esse permittendum, nec omnia ad uniformitatem, quae saepe magis nocere quam iuvare nata esset, redigenda.

70. Praeceptum est iussum cui una vel altera proprietas essentialis legis deficit. Si communitati et propter bonum commune datur *(praeceptum generale)* caret saltem perpetuitate, et non ultra actum transeuntem aut certum tempus aut vitam praecipientis durat.[2] Sed plerumque ac proprie praeceptum indicat «*iussum singulis datum*». Hoc distat a lege, quia nedum ex potestate iurisdictionis sed etiam ex *dominativa* (paterna, maritali, herili, religiosa) profluere potest; quia principaliter et directe *bonum privatum* non publicum intendit; quia territorio non limitatur, sed *personam* afficit et sequitur, quocumque se conferat («ossibus haeret»). Ideoque etiam poena forte adnexa, illo contempto, ubique contrahitur.

Iamvero huiusmodi praeceptum imponitur vel pro *foro interno*, et prospicit unice spirituali utilitati subditi, vel pro *foro externo,* ad regimen societatis ordinatum, ut scandala devitentur, delicta caveantur, ecclesiastica disciplina conservetur.[3] *Illud* expirat resoluta potestate praecipientis, sed nostra non interest, cum tota eius obligatio in conscientia sit, ideoque in provinciam moralistarum cadat; *hoc* vero etiam

---

[1] Id, post *Nilles,* definite ostendit *Gillmann* in AK XCII, 3 ss. Eadem formula in eodem sensu iam apud Huguc. (1187) et Ioh. Teuton. (1215) et deinde apud complures Glossatores. Unde ignorantiae notam non effugiunt scriptores, praesertim protestantes, qui huic pontificiae elocutioni odiosas significationes supposuerunt. Quod ceterum iam animadverterant antiquiores ex nostris. *Reiffenstuel,* I, proem. n. 213. Sed etiam interpretationes quorumdam catholicorum sunt erroneae.

[2] *Suarez,* l. I, c. 10, n. 10.

[3] Praesertim praeceptum poenale (can. 2310): at minime necesse est ut omnia praecepta fori externi talia sint.

iudicialiter urgeri et resoluto iure superioris permanere potest. Ad utrumque effectum tamen necesse est ut per legitimum *documentum* aut coram *duobus testibus,* qui fidem facere valeant, impositum fuerit (can. 24). Quam sollemnitatem si omiserit, praecipiens censetur sese conformare praxi communi, ex qua praecepta ad tempus regiminis limitantur,[1] neque in foro externo *executioni* aut *poenae* locus est (can. 2225).

Doctrina de praecepto hucusque satis imprecisa erat et controversiis obscurata. Neque per C. omnia dubia sublata sunt, praesertim cum de *generalibus* praeceptis omnino sileat. Sed saltem *duae* quaestiones solutae sunt: *a)* praecepta urgere etiam *extra territorium*, id quod complures negabant,[2] nisi data essent potestate territorio non alligata aut ex pacto orta vel pacto confirmata (superioris religiosi, episcopi erga clericos); *b)* non cessare necessario *resoluta iurisdictione* praecipientis, quod multo plures negabant.[3] Invecta est tamen conditio scripturae vel testium.

III. DE CONSUETUDINE.

71. Factum et ius. Consuetudo, si ut *factum* consideretur, est «frequentia operandi libere eodem modo». Ex quo facto *ius* oriri potest: aut *subiectivum,* si acquiritur aliqua facultas ad rem vel in re *(praescriptio),*[4] aut *obiectivum,* si norma statuitur legis naturam habens. Illius etiam privati homines capaces sunt, huius sola communitas,[5] eique formaliter convenit nomen *consuetudinis* (c. *iuris).* Unde definitio: «Ius (obiectivum) non scriptum moribus populi introductum».

Consuetudo dividitur: *a)* in *universalem* quae in tota Ecclesia et *particularem* quae in aliqua eius parte viget;[6] *b)* in c. *praeter* legem, *contra* legem, *secundum* legem, prout iuri scripto addit, contradicit aut obsecundat; *c)* in *ordinariam, centenariam, immemorabilem:* illa a quadraginta annis, ista a saeculo, haec a tempore ante hominum memoriam durans.

---

[1] cf. *Wernz.* I, 135, not. 227.

[2] E modernis *D'Annibale,* I, 249 et *Lega,* De delictis et poenis², Romae 1910, p. 109 cum multis antiquioribus. Contra sententia communior, cuius rationes affert *Wernz,* l. c. not. 225.

[3] Erat doctrina communis. *D'Annibale,* l. c. Contra *Lega,* o. c. 105 ss., cuius distinctio videtur in can. 24 recepta, et post eum *Wernz,* l. c.

[4] can. 1508 ss.

[5] Apud antiquiores proprietates praescriptionis et consuetudinis saepe permiscebantur, at quamvis haec duo instituta in aliquibus conveniant (cf. can. 27 § 1 et can. 28), sunt tamen essentialiter diversa. cf. *Suarez,* l. VII, c.1, nn. 5-7; *Reiffenstuel,* I, tit. IV, nn. 23-28.

[6] Olim distinguebatur *generalissima* quae in tota Ecclesia, *generalis* quae in regno vel provincia, *specialis* quae in dioecesi vel alia communitate legis recipiendae capaci vigebat. Denique *specialissima* quae in communitate imperfecta, haec autem nonnisi observantia est. Terminologia textus convenit C. can. 5 et 30.

Causa efficiens ut factum in ius transeat, idest ut consuetudo vim legis obtineat, in systemate iuridico Ecclesiae, unice *consensus* competentis superioris esse potest (can. 25). Compertum enim est totam publicam potestatem in hierarchia residere, nec minimam partem populo esse concessam.[1] Consensus vero aut *expressus* est, cum legislator diserte morem approbat, qua re tamen natura iuris non immutatur, aut tacitus aut legalis. *Tacitus* est si superior consuetudinem videns, nulla necessitate coactus, sciens prudens cum id commode facere posset, non contradicit.[2] *Legalis* denique si lex fertur qua antecedenter omnes consuetudines, datis quibusdam conditionibus, approbantur et vim iuridicam assequuntur. Hunc quoque sufficere, *tum* ex intrinsecis rationibus, *tum* ex facto ostenditur, nam huiusmodi lex et in antiquo iure nostro extitit (c. 11, X. 1, 4) et in novo extat (can. 27 et 28).

Consuetudinem magnas partes habuisse in efformanda Ecclesiae disciplina notum est. Plura iuridica instituta (ex. gr. coelibatus, impedimenta matrim. ius patronatus) quae hucusque durant ac procedente tempore etiam legibus ordinata sunt, ab initio moribus populi sunt introducta. Et quousque legislatio positiva universe, et praesertim ius commune, valde limitata fuerunt, consequebatur profecto ut plerumque consuetudines deficientes canones supplerent, idest *praeter legem* essent; iure legali evoluto e contra consuetudines *contra* legem maioris momenti fierent. In utrisque autem admittendis *practice* nulla fuisse, per multa saecula, difficultas videtur.

At cum actum est de adstruenda *theoria consuetudinis,* res non ita expedita fuit. Principia classici *iuris Romani,* cui suprema potestas penes *populum* erat, ideoque etiam facultas leges suis moribus constituendi vel abrogandi,[3] correcta videbantur per legem Constantini (l. 2, C. 8, 53), qui *principis* auctoritatem opponens statuerat: «Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut *aut rationem vincat aut legem.*»[4] Quare *Gratianus,* dum consuetudinem praeter ius absque dubitatione recipit, in hoc antiquiori doctrinae *(Isidorus* in c. 5, d. 1: «ius.... quod pro lege suscipitur, cum

[1] can. 107, 109, 118.

[2] R. I. 43 in VI: «Qui tacet consentire videtur». At si silentium est mere *oeconomicum* et prudentiae causa servatum, perperam praesumitur consensus, «cum multa per patientiam tolerentur» (Innoc. III in c. 18, X. 3, 5). Hinc multi docent consensum *praesumptum* non sufficere. Alii e contra sufficere. Discrimen explicatur per diversam verborum acceptionem. His enim *tacitus* est consensus *factis* significatus, praesumptus *silentio* quando contradicere possumus (cf. *D'Annibale,* I, 136). Sed melius est communem terminologiam retinere. *Interpretativus* autem indubie non prodest, quia nihil est (cf. tamen *D'Annibale,* I, 246).

[3] fr. 32, D. 1, 3. cf. fr. 35 eod.

[4] Quinam sit huius legis genuinus sensus a multis saeculis controvertitur. Est vera crux interpretum. Plurimae propositae sunt solutiones ut cum reliquis iuribus componeretur: id saltem certum videtur, eam non omnes prorsus consuetudinem contra ius exclusisse.

deficit lex») consentiens, anceps haeret quoad consuetudinem contra legem. Sed *Glossatores* hanc Magistri limitationem non admiserunt et denique *Greg. IX* authentice omne dubium sustulit, decernens ut consuetudo iuri positivo praevaleret, dummodo esset rationabilis et legitime praescripta (c. 11, X. 1, 4). Exinde communis fuit doctrina consensum legalem sufficere; etenim nec aliqui auctores (Fagnanus, Diana, Pontius, Gousset, Schulte) qui id negaverunt, nec eo minus pauciores qui consensum expressum postulaverunt, probabilia suae sententiae argumenta afferre potuerunt.

Quod idem dicendum est etiam de conatu a Schulte aliisque, ultimo saeculo, suscepto introducendi in ius canonicum placita *scholae historicae* et fontem consuetudinis ponendi in *persuasione* populi certam normam esse necessariam. Nam praeter id quod non persuasio sed voluntas ius condit, et proinde etiam in iure civili haec opinio fundamento caret ac merito est reiecta, a fortiori cum monarchico regime Ecclesiae componi nequit.[1]

72. Conditiones. Consensus superioris est quidem elementum formale consuetudinis iuris, at eius *materia, modus* obligandi, *promulgatio* a populo provenit. Et cum naturam legis induat, necesse est ut iisdem ac illa proprietatibus praedita sit. Ideoque consequitur:

a) Consuetudo nonnisi in *communitate*, legis ecclesiasticae *saltem recipiendae* capaci introduci potest (can. 26). Hanc doctrina perfectam (relative) vocat et ab imperfecta absolute (familia, confraternitate etc.), praecepti tantum capaci, distinguit; et esse provinciam, dioecesim, civitatem etiam, ordinem religiosum et huiusmodi communiter traditur.[2]

Communitas autem, aut *maior* eius *pars* quod idem est,[3] consuetudinem inducere intelligitur si actus *frequentes, uniformes, publicos, liberos, opinione iuris seu necessitatis* ponit. Quot actus requirantur a subiecta materia pendet et in aestimatione viri prudentis est; si ex *vi* et *metu* gravi procedant sane nihil sequitur; non item semper si ex ignorantia vel errore, quia quod refert est *voluntas* sese *obligandi* aut sese

[1] *Scherer*, I, 10, not. 6 et 131; *Werns*, I, 188. Vide supra n. 4. Ceterum moderni codices, si excipias negotia commercii, consuetudines non admittunt.

[2] *Suarez*, l. I, c. 6, nn. 11 ss; *Reiffenstuel*, l. c. nn. 110 ss; R. 5 maii 1910 (d. IX. n. 24). — Sed etiam *capitula* possunt inducere consuetudines (arg. ex can. 396 § 2, 403, 409 § 2 etc.), item omnes parochi vel omnes clerici alicuius dioecesis. — *Mulieres* earumque communitates incapaces esse efformandi consuetudinem iuris, nisi accederet consensus expressus vel saltem tacitus (non mere *legalis*) superioris, docebant veteres (cf. *Reiffenstuel*, l. c. nn. 113 ss.). Sed rationes allatae non erant valde probativae, et non apparet cur haec limitatio sit hodie sustinenda.

[3] Etenim «refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem» fr. 160, D. 50, 17. Et «quod maior pars curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint» fr. 19, D. 50, 1.

liberandi (cf. can. 28), quae certissime adesse *potest* tum si populus cognoscat existere legem tum si ignoret, tam si *bona* quam si *mala fide* operetur. Unde consuetudo excluditur dumtaxat ubi error est antecedens seu dans causam, non mere concomitans, atque in actibus *facultativis*, ut puta quae ex devotione, ex liberalitate, ex urbanitate exercentur.

b) Consuetudo debet esse *rationabilis*. Quae conditio omnia ex parte materiae (ut honesta sit, iusta, possibilis, utilis) requisita includit. Unde imprimis prorsus non admittitur consuetudo quae *iuri divino* sive naturali sive positivo contradicit (can. 27 § 1), deinde quae principiis fundamentalibus iuris canonici, aut etiam specialibus illius instituti de quo agitur, manifeste adversatur, denique quae nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit, peccandi occasionem vel licentiam praebet, communi utilitati perniciosa est.[1] *Prohibitio* alicuius consuetudinis, a legislatore facta, non semper arguit irrationabilitatem, sed profecto si eam ut *corruptelam* expresse *reprobaverit* (c. c. § 2),[2] quamvis concedendum sit interdum evenire posse ut, rebus mutatis, haec quoque rationabilis censeatur.[3]

c) Et legitime *praescripta*. Haec conditio si habetur expressus consensus legislatoris profecto necessaria non est, cum illo accedente nihil iam ad perfectum ius desit, quod proinde statim vim obtinet; sed e contra *positive* requiritur ad assequendum consensum *legalem* (can. 27 § 1 et can. 28).[4]. Et quidem pro regula ad inducendam consuetudinem sive *contra* sive *praeter* legem exigitur usus per *quadraginta* annos *continuos* et *completos;* si vero lex, cui derogatur, con-

[1] *Suarez*, l. VII, c. 6, n. 10; *Reiffenstuel*, l. c. nn. 31 ss.

[2] Complures consuetudines in C. reprobantur, v. supra p. 95, not. 4.

[3] Seclusa, uti patet, iuri divino contraria. Clausula reprobatoria enim potest esse vel *declarativa*, scil. intrinsecae nullitatis, vel *dispositiva* i. e. per legem. *Suarez*, l. VII, c. 7. n. 7. Et « verissima sententia habet, quoties lex reprobat consuetudinem ut iniquam, sicque ipsi etiam futurae derogat, posse ex nova causa, quae tollit iniquitatem illam, induci consuetudinem adversus eam legem » *Reiffenstuel*, l. c. n. 46.

[4] Unde *illa* consuetudo dicitur procedere *via conniventiae, haec* via *praescriptionis*. Quam differentiam forte innuit verbum « competens » in can. 25. Si enim canon respiceret solas consuetudines legitime praescriptas, cum hae omnes, sive universales sive particulares, ab *ipso iure communi* consensum habeant, vix non superfluum esset quaerere de competentia, sed utique ubi agitur de conniventia, quia positiva voluntas requiritur superioris, qui, pro ambitu consuetudinis, alius et alius esse potest. — Ad consuetudinem *contra ius* ante tempus cohonestandam sufficit etiam consensus *tacitus*, non autem ad imponendam *praeter ius*, cum hodie certus modus in legibus promulgandis sit definitus. Hoc docet *Vermeersch-Creusen*, 87, cuius sententia in prima parte indubia, in altera saltem probabilis videtur, quamvis argumentum, quo utitur, non sit peremptorium, nam aliud est lex aliud consensus.

tineat clausulam futuras consuetudines prohibentem, eam vincere tantummodo *centenaria* aut *immemorabilis* valet. Cum continuum dicatur tempus quod nullam patitur interruptionem (can. 35), si vel una tantum vice *aut* superior consuetudinem publice respuat,[1] *aut* introducentes eam intermittant, non procedit; ab eo momento tamen iterum incipi potest, et integro elapso intervallo obtinet, dummodo iam ab initio et toto decursu reliquas qualitates habuerit.

Per hos canones resolutae sunt authentice annosae et insolubiles controversiae doctorum, circa tempus ad praescribendum, in consuetudine, necessarium. Cum enim nec Romani nec canonici iuris textus illud definiverint, sed solummodo de inveterata, diuturna, longaeva, legitime praescripta consuetudine loquerentur, lata relinquebatur opinandi et aestimandi libertas. Complures, antiquiores praesertim sed etiam novi, tenuerunt *nullum certum tempus* exigi, sed illud determinare in arbitrio esse boni viri.[2] Plerique vero aut decem aut quadraginta annorum spatium postulabant; et quidem veteres communiter (quamvis non omnes convenirent) *decem* ad praescribendum praeter ius, *quadraginta* contra ius; e modernis autem multi probabilem tuebantur sententiam decennium etiam ad consuetudinem contra legem sufficere,[3] aliqui, et profecto improbabiliter, ad consuetudinem praetes legem quadraginta requiri.[4]

73. Effectus. «Consuetudo pro lege non immerito custoditur»[5] seu parem ac lex habet auctoritatem (can. 25): ex hoc principio iuridici eius effectus sunt dimetiendi.

a) Consuetudo *secundum legem,* quando haec clara est ac indubia, improprie ius constituere dicitur, nam revera nihil aliud est quam legis observantia, cui nec addit nec demit quicquam. At si lex aut dubia aut incerta sit, usus subditorum interpretationem inducit, quae magni facienda est, nam «consuetudo est *optima* legum *interpres*» (can. 29). Nihilominus, quousque in mero *facto* consistit, non magis valet quam probabilis interpretatio doctrinalis; demum cum fuerit legitime praescripta *obligatoria* fit,[6] sive veram legislatoris mentem exprimat, sive eam extendat aut limitet, quo in casu profecto cum consuetudine secundum ius alia praeter vel contra ius concurrit.

[1] Authentica declaratione, vel sententia iudiciali, vel poena agentibus inflicta.
[2] Vide *Suarez,* l. VII, c. 8, n. 4; *Wernz,* I, 190, not. 84.
[3] *Bened. XIV,* De syn. l. XIII. c. 5 n. 4; *Ballerini-Palm.* I, 263.
[4] *D'Annibale,* I, 246.
[5] fr. 32, D. 1, 3.
[6] Unde nec accurate nec moderate videtur de hac loqui *Toso,* 87, cuius assertiones cum recepta canonica doctrina non conveniunt.

b) Consuetudo *praeter legem* praecipere, prohibere, poenas statuere, actus contrarios irritare, personas inhabilitare, uno verbo ea omnia efficere potest quae lex, nisi exceptio expresse probetur. Hoc sane *theoretice*,[1] nam *practice* si iam antea docebatur ad irregularitates et censuras introducendas consuetudinem non valere,[2] eo magis moderno iure hoc affirmandum est, additis etiam impedimentis matrimonialibus.[3]

c) Consuetudo *contra legem* hanc abrogat[4] aut ei derogat vel obrogat. Nec excluditur quod, lege manente, adnexam poenam aut actus irritationem tantummodo auferat. Consuetudo universalis ius universale, particularis *tum* particulare ius tollit *tum* universale, imo in hoc altero effectu est eius speciale momentum in ordine iuridico Ecclesiae, qui ita veluti sponte variis temporum et locorum necessitatibus aptatur. *Immemorabilis* vero aut *centenaria* praevalet quoque clausulae prohibenti, quae remorandi non impediendi consuetudinem vim habet (can. 27 § 1). Idemque etiam de clausula reprobatoria saepe dicere possumus, unde nulla est dispositio iuris humani quam legislator abrogare possit, consuetudo nequeat.[5]

Consuetudo, nisi sit universalis vel notoria, debet ab allegante probari, cum *facto* innitatur et exceptionem contineat. In foro, *ordinariae* consuetudinis factum probatur per testimonium Ordinarii, statuta diocesana, sententias iudiciales, documenta publica et interdum etiam privata,[6] denique per testes. In dubio etiam usus locorum adiacientium suppeditat probabile argumentum.[7] De *rationabilitate* vero, cum haec sit quaestio iuris, iudex videt. *Immemorabilis* non ea censetur consuetudo, cuius initium historica investigatione ostendi nequeat, sed ea quae viventes nunc homines quando incoeperit *nec* viderunt *nec* audierunt. Unde probatur per testes saltem 54 annos natos, et eo melius si seniores, qui

[1] *Suarez*, l. VII, c. 16, nn. 2-4.

[2] *D'Annibale*, I, 247, not. 20.

[3] cf. can. 1041. At plura impedimenta olim consuetudine introducta esse, satis notum est. *Chelodi*, Ius matrim. 36.

[4] Et haec dicitur saepe etiam *desuetudo*.

[5] Olim fuit sententia plurimorum canonistarum, cui praxis C. C. et Rotae R. succurrebat, consuetudines non admitti contra *Concilium Tridentinum*. *Bouix*, o. c. 369-379. Sed recenter tam doctrina quam iurisprudentia ab ea recesserat.

[6] His accensenda sunt scripta doctorum. Pro foro *interno*, ex opinione S. Alphonsi aliorumque, uni Doctori eximio fides integre adhiberi potest, dummodo alii non contradicant (*Ballerini-Palm.* I, 286 cf. *Suarez*, l. VII, c. 11, n. 6) e contra Lugo monet non facile credendum esse Scholasticis (cf. *D'Annibale*, I, 246 not. 17). In foro *externo* profecto plene non probant, nisi plures sint aut alia indicia concurrant.

[7] R. 6 apr. 1909 (dec. IV, n. 9) cf. c. 3, X. 4, 11.

deponant per quadraginta annos post pubertatem se semper eam consuetudinem observatam vidisse, nihilque actum in contrarium, et idem a suis maioribus audivisse.[1]

74. Cessatio. *a)* Imprimis constat consuetudinem, non secus ac legem, posse per solam mutationem materiae quoad eius honestatem vel publicam utilitatem, ab *intrinseco* deficere.[2]

b) Ab *extrinseco,* vero, aut per legem aut per consuetudinem contrariam revocatur (can. 30). Et lex generalis tollit consuetudinem generalem, particularis particularem sibi oppositam, etiamsi de ea nullam mentionem faciat. Ut autem lex generalis perimat consuetudinem *particularem* (quam, utpote quid facti, legislator praesumitur ignorare, nisi eius notitiam ostendat)[3] necesse est ut hanc nominatim exprimat aut saltem adnexam habeat clausulam «*non obstante quacumque consuetudine*» vel aliam aequipollentem. Quae, licet amplissima videatur, non est tamen efficax ad centenariam vel immemorabilem auferendam, sed huic fini addatur oportet «*etiam centenaria et immemorabili*». Utraque clausula autem nonnisi praeteritum respicit, et nullimode futurae consuetudini praeiudicat, nisi ex contextu appareat esse etiam reprobatoriam.[4] Ceterum non est superior in revocatione certis formis adstrictus, et potest quoque mediam viam eligere, uti factum est in can. 5, quo consuetudines ordinariae omnes, etiam *particulares,* C. oppositae *absolute,* centenariae et immemorabiles *conditionate* tantum abrogatae sunt.

Porro, etiam *posterior* consuetudo priorem *vincit,* si ei e diametro opponitur; secus iura sunt concordanda. Sed particularis derogat universali, non autem vicissim. Nova consuetudo, ut efficax sit, omnibus proprietatibus praedita esse debet, et praesertim legitime praescripta per usum quadraginta annorum. Quod tempus hodie videtur exigendum etiam si agatur de reditu ad ius commune.[5]

Usus forensis, qui duplex distinguitur prout ad *formam* procedendi (*stylus* Curiae) vel ad *principia* uniformiter in similibus iudicandis appli-

---

[1] R. 5 maii 1910 (dec. IX, n. 26); 16 iul. 1913 (dec. XXXVI, n. 3).

[2] Vide supra n. 69 et *Suarez,* l. VII, c. 20, n. 1.

[3] *Bonif. VIII* in c. 1 in. VI. 1, 2. cf. supra n. 69.

[4] Est doctrina recepta, quam aliquorum contradictio infirmare non valet.

[5] Hactenus *decennium,* potissimum ex ea ratione quod hoc ad praescribendum tum contra tum praeter ius sufficiens tempus aestimabatur. *Reiffenstuel,* l. c. nn. 196 ss.

cata (*praxis* Curiae) refertur, nullum per se constituit ius, ubi lacuna legis non habetur aut alio modo suppleri potest (can. 17 § 3 et can. 20). Attamen non levis est eius auctoritas et si constanter retineatur, fieri *potest* ut, accedente consensu *tacito* legislatoris,[1] vim obtineat iuris consuetudinarii, tertios quoque obligantis *(stylus facti* et stylus *iuris).*

IV. DE RESCRIPTIS.

75. Notio et divisio. Dum lex et consuetudo normas communes statuunt, rescriptum, privilegium, dispensatio casus vel personas *singulares* respiciunt et sunt fontes iuris *subiectivi.* De his igitur post fontes iuris obiectivi agendum et primo de rescriptis, quae interdum etiam privilegium vel dispensationem continent (can. 62).[2]

Rescriptum, ut ipsa vox innuit, est «responsum principis ad alterius petitionem scripto datum».[3] Conceditur proinde ab eo qui legem condere potest; iure nostro a R. Pontifice vel ab alio Ordinario (can. 36 § 1), quamvis sensu stricto et absolute adhibitum nomen rescripti plerumque significet responsum Sedis Apostolicae. Et se refert hodie exclusive ad negotia privatorum,[4] unde ius facit tantum inter partes (can. 17 § 3) aut favorem tribuit impetranti.

Distinguuntur: *a)* rescripta *gratiae,* quibus favor praeter vel contra ius alicui conceditur, in re nulli iudiciali controversiae subiecta, et r. *iustitiae,* quibus princeps intervenit in causa iudiciali ad eiusdem rectam solutionem promovendam,

[1] At cum iste usus vix *consuetudo facti* dici possit, locus non est consensui legali. Auctoritatem styli Curiae haud raro nimis extollunt veteres canonistae, quibus vulgatum est illud: «*Stylus Curiae habet vim legis*». Sed verius: «*Non exemplis sed legibus iudicandum est*». l. 13, C. 7, 45.

[2] Quo in casu, uti palam est, normae quoque privilegiorum et dispensationum peculiares attendendae sunt.

[3] Concessiones a R. P. sola voce factae, sine scriptura, vocantur *oracula vivae vocis.* Et pro *foro interno* eiusdem sunt valoris ac rescripta. Pro foro *externo* autem non valent nisi per authenticum documentum officialis Curiae aut attestationem Cardinalis probari possint. *Ordo servandus in Rom. Curia,* Pars II, c. III, a. 1, n. 2. cf. can. 79, 239 n. 17. Oracula olim plurima concessa sunt: multa privilegia ordinum religiosorum iis innituntur. Sed cum multiplices abusus fierent, *Greg. XV,* const. *Romanus Pontifex,* 2 iul. 1622, *Urbanus VIII,* const. *Alias,* 20 dec. 1631, *Clem. XII* const. *Rom. Pontif.* 12 febr. 1732, aliique pontifices omnia oracula vivae vocis revocaverunt, pro utroque foro. Quae bullae tamen non respiciunt concessiones quae a Papa fieri solent in audientia ad relationem ministrorum Congregationum («facto verbo cum SS°»), super quibus deinde litterae expediuntur. *Ferraris,* V, 1543 ss. sub. h. v.; *Maschat-Giraldi,* IV, 164 et 166 s.; *Gennari,* Quistioni canoniche² Romae 1908, n. 452.

[4] *Rescripta generalia* enim, prout habebantur in iure Romano, vel generalibus aequipollentia, quae etiam iuri nostro anteactis temporibus non fuerunt ignota, et vim legis obtinebant, hodie non usuveniunt.

v. c. iudicem delegans, formam procedendi determinans, restitutionem in integrum decernens.[1] In idem fere recidit altera divisio in r. *praeter, contra* (gratiae) vel *secundum ius* (iustitiae). *b)* rescripta in *forma gratiosa,* cum ipse princeps petitam gratiam concedit, ideoque gratiam factam continere dicuntur, et in *forma commissoria,* quando alteri necessariam facultatem ad eam concedendam tribuit (gratiam faciendam).[2]

Cum, inde a saec. IV, *imperatores Romani* absoluta potestate uterentur, *personales* eorum *constitutiones* unicus fons iuris erant. Quae si normam omnibus subditis imponebant *leges generales* vel *edictales* dicebantur, si de singulari negotio ad privatum hominem, ad magistratum vel iudicem (cum primis in litibus; «consultatio ante sententiam») dabantur, *rescripta*. Haec vim legis universalis non obtinebant,[3] imo Constantinus statuerat ut si vigenti iuri contradicerent invalida censerentur, Arcadius ut ad alios casus extendi non possent. Iustinianus vero hoc fieri iussit, quatenus iuris *interpretationem* tantum exhiberent.[4]

Ex hoc instituto Romano canonistae *doctrinam* rescriptorum iuris canonici desumpserunt, cum primum de iis data opera agere inciperent (saec. XII). At *res* iam longe ante in Ecclesia extabat. Nam R. Pontifices, vel ab antiquissima aetate, undique consulebantur et, ut gratiam concederent aut ius tuerentur, rogabantur, atque postulantibus scriptis litteris satisfacere consueverunt. Primum rescriptum, cuius superest exemplar, Siricio Papae (385) pertinet, at praesertim medio aevo praxis rescriptorum maximi momenti facta est, *tum* quia latissimi usus, *tum* quia ad evolutionem iuris haud parum contulit, cum potissima pars collectionum authenticarum ex rescriptis constet. Et tunc etiam multae normae, quae eorum vim, rationem, executionem ordinant, latae sunt.[5] Hodie quoque dispensationes et reliquae gratiae a Sede Apostolica, pro regula, rescripto conceduntur.

76. Impetrari possunt rescripta ab *omnibus* qui expresse non prohibentur (can. 36 § 1).[6] Iamvero ad recipienda rescripta *pontificia,* quamcumque gratiam continentia, a iure declarantur *inhabiles* damtaxat *censura* (excommunicatione, interdicto personali, suspensione) *irretiti,* si *aut* vitandi sint *aut* de censura in foro externo, per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, plene constet;[7] ita quidem ut etiamsi rescriptum

[1] Rarius occurrunt etiam rescripta *mixta*.

[2] At hae denominationes interdum etiam aliquatenus aliter usurpantur, et gratia *facta* dicitur concedi in forma *commissoria*. cf. infra n. 80.

[3] l. 3, C. 1, 14; fr. 1, D. 1, 4.

[4] l. 12, C. 1, 14.

[5] Huc faciunt etiam plures *regulae cancellariae*.

[6] Siquidem in materia communiter non prohibita valet axioma: «Concessum intelligitur quod expresse non prohibetur». *Glossa* ad c. 2 § 1, X. 1, 7.

[7] can. 2265 § 2; can. 2275 n. 3, can. 2283.

motu proprio sit concessum non sustineatur, nixi expressam clausulam inhabilitatis derogatoriam appositam habeat (can. 46). Donec, e contra, censura iuridice occulta est, nullo modo officit gratiis et dispensationibus quibuslibet a Sede Apostolica[1] impertitis, ne dum reus plectitur, innocentes, cum saepissime de re agatur quae in fideles redundat, detrimentum capiant (can. 36 § 2).[2]

Nec quis prohibetur *pro alio*, inscio ipso, rescriptum impetrare: quod valet (v. c. dispensatio matrimonialis)[3] ante et proinde etiam citra illius acceptationem, nisi ex appositis clausulis aliud appareat. Si autem rescriptum eiusmodi est, ut ei communicari oporteat, et meram *gratiam* contineat, libere potest eodem uti vel non uti (can. 37). Non item universim si est iustitiae, sed videndum utrum petentis tantum an boni publici intersit.[4]

Iure Decretalium (c. 1 in VI. 1, 3) omnes *excommunicati*, vitandi vel tolerati, publici vel occulti, incapaces erant cuiuslibet rescripti recipiendi, nisi in causa excommunicationis vel appellationis, ideoque eis forte concessa irrita in utroque foro habebantur. Ut autem multis incommodis occurreretur, stylus Curiae invaluerat ut plerisque rescriptis insereretur *absolutio* a censuris *ad cautelam*, solummodo ad effectum illius gratiae valide consequendae. Sed *Pius X*, etiam in hac re innovans, statuerat ut, inde a die 3 nov. 1908, «gratiae et dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae etiam censuris irretitis, ratae sint ac legitimae, nisi de iis agatur qui *nominatim excommunicati* sint, aut a Sancta Sede *nominatim* pariter poena *suspensionis a divinis* multati»[5] Quae dispositio in C. fuit quidem recepta sed arctioribus circumscripta limitibus.

Cum omnes *haeretici* et *schismatici* sint excommunicati, antiquo iure assequendi rescripta incapaces erant. Nunc quoque qui sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, utpote infames, inhabiles sunt ad impetranda rescripta quibus beneficia, pensiones, officia et dignitates vel facultas, ius aut munus in Ecclesia excercendum conferantur.[6] Sed quaestio esse posset quoad *alias gratias*, praesertim si de iis agatur qui in haeresi nati ed educati, forte bona fine in errore ver-

---

[1] Idest a R. Pontifice vel a Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, per quae negotia universae Ecclesiae expediri solent (can. 7).

[2] Ex claris verbis can. 2265 § 2 («*post* sententiam» — «sententia lata *fuerit*») colligitur sententiam declaratoriam in hoc casu *non habere* effectum *retroactivum* (can. 2232 § 2). Quod confirmatur etiam ex can. 2266. Ceterum actus ab huiusmodi censurato in bonum fidelium positi essent validi etiam vi can. 209.

[3] cf. can. 1138 § 3.

[4] *Reiffenstuel*, I, tit. 3, nn. 264 ss.

[5] *Ordo servandus in R. C.* Pars II, c. 3, n. 6.

[6] can. 2314 § 1 n. 3 et can. 2294 § 1.

santur. Cum in foro externo omnes rei praesumantur, in can. 2232 § 1 vero notorietas delicti aequiparetur sententiae declaratoriae, sequi videretur eos *nullum* rescriptum valide accipere posse. Attamen, quia sumus in odiosis, haec conclusio non caret difficultate, nec certa apparet. Praxis Curiae est ut v. c. dispensatio matrimonialis, si alter nupturientium acatholicus sit, soli parti catholicae detur.[1]

Rescripta *gratiae* semper impetrari potuerunt etiam pro alio. Sed ad tollendos multiplices exortos abusus olim statutum erat (cc. 28 et 33, X. 1, 3) ut rescripta *iustitiae* invalida essent si obtenta a tertio, qui nullum aut revocatum mandatum haberet. At iam a multis saeculis, ex consuetudine ipso stylo Curiae confirmata, haec exceptio obsoleverat.[2]

77. Forma et conditiones. *a)* Rescriptum, natura sua, tribus partibus constat: *narratione, supplicatione* cum causis ad movendum superiorem allatis, et *signatura*. Prima et altera pars simul sumpta dicitur *expositiva* et, uti patet, a petente procedit, tertia est *dispositiva* et voluntatem concedentis exprimit. Hodie profecto plerumque totum rescriptum ab officiali Curiae conficitur, ac saepissime in formulis typis impressis; nihilominus cum expositio ex libello supplici desumatur, quae in ea vera aut falsa occurrunt semper impetranti tribuuntur.[3] Tamen *errores* materiales quae in transcriptione nominum, domicilii, rei de qua agitur interdum irrepere possunt, *non* officiunt validitati rescripti «dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio» (can. 47).

b) Irrita, e contra, sunt rescripta si *conditio* aliqua *essentialis*, sub qua data sunt, deficit. Conditiones aut *expressae* sunt aut *tacitae*. Illae, ut plurimum, in clausulis signaturae leguntur et variae, pro negotiorum varietate, apponi solent: non tamen omnes eiusdem efficaciae; nam aliae tantummodo *praeceptivae* sunt, ad liceitatem utique non autem ad valorem servandae,[4] aliae rursum *essentiales*, quibus non

---

[1] Principia Curiae Rom. in hac re fuse exponit Ben. XIV in litteris *Magnae nobis*, 29 iun. 1748 et *Ad tuas manus*, 8 aug. 1748 ad episcopos Poloniae (ap. *Richter*, 559 et 563).

[2] *Reiffenstuel*, l. c. n. 59; *Scherer*, I, 142, not. 7.

[3] Unde perperam quis argumentatur ad mentem *legislatoris* ex parte narrativa rescriptorum. Eo minus ab auctoritate ecclesiastica approbata vel acceptata esse censentur quae in his expositionibus narrantur. Quod praesertim in interpretandis fontibus iuris antiqui, ubi tot rescripta sunt, est attendendum.

[4] V. c. «praemissis publicationibus», «remoto scandalo», «iniuncta salutari poenitentia» etc. Et si identidem quod imponitur ad valorem actus est, uti «servata forma Tridentina», hoc aliude provenit, et clausula, vi sua, tantummodo in mentem revocat praeexistentem obligationem.

servatis rescriptum corruit, et nunc quidem tales eae dumtaxat sunt quae «per particulas *si, dummodo,* vel aliam eiusdem significationis exprimuntur» (can. 39).[1]

Tacita vero conditio, in omnibus rescriptis subintelligenda, etiam si aliquando expresse non apponitur,[2] et *essentialis* est haec: *Si preces veritate nitantur* (can. 40).[3] Cavet igitur deceptionem superioris in parte expositiva attentatam. Et cum haec fieri possit dum *aut* in factis narrandis aliquid reticetur *aut* in causis recensendis falsum affirmatur et obtruditur, omnia vitia, quae ex hoc capite rescripta vitiant, reducuntur ad *subreptionem* vel *obreptionem.* Utraque *obiective* consideratur: ideoque nihil interest utrum bona an mala fide, ex ignorantia an ex alia causa locum habuerit.[4]

Si quis hodie a S. Sede gratiam (fori externi) petit, aut id per Ordinarium facit aut certe eius libellus a Rom. Curia communicatur Ordinario, ut is suam mentem aperiat. Praeterea fere omnia rescripta a Curia ex officio Ordinariis mittuntur. Unde vix possibile est periculum falsi. Non ita olim, cum plurima rescripta directe a partibus Romae impetrabantur et deinde executoribus praesentabantur. Quare multiplices dispositiones etiam eorum *formam externam* respiciebant, quae magno rigore urgebantur: invalidum censebatur rescriptum si deerat *nomen Pontificis, data,* quaedam *locutiones* styli, si continebat *rasuram* vel correctionem in parte dispositiva, aut manifestum *errorem latinitatis,* imo etiam si *nomina* oratoris vel oratorum non recte scripta essent.[5] Quae omnia nunc minoris momenti sunt.

Etiam relate ad *subreptionem* et *obreptionem,* in C. brevibus et claris normis, in re haud modice obscura et controversa, quid iuris sit definitur. Communiter docebant hucusque rescripta *iustitiae* male impetrata non absolute nulla sed ope exceptionis elidenda esse; rescripta *gratiae* semper nulla si *dolus* intercessisset, etiam partialis. Si autem *bona fide* aliquid reticitum aut falso affirmatum fuisset, secundum veriorem sententiam et stylum Curiae eadem principia quae nunc omnibus rescriptis communia sunt, et modo exponemus, his iam applicabantur.[6]

---

[1] Unde, ex apicibus verborum, clausula quae nulla *particula* conditionali introducitur, nunquam esset essentialis. Quod verum non videtur. Nam ex. gr. quae restringunt facultatem (ut puta si concedatur facultas absolvendi vel dispensandi «in foro sacramentali tantum») omnibus fatentibus sunt essentiales. E contra nullum certum indicium deducitur ex eo quod clausula *ablativo absoluto* exprimatur.

[2] Quod tamen secundum modernum stylum Curiae admodum raro fiet.

[3] Saepe dicitur etiam: «*Si vera sunt exposita*» vel «*Si ita est*».

[4] At criminaliter est sane discrimen, quia qui *fraude* vel *dolo* utitur potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, can. 2361. — Praeterea haec regula patitur duas exceptiones: quoad *irregularitates* et *impedimenta* (can. 991 §§ 1 et 2), quoad *censuras* (can. 2249 § 2).

[5] Hoc ultimum in rescriptis dispensationum matrimonialium tantum, ex stylo Datariae. *Gennari,* Cons. morali[3], I (Roma 1913) 405 ss.

[6] Doctrina antiquorum fundatur praesertim in c. *Super literis* Innoc. III (c. 20, X. 1, 3) quod in summario vocatur «difficile et famosum et clavis totius tituli». cf. ex. gr. longas lucubrationes ap. *Reiffenstuel,* l. c. nn. 152-211.

78. Subreptio et obreptio. *a) Subreptio,* seu reticentia veri, rescriptum vitiat si in petitione non ea omnia expressa fuerint, quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda; reliquae circumstantiae, etsi malitiose occultatae, eius vim non infirmant (can. 42 § 1). Quid autem stylus Curiae requirat, non uno verbo dici potest. Quaedam *species subreptionis* ab ipso iure communi determinantur: *1.* Si gratia denegata a Congregatione vel Officio Rom. Curiae deinde ab *alia* Congregatione vel Officio vel a *loci* Ordinario[1] petitur, reticita praecedente repulsa; quia concedens *invalide* agit sine consensu Congregationis vel Officii quocum negotium incoeptum fuit.[2] At Poenitentiaria, pro ambitu suae competentiae (foro interno), huic limitationi non subest (can. 43).[3] *2.* Si gratia a *Vicario generali* denegata ab Episcopo impetratur, vel vicissim, nulla facta denegationis mentione. Imo Vicarius generalis *numquam* potest *valide* gratiam ab Episcopo iam denegatam, hoc non consentiente, concedere (can. 44 § 2). E contra *non* adest subreptio si quis gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio, proprio vel alieno, acceptam repulsam reticens, petat, ideoque concessa *valet;* at nec impetrans *licite* agit, quia id in iure prohibitum est, nec alter Ordinarius, cognita alterius denegatione, *licite* concedit, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus (can. 44 § 1). Sed libere recurrit ad Ordinarium *proprium* qui respuitur ab *alieno. 3.* Si persona est iure communi inhabilis ad consequendam gratiam de qua agitur, aut obstat consuetudo localis legitima, aut statutum particulare, aut ius tertii et haec in supplicatione non fuerunt expressa. Nam, cum sint quid facti, praesumuntur a superiore ignorari (can. 46).[4]

b) Obreptio, seu expositio falsi, rescriptum infirmat si *unica* causa *motiva* allegata vera non est aut si ex pluribus

---

[1] Sed quid, si ab alio Ordinario (Superiore religioso, cf. can. 198) petatur? Et «cum verba aliquid operari debeant» (c. 10 in VI. 5, 7), ita ut omnis superfluitas in lege vitanda sit, quae perpetua est regula interpretationis (cf. *Reiffenstuel,* Proem. nn. 213 ss. et l. I, tit. II, n. 396), admittere cogimur subreptionem non adesse, quamvis hoc absonum videatur.

[2] Hoc, quoad Congregationes, iam in decr. Innoc. XII, *Ut occurratur,* 4 iun. 1692 (refertur a *Maschat,* II, 168) statutum fuit et a *Pio X* (Ordo serv. Pars. II, c. I. n. 2) confirmatum, licet ab eo cumulatio competentiae in Congregationibus abrogata sit. C. addit Ordinarium. cf. R. I. 84 in VI: «Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti».

[3] At sane denegata a Poenitentiaria gratia in foro interno, subrepticia esset impetrata in foro externo.

[4] Aliae subreptiones pendere possunt ex solo stylo Curiae, qui tamen interdum etiam mutatur. Ita ex. gr. olim exprimenda erat ad valorem circumstantia *raptus, copulae incestuosae,* quod hodie non amplius requiritur.

omnes, non autem si una vel altera tantum aut etiam omnes causae *impulsivae*, dummodo una motiva vera sit (can. 42 § 2). Motiva dicitur quae superiorem ad concedendum determinat, impulsiva quae eum dumtaxat faciliorem reddit. Et si unica in libello proposita fuerat nulla difficultas;[1] at si plures quaenam motiva quaenam impulsiva censenda? Hoc non ex praesumpta intentione rescribentis sed ex iure et re ipsa determinari debet, praesertim vero ex cognita praxi in similibus ac ex communi doctrina. Quod si aliquando adhuc dubium maneat, *theoretice* standum est pro valore rescripti, *practice* autem, si tempus suppetat, satius erit petere «perinde valere».[2] Interdum, solis impulsivis allatis, gratia conceditur. Tunc *omnes simul* dicuntur constituere *unicam* causam motivam, et idcirco si vel una falsa sit rescriptum perimit. Quod si quis simul plura impetraverit, et una vel altera petitio fuerit subreptitia aut obreptitia, in hac parte rescriptum vitiatur, in reliquis sustinetur (can. 42 § 3).

c) Quia vero «rescripta quibus gratia conceditur *sine* interiecto *executore* effectum habent a momento quo datae sunt litterae, i. e. subsignatae a rescribente; cetera a tempore *executionis*» (can. 39), consequitur etiam preces veras esse oportere eo tempore quo rescriptum, in singulis casibus, efficax esse incipit (can. 41). Et id *sufficit* etiam: unde si cum signabatur rescriptum, ut puta dispensationis matrimonialis, quod assolet Ordinario committi exequendum, nondum extabat causa allegata (legitimatio prolis, prole nondum concepta), haec autem interim *ante* executionem obtigerit, validum est rescriptum; si illo tempore extitit, sed *ante* executionem cessavit (prole mortua), non valet.[3] Si *post* executionem cessaverit, etsi quis nondum usus sit rescripto, nihil obest.

Ex positiva iuris dispositione *non officit: 1.* sive *obreptio* sive *subreptio* in rescriptis quibus dispensatio a minore im-

---

[1] Idem dicas si in *libello* plures quidem causae fuerint allegatae sed in *rescripto* una tantum expressa: haec motiva censetur. *Reiffenstuel*, l. c. n. 194.

[2] «In dubio standum est pro valore actus». — «Profecto sic intelligenda sunt verba, ut res de qua agitur, valere potius possit quam perire» c. 25, X. 5, 40 - «Quotiens ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res de qua agitur magis valeat quam pereat» fr. 12, D. 34, 5.

[3] Haec eadem erat hucusque, ex pluribus, communior et verior doctrina. *D'Annibale*, I, 239. At *alia quaestio*, praesertim post reformatam Curiam et editas novas normas a *Pio X* (Ordo servandus, Pars II, c. III, n. 4) movebatur, utrum scilicet rescriptum cum executore *necessario* esset gratia facta et proinde veritas precum iam in die datae requireretur. Et non deerant qui id affirmarent. At nunc C. in can. 38, absque distinctione loquens, nullum dubium relinquit.

pedimento matrimoniali conceditur (can. 40 et 1054); *2. subreptio tantum* in omnibus rescriptis quibus apponitur clausula «*motu proprio*», dummodo tamen non agatur de subreptione ob reticitam inhabilitatem oratoris, contrariam consuetudinem particularem, contrarium statutum vel ius tertii, quia in omnibus his casibus non sufficit illa clausula, sed aliam obstaculi expresse *derogatoriam* apponi oportet, secus rescriptum est invalidum (can. 46). Item si intervenit *obreptio* (can. 45).

Ratio iuridica *prioris* exceptionis in eo est, quod dispensatio conceditur «ex rationabilibus causis a S. Sede probatis» quae semper adesse censentur, independenter ab illa vel illis (falsis), quas orator affert. Hanc novitatem invexit Pius X (1908).[1] Ratio *alterius* est, quia clausula *motu proprio*, etiamsi praecesserit petitio, imo petitio specifica huius clausulae, ostendit rescribentem agere velle ex sua benevolentia tamquam *non rogatum*, ideoque deficiente per fictionem iuris libello, non intelligitur subreptio. At cum causa motiva (finalis), quae a superiore indicatur, merito habeatur ut *conditio*, sub qua gratiam concedit, ista igitur si falsa sit, deficit voluntas concedendi. Idem dicas quando obstat ius tertii aliaque peculiaria.[2]

79. Concursus et interpretatio. *a)* Si duo (vel plura) rescripta, inter se contraria, de una eademque re impetrata sint, habetur *concursus*, quia utrumque, uti patet, ad effectum deduci nequit. Solvendae difficultati *haec principia* statuuntur:

1. «*Generi per speciem derogatur*».[3] Unde si alterum generale est alterum peculiare, hoc illi praevalet in iis quae peculiariter exprimuntur (can. 48 § 1).

2. «*Qui prior est tempore potior est iure*».[4] Id obtinet cum omnia aeque generalia vel peculiaria sunt, et recte quia primus impetrator iam habet ius acquisitum et rescripta non solent concedi contra ius tertii. Nisi tamen in altero expressa *mentio* fiat *prioris*, cui per hanc derogatur (c. c. § 2 cf. can. 46). Vel etiam nisi qui prior impetravit dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit. Cum autem rescripta regulariter perpetua sint et nemo teneatur intra certum tempus ea praesentare (can. 52) haec conditio non caret difficultate: proinde si quis contendat eam verificatam esse, res erit iudicis arbitrio definienda. Prioritas temporis

---

[1] *Ordo reservandus in R. C.* Pars II, c. VII, n. 21.

[2] *Reiffenstuel*, l. c. nn. 202 ss. — At si tertius consentiat videtur rescriptum *valere*, cum canon non dicat «invalidum est» sed «non sustinetur». cf. *D'Annibale*, I, 237, not. 7.

[3] Reg. I. 34 in VI (5, 12).

[4] Reg. I. 54 in VI.

vero computatur *a die datae* sive in rescriptis sine executore, quod palam est, sive in ceteris, cum etiam ista aliquod ius impetranti tribuant et insuper id satis clare in ipso textu innuatur.[1]

3. Denique, si neque ex specialitate neque ex prioritate praelatio deduci potest, quia pari modo et eodem die concessa, nec liquet uter prior impetraverit, *utrumque irritum* est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescriptum dedit est recurrendum (can. 48 § 3). At, excepto hoc casu, concurrentium rescriptorum *neutrum* est per se *invalidum*, sed dumtaxat alterum cedere debet propter alterius concursum, quare utravis pars suo iure non utatur, altera proprio legitime fruitur.[2]

b) Rescripta tantum valent quantum sonant. Quare «intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum,[3] nec debent ad casus praeter expressos extendi» (can. 49). Et hoc quidem si verba sint clara; si ambigua, ita ut *dubium* circa rescribentis voluntatem exoriatur, rescripta *iustitiae stricte* ad normas iuris communis interpretari oportet, rescripta *gratiae*, potissimum quae *praeter ius* sunt, pro regula *late*. At ex his quoque strictam recipiunt interpretationem ea quae *ius tertii* laedunt aut ad assecutionem *beneficii* pertinent aut *legi* in commodum privatorum *adversantur* (can. 50): *illa* quia semper praesumitur nolle principem iuri alieno detrahere, *ista* quia ambitum sapiunt, *haec* quia vulnus legis continent, ideoque omnia odiosa censentur. Verum si gratia non tantum privatim (ut puta dispensatio)[4] sed potius *publice* intersit (ut haud raro privilegia), favorabilis est et ample interpretanda.

80. Executio. *a)* Rescripto pontificio *aut* immediate gratia conceditur oratori *aut* alicui committitur ut eam concedat, in primo casu (forma *gratiosa)* nullus est executor, re-

---

[1] Nam imprimis distinctio can. 38 hic nihil refert, quia in quacumque forma dentur, etiam commissoria, rescripta semper die quo signantur *impetrari* dicuntur; deinde can. 48 § 3 habet «eodem die fuerint *concessa*», quod verbum item a momento, quo valere incipiant, abstrahit. Praeterea habemus veterum doctrinam communiorem, a qua non est ratio recedendi (can. 6 nn. 2 et 3). *Reiffenstuel*, l. c. 89 ss. *Maroto*, I, 286. Sed contra *Scherer*, I, 143, not. 18. At sane fatendum argumentum ab antiquioribus ex c. 12, X. 1, 29 deductum, quasi alterum rescriptum sit subreptitium «quoniam si memores fuissemus, nos pro praedicto N. literas direxisse, pro adversario nullatenus scripsissemus» nihil probare.

[2] cf. *Reiffenstuel*, l. c. nn. 92 ss. Veteres amplissime de concursu agunt, plures quaestiones et casus expendentes, quod ob innumeras difficultates olim in hac materia occurrentes (r. ad lites, r. beneficialia) bene intelligitur. Hodie vix aliqua exorietur.

[3] Eodem modo ac in interpretatione declarativa legum. cf. supra n. 67, c.

[4] cf. can. 85.

scriptum valet a die *datae* (can. 38) et impetrator potest eo uti quin teneatur illud Ordinario praesentare, *nisi* id expresse praecipiatur aut agatur de rebus publicis (titulo honoris, insignibus, privilegio alicuius ecclesiae, indulgentia communiter impertita [1]) aut denique conditiones quasdam comprobare (oratorium privatum esse decenter instructum [2]) oporteat (can. 51). At Ordinarius non exequitur, sed apponit «Visum».

In altero casu (forma *commissoria)* opus est executore, cui rescriptum praesentari debet et valet a momento quo is officio suo fungitur (a die *praesentatae).*[3] Duplici autem modo executor constituitur: plerumque *necessarius,* interdum *voluntarius.* Illi committitur merum executionis ministerium, quare nihil aliud videre potest nisi an preces veritate nitantur et conditiones essentiales forte appositae verificentur.[4] Quod si constiterit, executionem denegare nequit; at si scandalum timeat, quia qui rescriptum impetravit adeo, eius iudicio, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio, debet executionem *suspendere* et statim ea de re certiorem facere rescribentem (can. 54 § 1).

Executori *voluntario,* e contra, preces remittuntur cum facultate petitam gratiam largiendi. Et proinde ab eius prudenti arbitrio et conscientia pendet eamdem concedere vel denegare, habita ratione formae rescripti, causarum superiori expositarum et rei opportunitatis (c. c. § 2).[5]

[1] cf. can. 919 § 1. — Uno verbo *publicae* censentur res, quarum etiam publice seu ordinis publici causa interest.

[2] cf. can. 1195 § 1; *Pius X,* Ordo servandus, Pars II, c. III, n. 4 unde norma totidem verbis est desumpta.

[3] Terminus est classicus et retineri posse videtur, quamvis inter praesentationem et executionem aliquando intervallum decurrat.

[4] Haec inquisitio in foro externo *summarie* tantum et *extraiudicialiter* fit, in foro interno oratori fides habenda est. *D'Annibale,* I, 241. Et pertinet ad illos actus praeparatorios qui subdelegari possunt (can. 57 § 2). Practice ei aequivalet inquisitio quam, in multis dioecesibus, parochi perficere iubentur antequam libellum supplicem ad Ordinarium transmittant. Et si executor *certo* sciat preces veritate niti, non tenetur inquirere. Nisi forte clausula sonet: « si preces veritate niti *repereris* », quam antiqua doctrina communior formam procedendi essentialem inducere tenebat (cf. can. 55), nonnullis contradicentibus. *D'Annibale,* l. c.

[5] cf. *Pius X,* Ordo servandus, Pars II, c. III, nn. 3 et 4. — *Dignoscitur* vero utrum executor necessarius an voluntarius constitutus sit ex verbis rescripti: *necessarius* est si gratiam concedere iubetur, licet addatur pro suo arbitrio et conscientia (ex. gr. « S. C. Ordinario committit, ut, si vera sint exposita, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur », quae est hodierna formula dispensationum matrimonialium); *voluntarius* si preces ei remittuntur « cum facultatibus necessariis et opportunibus ». *Bizzari,* Collectanea in usum Secretariae C. Epp. et Reg. Romae 1885, 612 ss. cf. etiam 112 et 408. *D'Annibale,* I, 222, not. 5; R. 25 nov. 1911 (dec. XXXXII, n. 14).

b) Ut exsecutio *valide* et *legitime* fiat, imprimis necesse est executori litteras prae manibus habere ac earum *authenticitatem* et *integritatem* recognoscere. Nec sufficit notitiam privatam accepisse, eas esse a Curia expeditas: interdum tamen, ubi necessitas urget, ex officio etiam per telegraphum haec notitia transmittitur et tunc tuto ad executionem procedere potest (can. 53). Deinde adamussim servandae sunt *normae mandati*, cuius conditiones essentiales (cf. can. 39) *aut* formam procedendi substantialem[1] qui praeterit *invalide*, alias clausulas praeceptivas qui negligit *illicite* agit (can. 55); atque si negotium forum externum respicit executio (ad liceitatem) *scripto* facienda est (can. 56). Si vero ob executoris *errorem* executio invalida deprehendatur, ipse potest iterum rescriptum exequi (can. 59 § 1).

c) Rescripta pontificia, pro regula, committuntur exequenda *Ordinario*, exceptis beneficialibus pro quibus Dataria sape dignitates vel canonicos executores constituit. Et nisi mandans intenderit praecise aliquam *personalem* qualitatem executoris (vel, uti dicitur, «fuerit electa industria personae», quod non praesumitur, et numquam habetur si per officium, titulum, dignitatem indicatur), executio fieri potest etiam a *substituto* libere electo («nisi substitutio prohibita fuerit aut substituti persona praefinita», can. 57 § 1) et a *successore* (can. 58). Actus praeparatorii semper subdelegari possunt (can. 57 § 2)

d) Tempus executionis quandoque ab ipso rescribente definitur, et tunc intra hunc terminum rescriptum est presentandum; alias et regulariter est perpetuum et exhiberi potest quovis tempore, modo absit fraus et dolus (can. 52).

Olim rescripta *iustitiae*, utpote quae requirunt iurisdictionem, executioni mandari poterant tantummodo a clericis in *dignitate* constitutis, ideoque committebantur *saltem* canonicis ecclesiarum cathedralium (c. 11, in VI. 1, 3). Quod confirmavit Conc. Trid. statuens ut quattuor vel plures iudices synodales, bis qualitatibus praediti et huic muneri apti, eligerentur (sess. XXV, c. 10 de ref.). Rescripta *gratiae* autem in foro *externo* a Praelatis perfecta iurisdictione pollentibus, in foro *interno* a doctoribus theologiae aut iuris canonici vel a confessariis regularibus privilegiatis erant exequenda. Substitutio non admittebatur. *Leo XIII* vero[2] iussit ut rescripta dispensationum matrimonialium committerentur *Ordinario*.

[1] *Substantialis* est forma si limitat forum («in foro interno tantum»), item eiusmodi censetur si praescribit ordinem procedendi a iure communi alienum, vel si expressa clausula id innuit. *Reiffenstuel*, l. c. nn. 147 ss.

[2] S. O. 20 febr. 1888, 23 iun. 1898, 5 sept. 1900, AS XX, 543; XXXI, 120; XXXIII, 225.

abolita distinctione inter episcopum et vicarium generalem, quae hactenus usuvenerat. Deinde, recentiore tempore, fere ad omnia rescripta gratiae haec praxis extensa est. Rescripta *Poenitentiariae* nunc exequi potest quilibet confessarius, quem inter approbatos ab Ordinario poenitens eligere maluerit.

81. Cessatio. Rescripta, nisi expressis verbis ad certum tempus coarctentur, de se illimitatae durationis sunt.[1] Cessant autem:

a) Revocatione *generali,* per legem contrariam. At id locum habet tantummodo cum lex fertur a superiore illius qui rescripsit (a R. Pontifice relate ad rescripta Ordinarii) *aut,* si ab eodem rescribente vel eius successore, cum nominatim de oppositis rescriptis cavet. Secus lex eis *non* officit, prout etiam numquam officit iuribus usu cuiuscumque recripti iam acquisitis (can. 60 § 2 et can. 10).[2]

b) Revocatione *peculiari,* per actum vel rescribentis vel successoris vel superioris. Haec autem effectum suum non exerit antequam parti quae rescriptum obtinuit, significata sit (can. 60 § 1).

c) Resoluto iure concedentis, si rescriptum clausula «ad beneplacitum nostrum» vel alia aequipollenti munitum sit,[3] *aut* si contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam *peculiaribus* personis in eodem *expressis* (i. e. in forma commissoria cum executore voluntario) et *res* adhuc *integra* sit, scilicet in rescriptis iustitiae citatione nondum legitime peracta,[4] in rescriptis gratiae nondum posito saltem primo actu praeparatorio.[5] Omnia *reliqua per vacationem* Sedis Apostolicae vel dioecesis non perimuntur (can. 61).[6]

d) Ex natura rei, impleta *conditione* resolutiva, *morte* impetrantis si gratia est mere personalis, eiusdem *renunciatione* si dumtaxat illius privatum commodum respicit.

---

[1] Nam «decet concessum a Principe beneficium esse mansurum» (R. I. 16 in VI).

[2] R. I. 73 in VI: «Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari».

[3] Non autem si clausula *ad beneplacitum Sedis Apostolicae,* «quia Sedes ipsa non moritur» (c. 5 in VI. 1, 3), vel *donec revocavero,* quia in casu ad revocationem requiritur actus positivus.

[4] «Aut partes sponte in iudicium venerint». — Celebris olim quaestio ac multum inter doctores controversa, nunc per can. 1725 nn. 1 et 3 resoluta.

[5] *Reiffenstuel,* l. c. n. 58; *D'Annibale,* I, 77.

[6] Sunt enim gratiae *factae,* sive ipsi impetranti si rescriptum est in forma gratiosa, sive commissario si iste accipit facultatem aliquam generalem; dum e converso in antecedenti casu habetur delegatio ad gratiam adhuc *faciendam,* et proinde mandati principia applicantur (can. 207 § 1). In errore communi iurisdictio suppletur ab Ecclesia (can. 209).

V. DE PRIVILEGIIS.

82. Notio et divisio. Nomen *privilegii* duplici acceptione in C. sumitur: modo enim indicat *legem singularem* iuris communis, qua alicui officio aut personis rebus locis certi ordinis vel generis exclusive quaedam praerogativae tribuuntur,[1] modo *normam iuridicam* qua *favor praeter* vel *contra ius* conceditur. Illud est privilegium *sensu lato*, hoc sensu *stricto*, quod proinde, si obiective spectetur, definiri solet: *lex privata favorabilis*, cui in privilegiato ius subiectivum respondet, quod omnes observare debent. Et cum detur ad instar legis, proprie ad notionem privilegii pertineret *perpetuitas* (can. 70), tamen nunc pari iure reguntur etiam facultates quae saepe hac qualitate carent[2] (can. 66 § 1).

Privilegia alia *contra* alia *praeter ius* sunt; alia facultatem aliquid agendi *(affirmativa)* alia omittendi *(negativa)* concedunt; merum favorem continent sine incommodo tertii *(favorabilia)* aut huic praeiudicium afferunt *(odiosa)*; ex sola liberalitate superioris dantur aut ex gratitudine ob privilegiarii merita aut ex contractu etiam oneroso *(gratiosa, remuneratoria, conventionalia, onerosa)*; personae adhaerent aut rei *(personalia, realia)*, sunt *Codici inserta* aut *peculiari concessioni* innituntur.[3]

Privilegiis praeter ius accensentur in C. *facultates*, quibus potestas largiendi varias gratias tum in foro externo tum in foro interno alicui conceditur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casuum. Quilibet superior, inter ambitum suae competentiae, eas impertiri potest,[4] at sane maximi momenti sunt quae promanant a S. Sede. Hae, si datae Ordinariis, naturam privilegii *realis* induunt, quia officio magis quam personae adhaerent, ideoque omnes qui, quovis nomine (can. 198 § 1), officium tenent eis uti valent (can. 66 § 2). Praeterea implicite continent alias pote-

[1] Privilegia clericorum can. 118 ss.; religiosorum can. 613 ss.; cardinalium can. 239; canonicorum can. 405, administratoris apostolici can. 314; abbatis regularis can. 625; privilegium exemptionis localis can. 1492; privilegium Paulinum can. 1120 etc.

[2] Quas idcirco antiquiores *quasi-privilegia* vocabant. — At semper requiritur aliqua stabilitas, qua *ordinarie* quis contra vel praeter legem agere possit, et per hoc distinguitur a *dispensatione* quae ad actum transeuntem datur.

[3] Quae ultima divisio *hodie* adaequate respondet distinctioni inter privilegia in sensu lato et in sensu stricto, et dumtaxat retinenda videtur propter can. 71. Ceterum huc non facit.

[4] Revera, in quibusdam dioecesibus, facultates iuris episcopalis conceduntur v. c. decanis (vicariis foraneis).

states, quae et *quatenus* ad earum usum sunt necessariae, ex. gr. absolvendi a censuris eum qui est ab impedimento dispensandus (c. c. § 3).

In fontibus *iuris Romani* privilegium est regulariter *ius singulare* certis personarum ordinibus statutum, dum e contra exceptiones a lege immediate singulis personis physicis vel moralibus concessae *personales constitutiones* aut *privata privilegia* vocantur (fr. 1 § 2, D. 1, 4). Sed canonistae promiscue hoc nomine utrumque institutum iuridicum nuncupare consueverunt et privilegia *communia*, vera lege constituta, ac privilegia *privata*, rescripto vel alio peculiari actu legislatoris indulta,[1] distinxerunt. Modernis vero iuristis et canonistis (Savigny, Schulte, Hinschius, Scherer, D'Annibale)[2] haec confusio non placuit.[3] Qui *his* dumtaxat privilegii nomen convenire, privilegiorum doctrinam applicandam esse contenderunt, *illa* inter leges recensenda. Et si iuridica acribia intendatur, haud immerito, praesertim ubi theoria fontium est exponenda et unus ab altero scientifice secernendus.[4] Tamen C. ab ampliore acceptione veterum etiam in tit. 5 libri I non discedit, licet pleraeque normae ibi receptae ad privilegia sensu stricto referantur.

Facultates (etiam *indulta* dicta) apostolicae iam medio aevo sacerdotibus qui conversioni paganorum et Saracenorum operam dabant concessae leguntur, at praesertim inde a saec. XVI *missionariis* noviter detectas regiones evangelizantibus certis formulis communicatae sunt, quas deinde *Urbanus VIII*, const. *Operosum*, 10 febr. 1637, in novam formam redegit et demum etiam fere omnes *episcopi* extra Italiam receperunt. Formulae *ordinariae* decem (I-X), *extraordinariae* plurimae (maiusculis et minusculis litteris distinctae) habebantur. Discrimen in maiore vel minore amplitudine erat.[5] Hae, ad forum externum pertinentes, usque ad recentiora tempora a C. P. F. impetrabantur, in formula ordinaria pro Europa ad quinquennium *(quinquennales)*, pro longinquioribus terris ad decennium vel vicennium; post reformatam a Pio X Curiam a C. Cons.: publicato C. per decr. C. Cons. 25 apr. 1918 (A. X, 191) in omnibus dioecesibus iuris communis abolitae sunt: nunc novae parantur.

[1] At non desunt exempla privilegiorum huius generis in lege contenta. cf. *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 11 de reg. de exemptione monasterii Cluniacensis.

[2] *Savigny*, System des heutigem röm. R. I (Berlin 1840) 65; *Schulte*, Das kath. Kirchenr. I (Giessen 1860) 141 s.; *Hinschius*, System des kath. Kirchenr. III (Berlin 1883) 805 s.; *Scherer*, I, 165; *D'Annibale*, I, 218 et 227.

[3] Sed forte severius *D'Annibale*, I, 218, not. 3: «Plerique ex Nostris permiscent iura singularia cum privilegiis proprie dictis; haec interdum cum dispensationibus confundunt: et vix credibile est, quanta ex hac confusione exorta sit sententiarum varietas» et 227, not. 1: «Nostri (moralistae) et Canonistae de utrisque promiscue, quod non modicam plerumque confusionem et incertitudinem parit». Multi veterum bene perspexerunt diversitatem *realem*, sed tantummodo *methodicam* distinctionem neglexerunt, quod utique claritati non confert. cf. *Suarez*, l. VIII, c. 24, nn. 2 ss.

[4] Argumenta a *Laurentius*, Anwendbarkeit der Lehre von den Privilegien in kirchl. Recht (AK LXXXI, 278 ss.) opposita non multum probant. At sane fatendum inter privilegium et ius singulare intimam esse relationem et magnam similitudinem. *Arndts*, Lehrbuch der Pandekten[13], Stuttgart 1886, 31; *D'Annibale*, I, 227, not. 1.

[5] *Konings-Putzer*, Commentarium in facultates apostolicas[5], Neo-Eboraci 1898.

Facultates *fori interni* obtinebantur a Poenitentiaria ad triennium *(triennales)*, nuper ad quinquennium: nunc quoque conceduntur in nova formula ab hoc S. Tribunali confecta (AK XCIX, 122).

Ex can. 66 § 1 vis et usus facultatum, quatenus ex appositis clausulis non determinantur, exinde secundum doctrinam *privilegiorum* sunt dimetienda, id quod, sublatis quaestionibus et limitationibus, haud exiguam utilitatem affert.[1]

83. Acquisitio. Privilegium concedere potest omnis legislator, intra fines suae potestatis (can. 63 § 1); at contra vel praeter ius *commune* solus ille qui supremam habet.[2] Quare practici momenti sunt potissimum privilegia pontificia.

Acquiruntur vero:

a) per directam *concessionem.* Quae regulariter scripto fit; si viva voce non suffragatur nisi in foro interno.[3]

b) per *communicationem.* Huius duplex forma: aut *aeque principalis* aut *accessoria.* Utraque efficit ut privilegium uni concessum ad alterum extendatur eadem ratione ac mensura. Ceterum distant: nam in communicatione aeque principali *utrumque* privilegium *independens* est et per se stat vel cadit, prout si directe esset concessum; privilegium accessorium autem *sequitur principale,* ideoque augetur, minuitur, amittitur simul ac istud mutationes aut cessationem patitur (can. 65). Palam est communicationem nonnisi ex positiva superioris voluntate locum habere posse. Olim praesertim regulares mendicantes (et S. J.) inter se omnia privilegia communicabant. Nunc universim statutum est hoc modo ea tantum privilegia acquiri posse quae *directe, perpetuo* et *sine* speciali *relatione* ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario,[4] habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio (can. 64),[5] in specie vero exclusa est in posterum quaelibet privilegiorum communicatio inter religiones (can. 613, § 1).[6]

c) per *consuetudinem* aut *praescriptionem.* Cum legitima consuetudo in communitate perfecta viam legis obtineat, iura

[1] cf. *Laurentius,* l. c. 289 s.

[2] *Maroto,* I, 295: «privilegia concessa a legislatoribus inferioribus debent necessario esse praeter ius commune». Oppositum verum est. *Wernz,* I, 159, not. 25.

[3] can. 79. Vide supra p. 123 not. 3.

[4] Altera et tertia conditio iam iure antiquo *(Reiffenstuel,* V, tit. 33, nn. 60 ss.), non ita prima, unde habebatur etiam communicatio in privilegiis acquisitis per communicationem.

[5] Idcirco v. c. mendicantes non participant privilegiis, quae ab eorum instituto aliena sunt.

[6] De communicatione accessoria inter regulares et moniales eiusdem ordinis, inter religiones et confraternitates, inter archiconfratern. et confratern. vide can. 613 § 2, 713 § 1, 722 § 1.

per eam acquisita potius *aequivalent* privilegio (ratione materiae) quam privilegium in sensu stricto sunt.[1] *Praescribere* autem potest tum communitas tum privatus homo, dummodo certae conditiones a iure requisitae serventur.[2] Practice praescriptio est maioris momenti qua *probatio concessi privilegii,* etiam apostolici, nam si constat de centenaria vel immemorabili possessione, illud iure praesumitur, nullo quoque allato documento (can. 63, § 2).[3]

Verum privilegium non indiget *promulgatione,* sed satis est eiusdem notitia aut intimatio ei qui obsistere vellet; requirit vero regulariter *acceptationem,*[4] nisi forte aliquando magis in publicam quam privilegiarii utilitatem impertitum sit. Ius singulare e contra, utpote lex, indiget promulgatione sed non acceptatione, imo etiam invito dari potest.

Confirmatio in forma communi quae dicitur, et ordinarie datur, non importat nisi innovationem diplomatis vel recognitionem privilegii, cui non plus roboris tribuit quam iam habet, sed extrinsecus tantum aliquam maiorem auctoritatem. E contra confirmatio in *forma specifica* est actus quo quidquid approbatur perinde fit ac si a Pontifice ipso hic et nunc prodiret: aequivalet proinde novae et directae concessioni privilegii.

Haec eadem principia duplicis confirmationis locum habent etiam in legibus, statutis, decretis aliisque actibus iuridicis inferiorum: haec omnia in *forma communi* confirmata suam naturam non mutant neque vim quam non habent obtinent: confirmata in *forma specifica* fiunt *actus pontificii* et horum valorem assequuntur.[5]

---

[1] Veteres complures et moderni canonistae hoc animadvertunt, aliis contradicentibus. cf. *Suarez,* l. VIII, c. 7, n. 5; *Laurentius,* l. c. 284 ss.; *Scherer,* I, 166. Communis vero erat antiquis doctrina in revocatione generali privilegia per consuetudinem acquisita non comprehendi.

[2] Est antiqua communis doctrina, noto illo axiomate expressa: «acquisibilia privilegio sunt acquisibilia consuetudine» ubi vox *consuetudo* tum consuetudinem tum praescripti nem indicabat (*Suarez,* l. VIII, c. 7, nn. 4-5). Quod tamen suas exceptiones patiebatur, praesertim ex defectu *capacitatis* in possidente et ex expressa prohibitione legis (*Reiffenstuel,* I, tit. 4, n. 65 et V, tit. 33, n. 40). *Hodie* quoque statuitur can. 1509 n. 1: «praescriptioni obnoxia non sunt quae obtineri possunt ex *solo* privilegio apostolico» (quae sane multa sunt) et n. 2: «iura spiritualia, quorum laici non sint capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum», unde recte concluditur haec praescribi posse a clericis, et universim hoc modo omnia iura spiritualia et temporalia, quae aut natura rei aut positiva prohibitione non excipiantur, acquisibilia esse videntur. Requiritur autem insuper *bona fides* toto tempore possessionis et *tempus* legitimum: centum annorum contra Sedem Apostolicam, triginta contra aliam personam moralem ecclesiasticam (can. 1511, 1512) et totidem, ex satis recepta hucusque sententia, contra personam physicam. cf. *Ben. XIV,* de syn. l. IX, c. 14, n. 2; l. XIII, c. 8, nn. 17 ss.; R. 1 iul. 1913 (dec. XXXIV, nn. 29 ss.); C. C. 9 iul. 1921 (A. XIII, 554).

[3] Ideo dicitur «melior titulus de toto mundo» et relevat ab onere probandi.

[4] Non quidem ex essentiali necessitate (cf. can. 37), sed quia *de facto* «invito beneficium non datur» (fr. 69, D. 50, 17). Ceterum qui petit acceptare censetur.

[5] *Bened. XIV,* De syn. l. XIII, c. 5, nn. 9-11; *Wernz,* I, 113 ss.

84. Interpretatio et usus. *a)* «Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere» (can. 67). Quare si verba sunt clara, non est adhibenda alia *interpretatio* nisi declarativa.[1] In *dubio* vero, quae *contra legem* in commodum privatorum vel *contra ius tertii* sunt, strictam interpretationem; quae *praeter ius* merum favorem indulgent, latam recipiunt. Ea demum semper esse debet ut privilegium, cui competit, nec inutile fiat nec onerosum[2] (can. 68, cf. can. 50).

b) Secluso iure singulari, quod sua natura ab arbitrio subditorum pendere nequit,[3] vero *privilegio nemo cogitur uti.* Obligatio, si qua interdum exurgat, nonnisi ex causis accidentalibus (caritate etc.) esse potest (can. 69). Si autem uti velit, nemo eum *impedire* valet et contra oppositores ei succurrunt remedia iuris. Casus specialis *concursus* duorum privilegiorum solvitur secundum normas de concursu rescriptorum[4] atque in pari causa melior est conditio eius qui certat de damno vitando quam de lucro captando,[5] et rei possessoris quam actoris.

85. Amissio. Etiam hic imprimis seponenda sunt privilegia quae *ex lege* derivantur, quia haec cessare possunt dumtaxat vi alterius legis vel consuetudinis contrariae (can. 71 et can. 72 § 4). Cetera vero lex non tangit, nisi expresse de illis caveat (can. 60 § 2 et can. 4).[6]

Pro regula «privilegium, nisi aliud constet, censendum est *perpetuum*» (can. 70). Nihilominus pluribus modis amitti potest:

a) per specialem *revocationem,* quae ut efficax sit intimari debet privilegiato (can. 60 § 1). Revocatio exigit iustam *causam,* eamque graviorem si privilegium est remuneratorium

[1] cf. can. 49 et n. 79 b, supra. — R. I. 28 in VI: «Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda»; R. I. 74 eod.: «Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum».

[2] R. I. 61 in VI: «Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum». Unde privilegiato ea quoque tacite concessa intelliguntur, sine quibus privilegio uti nequit.

[3] cf. can. 123.

[4] cf. can. 48 et supra n. 79 a.

[5] cf. R. I. 48 in VI: «Locupletari non debet aliquis, cum alterius iniuria vel iactura».

[6] De clausulis, quibus privilegia auferuntur, vide *Reiffenstuel,* V, tit. 33, nn. 123 ss. Clausula generalis «Non obstantibus quibuscumque privilegiis» non sufficit ad tollenda ea quae specialem mentionem requirunt.

vel conventionale. Imo, supposito vero pacto bilaterali,[1] ad valide agendum necessaria est causa boni *publici* et, si pactum fuit onerosum, *compensatio.*

b) per *renunciationem* a competente superiore acceptatam. Quae acceptatio iam in iure antecedenter adest si agitur de privilegio in merum favorem *privatae* personae constituto (can. 72 § 2), expresse e contra accedere debet si privilegium concessum sit alicui *dignitati* vel *loco*, quia publice interest id conservari et «pacto privatorum iuri *publico* minime derogatur».[2] Eadem ratio prohibet quoque *communitatem* a renunciando privilegio si id cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium; secus, scilicet si privilegium affert commodum communitati tantum,[3] haec sane actu *collegiali* ei renunciare potest, numquam vero singula eius membra (c. c. §§ 3 et 4).

c) resoluto iure concedentis, si datum cum clausula «ad beneplacitum nostrum» vel alia aequipollenti (can. 73).[4]

d) per *mortem* privilegiati, si privilegium est personale (can. 74). Idem analogice de *persona morali:* at notandum hanc non extingui nisi supprimatur a *legitima* auctoritate *aut* per centum annos esse desierit (can. 102). Dum tempus effluxerit privilegia silent, et restituta persona morali reviviscunt. *Facultates* apostolicae, nisi electa fuerit industria personae,[5] transeunt in successorem (can. 66 § 2).

e) per absolutum rei vel loci *interitum.* Reaedificato loco intra quinquaginta annos, privilegia reviviscunt (can. 75)

f) per *non usum* vel *usum contrarium,* si privilegium est aliis onerosum *et* hi contra privilegiatum praescribant aut saltem eius tacita renunciatio praesumi possit.[6] Unde constat non usum vel usum contrarium debere esse a *sciente, libere, occasione* utendi *habita,* per legitimum *tempus* productum. Privilegia vero nemini onerosa hoc modo numquam amittuntur, quia nec tenemur uti privilegio nec ullus est qui praescribere possit (can. 76).[7]

---

[1] De iuribus *essentialibus* Ecclesiae exclusum esse verum pactum, iam vidimus, n. 34 b.

[2] c. 12, X. 2, 2.

[3] A fortiori si, mutatis circumstantiis, *inutile* factum sit.

[4] cf. supra n. 81 c.

[5] cf. supra n. 80 c.

[6] Quod certe excluditur quando lex obstat, ut in iure publico.

[7] cf. R. 29 iul. 1909 (d. XIII, n. 14), 19 iun. 1910 (d. XX, n. 12), 14 iun. 1911 (d. XXV, n. 12), 30 ian. 1913 (d.VII. n. 6).

g) cessante causa finali *in contrarium.* Idest si in privilegio tractum successivum habente nedum desiit omnino causa quae olim ad illud indulgendum movit,[1] sed *insuper* res ita mutatae sunt ut noxium evadat aut eius usus illicitus. Ordo iuridicus exigit ut haec conditio, pro foro externo, a superiore verificetur et declaretur, ac ita quidem statutum est (can. 77), at re vera quamprimum mutatio *certo* obvenerit, si perpetua, privilegium intrinsece corruit; si temporalis, eius usus suspenditur.

h) denique, *elapso tempore* vel expleto numero casuum, si privilegium non est perpetuum.

Ex can. 207 § 2 in usu facultatum *fori interni* si per inadvertentiam ponitur actus iam elapso tempore aut exhausto casuum numero, *validus* est. Haec clausula iamdiu *triennalibus* S. P. apponi consueverat. Quoad facultates autem fori *externi* (quinquennales) vigebat dispositio ut si renovationis litterae retardarentur, durante intervallo prorogatae haberentur (C. P. F. 16 ian. 1797, AS XXIV, 393; Coll. 633).

Abusus in exercitio privilegii non affert ipso iure eius cessationem, at causa esse potest ut revocetur. Ordinarii officium est S. Sedem monere, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur (can. 78).

VI. DE DISPENSATIONIBUS.

86. Notio. Si, lege in suo vigore firma manente, in peculiari casu eius obligatio suspenditur, habetur *dispensatio,* quae idcirco fons est iuris subiectivi. Proxime igitur accedit ad privilegium, nisi quod hoc permanens est illa transiens; differt vero omnino tum a *licentia,* quae datur cum lex aliquid non absolute sed conditionate prohibet et est secundum ius,[2] tum a *dissimulatione,* qua obligatio legis nequaquam tollitur sed tantummodo superior, ad graviora mala vitanda,[3] permittit ut impune violetur. Dissimulatio est verum institutum iuridicum, certis regulis ordinatum, quod in iure canonico suum locum ac non exiguunm habet, et alterum dispensationis, ubi opportunitas postulet, supplet aut complet.[4]

[1] Quod profecto non sufficit. Ex. gr. «In religionibus sunt multa privilegia propter causas et rationes, quae revera per temporum varietatem et morum mutationem cessarunt, et nihilominus non censetur cessasse privilegia». *Suarez,* l. VIII, c. 30, n. 6.

[2] Ius scilicet est alternativum et dat optionem: *aut* legem servare *aut* licentiam impetrare. Ex. gr. legendi libros prohibitos, can. 1402 ss.

[3] Quapropter vocatur a glossatoribus «comparativa permissio».

[4] In antiquis ac recentioribus documentis canonicis frequenter occurrit formula: *dissimules, dissimulare poteris, sub dissimulatione praeterire* vel *transire.* Interdum *lex,* ple-

Dispensatio definitur «legis in casu speciali relaxatio» (can. 80), et est aut *expressa,* si directe conceditur, aut *tacita,*[1] si in alio actu continetur; *unica,* si ad actum transeuntem, *multiplex* («tractum successivum habens» cf. can. 86) si ad plures successivos refertur.

Antiquissima Ecclesia nec multas leges habebat nec existimabat eas omnino esse servandas, etiam si necessitas aut magna utilitas aliud postularet. Inde libertas illa a canonum sanctionibus prudenter discedendi, cuius complura exempla ex historia priorum saeculorum cognoscuntur. Sed hae nondum dispensationes sunt.[2] *Notio specifica* adhuc deest; imo usque ad saec. IX hoc nomine universim quaelibet iuris constituti mutatio, mitigatio, derogatio, ex opportunitate inducta, vocabatur.[3] Demum ex hoc tempore *doctrina* (Ivo Carnut., Gratianus) notionem propius circumscribere incipit et tandem *Glossatores* (Ruffinus) ad definiendam dispensationem tamquam exceptionem in *singulis* casibus perveniunt.

At, in *praxi,* iampridem occurrunt relaxationes legis per auctoritatem superioris subditis concessae, plerumque quidem ut id quod illegitime iam factum est exinde legitime perdurare possit (disp. *post factum*),[4] interdum vero ut quod prohibitum est fieri permittatur (disp. *ad facien-*

---

rumque *factum* antiiuridicum, sive illicitum sive invalidum, dissimulatur. Ratio est impossibilitas aut maxima difficultas urgendi legem, in certis adiunctis, dum tamen dispensatio aut dari nequit aut non convenit (cf. *Greg. XVI,* Instruct. ad ep. austr. 22 maii 1841: «Sedes Apostolica solet mala illa patienter dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem aditum patefacere possunt»). Historice praesertim in iure matrimoniali latissimi usus fuit. Dissimulatio est essentialiter *actus negativus in pati,* qui nihil positivi infert et proinde locum habere potest etiam ubi de re agitur iure naturali vel divino prohibita. Formaliter efficit, ut in foro externo contra legis violatores aut ad actum irritandum numquam procedatur ex officio, quandoque nec ad instantiam. Theoriam dissimulationis fuse exponit *Di Pauli,* Dissimulare poteris in AK XCII (1912) 250 ss. 397 ss. Cum ea saepe confunditur *tolerantia;* et re vera in eo conveniunt, quod utraque est actus negativus et permissivus. At differunt, quia quae dissimulamus ignorare videmur et videri volumus, ea vero quae toleramus nos scire et patienter ferre videri volumus et quandoque publice declaramus. Unde tolerantia non adhibetur si aliquid contra fidem et mores est aut actus evidenter invalidus. Praeterea tolerantia aliquo modo *definitive,* per decretum «tolerari potest» quaestionem solvit, dissimulatio est semper dispositio *provisoria. Nilles,* Tolerari potest. De iuridico valore decreti tolerantiae in *Zeitschrift für k. Th.,* XVII (Innsbruck 1893) 245 ss. — Multi docent dissimulationem semper continere dispensationem (cf. *Scherer,* II, 295 et Zur Geschichte des can. Eherechtes in AK LXV (1891) 373 s.). Quod verum non est: utriusque instituti diversa est ratio et finis. Tamen negari non potest aliquando dissimulationem esse mere formalem et materialiter esse dispensationem *(Innoc. III* in c. 2, Comp. III. 4, 13 «quodammodo dispensando dissimulat et dissimulando dispensat»). Est quaestio facti.

[1] V. c. ab impedimento criminis, can. 1053.

[2] In detegendis ubique dispensationibus excellit *Stiegler,* Dispensation im Kirchenrecht, I (Mainz 1901), 14 ss.

[3] Secundum originariam vocis significationem: *dispensatio* (οἰκονομία) enim est sapiens (Ecclesiae) regimen, administratio. *Stiegler,* 1 ss.

[4] *Syn. Rom.* (313) recipit episcopos a Donatistis ordinatos; *Siricius* (385) concedit exercitium ordinis clericis hispanis illegitime ordinatis (c. 56, d. 50); frequentes sunt huius generis dispensationes matrimoniales: *syn. Agathen.* (506) c. 61; *syn. Epaon.* (517) c. 28; *syn. Aurel. III* (538) c. 11; etc.

dum).[5] Haud raro dispensatio utrumque effectum habet et, si delictum praecessit, cum *absolutione* coniungitur et uno actu cum hac conceditur.

Priscis tribus saeculis, in sua quisque dioecesi, *episcopus* est qui dispensat vel potius iudicio suo perpendit utrum assueta norma traditionis ecclesiasticae, in certis adiunctis, servanda sit, an ab ea deflectendum. Inde a saec. IV verae dispensationes frequentiores fiunt, earumque dispensatores sunt *synodi provinciales,* limitato haud parum in hac re iure episcoporum, qui dumtaxat in disciplina poenitentiali integram retinent potestatem. At iam ab exeunte saec. IV multi pro obtinendis dispensationibus ad *R. Pontifices* recurrunt, et hi sibi vindicant ac exercent *universalem* dispensandi facultatem. Haec absque difficultate admissa est. Non item facultas *exclusiva,* quam sibi in iure communi tribuerunt. Haec nonnisi post longum tempus universim agnita est. *Theoretice* saec. XI controversia finita dici potest; at adhuc post Gratianum, qui iuris pontificii apertissimus assertor est, potestas *cumulativa* episcoporum non excluditur, praesertim cum Magister suorum principiorum conclusiones non deduxerit. *Practice* vero, sive ex necessitate sive ex abusu, diutius adhuc et frequentissime episcopi in legibus universalibus dispensaverunt.[2]

87. Competentia ad dispensandum aut iure proprio aut iure participato, quod tum ordinarium tum delegatum esse potest, habetur. Et cum potestas sit quae pertinet ad legislativam, *primo* modo nonnisi legislator et in legibus suis aut decessoris aut inferioris dispensare valet, *altero* is cui legislator concesserit (can. 80). Unde:

1. R. Pontifex in *omnibus* legibus mere ecclesiasticis, nulla excepta. In iure divino, naturali vel positivo, dispensare nequit, attamen constans canonica traditio ei tribuit facultatem solvendi certa vincula quae consensu voluntatis humanae contrahuntur, quamvis deinde ex iure naturae essent servanda.[3]

---

[1] Prima exempla afferi solent ex saec. VIII, praesertim dispensationes a lege residentiae, quas Carolus M. obtinuit (794) pro episcopis Angilramno Metensi et Hildeboldo Coloniensi. At *Stiegler,* 40 ss. antiquiora allegat, quae si non omnia saltem plura probant receptam hucusque opinionem erroneam esse. cf. *Gelasius* ad ep. Lucaniae (494) in c. 9, d. 77; *Pelagius* (558-560) in c. 7, d. 34. Facultas a Greg. M. Anglis concessa contrahendi ultra IV gradum, si authentica est, et eadem, certe authentica, a Greg. II Germanis tributa (726) sed statim a Greg. III (732) revocata (c. 2 § 5, C. 35, q. 5 et c. 16, C. 35, q. 2-3) pertinent potius ad privilegia vel ad ius singulare. Doctrina distinctionem inter disp. post et ante factum animadvertit demum saec. XI (Ivo Carnut.) Et *ius matrim.* quod attinet, omnes dispensationes ante hoc tempus sunt post factum.

[2] cf. *Stiegler,* 85 ss., 102 ss., 312 ss., 367 ss.

[3] Votum (can. 1313), iusiurandum (can. 1320), matrimonium ratum (can. 1119). Communiter res ita explicatur, ut R. Pontifex, potestate *vicaria,* remittat vel irritet vinculum humanum, quo facto cessat obligatio legis naturalis. Non est igitur dispensatio in sensu proprio. *Suarez,* l. II, c. 14, nn. 4 ss. Alii docent in iis concessam esse Ecclesiae veram potestatem dispensandi. cf. *Ballerini-Palmieri,* I, 406 ss. Practice idem est.

2. Ordinarii dispensare possunt in legibus *suis* vel praedecessorum; in legibus *generalibus* si facultas eis vel a iure[1] vel ab homine (R. Pontifice) concessa est; itemque, sub eadem conditione dumtaxat, in legibus peculiaribus sui territorii a R. Pontifice latis.[2] Ordinarii *locorum* insuper, in casibus particularibus et iusta de causa, in legibus *concilii* provincialis et plenarii (can. 81, 82, 291 § 2).

Ceterum Ordinarii *per se* nulla prorsus praediti sunt potestate in iure communi, ne in casu quidem particulari, dispensandi. Excipe tamen *casus extraordinarios.* Huiusmodi habetur si haec duo concurrunt: *a)* periculum gravis damni in mora, *b)* difficilis recursus ad S. Sedem. *Damnum* qualecumque, morale vel physicum vel patrimoniale, publicum vel privatum, grave sed non maximum, certum vel saltem valde probabile. *Difficilis* recursus, nimirum si tempore utili dispensatio *litteris*[3] a S. Sede obtineri nequit. His positis, Ordinarius *quamlibet* dispensationem impertiri valet, quam Sedes Apostolica concedere solet (can. 81). Neque haec potestas, quae est favorabilis ideoque *latae* interpretationis (arg. ex can. 85 et can. 200 § 1) sublata censenda est, si necessitas superveniat cum iam a S. Sede dispensatio petita est, at nondum impetrata; sed in casu monendus erit deinde superior de gratia concessa (can. 204 §§ 1 et 2).

3. *Parochi* nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit (can. 83), ut puta in observantia festorum, abstinentiae et ieiunii, intra terminos can. 1245 § 1. Imo in quibusdam casibus urgentibus, nedum parochus sed etiam *confessarius* et simplex *sacerdos* a iure habet dispensandi facultatem.[4]

Cum dispensatio sit actus iurisdictionis, regula est ut nonnisi *subditis*[5] dari possit. Tamen Ordinarii locorum semper *vagos* interdum etiam *peregrinos* dispensare va-

---

[1] can. 15 (in dubio facti), can. 978 (in interstitiis), can. 990 § 1 (in irregul.), can. 1028 § 1 (a public.), can. 1043 et 1045 (ab impedim. matrim.), can. 1245 (in oblig. fest. et abstin. ac ieiun.), can. 1313 et 1320 (in votis et iuram.), can. 2237 (in poenis). Implicite cf. can. 66 § 3.

[2] Ideo non amplius sustinetur opinio hucusque recepta (*S. Alphons.* Theol. mor. I, 190, ed. *Gaudé*, I, Romae 1905, 170) episcopum posse in huiusmodi legibus iure suo dispensare.

[3] Nemo tenetur ad S. Sedem per *telegraphum* recurrere. Litt. Secr. Status, 10 dec. 1891; S. O. 14 aug. 1892 (AS XIX, 642).

[4] can. 1044, 1045 § 3, 990 § 2, 2252-2254, 2290.

[5] Nisi sint religiosi, ratione domicilii vel quasi-domicilii, can. 91, 94 § 1. Quoad vagos can. 94 § 2.

lent.[1] In propria lege nemo *se ipsum* dispensat.[2] in lege superioris potest qui facultatem habeat extra forum sacramentale exercendam.

Hucusque, praesertim moralistae, plures casus recensebant in quibus *episcopus* posset in legibus pontificiis vel iure communi, dispensare.[3] Doctrina nunc redigenda est ad normas novi iuris. Non amplius igitur licet in negotiis „quae frequenter occurrunt" aut in rebus „levioris momenti"; e converso confirmata est potestas in casibus urgentioribus et difficilis recursus, hactenus satis controversa.[4] Principium generale in can. 81 statutum quasdam particulares applicationes in ipso C. obtinet, sed ad has non est limitandum et in praxi administrationis dioecesanae magnae saepe erit utilitatis.[5]

88. Causa. Interpretatio. Cessatio. *a)* Dispensatio exigit iustam ac legi adaequatam *causam.* Hac seclusa, in lege sua quisque *illicite* sed *valide,* in lege superioris *nec licite nec valide* dispensat (can. 84 § 1). At in *dubio* sufficientis causae, dispensatio *et* licite petitur *et* licite ac valide conceditur (c. c. § 2), quia publice interest haec scrupulis non implicari. Et si postea sufficientem non fuisse constiterit, non ideo dispensatio invalidatur. Qui vero petit ingenue veritatem aperire tenetur; si *obreptio* vel *subreptio* intervenerit res erit secundum normas rescriptorum aestimanda.[6] Universim autem illud retinendum: dispensatione legem relaxari, non tantum declarari; ideo *minor causa* sufficit quam ea quae ab obligatione eximeret, et etiam *extrinseca.*

b) Facultas dispensandi, generaliter concessa, est gratia facta quae accedit privilegio ac proinde *latam,* quamvis non ultra proprietatem verborum, interpretationem recipit (can. 50, 66 § 1, 68). Ipsa *dispensatio* e contra est vulnus legis, ideoque

---

[1] can. 1245, 1313, 1320, conceditur *expresse* haec facultas pro peregrinis; in can. 990 requiritur *expresse* ut sint subditi, in can. 1043 et 1045 actu commorantes, in can. 2237 nihil dicitur, sed peregrini videntur exclusi. Principium *generale* in favorem peregrinorum non habet fundamentum in iure.

[2] *Iuridice* loquimur: nam ab ea legislator exemptus est (v. supra n. 65). Nec contradicit doctrina communis quae affirmat (*Suarez,* l. VI, c. 12, n. 7) quia intelligenda est de obligatione ex vi legis *directiva,* quae ad forum *internum* spectat. In hoc sane dispensatio utilis esse potest. Quod innuit ipse *Suarez* l. c. dicens de R. Pont. «*quatenus* eis ipse ligatur» de episcopis «*quatenus* eis obligantur».

[3] cf. *Ballerini-Palmieri,* I, 403.

[4] Multi enim eam coarctabant ad casus *occultos,* imprimis si agebatur de impedimentis matrimonialibus. *Gennari,* Consult. morali, II, 293 ss. ubi etiam antiquiores decisiones Romanae.

[5] cf. *Chelodi,* Ius matrim.[3] n. 41, 3.

[6] can. 42 ss. Vide supra n. 78.

stricte interpretanda, item, cum in idem recidat, facultas dispensandi ad certum casum data (can. 85). Utraque tamen numquam sic coarctanda ut inutilis fiat aut onerosa.

c) Cessare potest dispensatio quae tractum successivum habet (nam secus inutilis quaestio): 1. Iisdem modis quibus privilegium.[1] At in revocatione attendendum est a quo fiat: nam *legislator* ipse potest etiam sine iusta causa iterum ligare quamvis non deceat, *inferior* sine iusta causa non potest, utpote quod ei concessum non censetur, *delegatus* ad casum particularem ne ex iusta causa quidem, quia munere functus omnem iurisdictionem amisit. 2. *Certa* ac *totali* cessatione causae motivae, At si vinculum legis unicum est, eo sublato, dispensatio perpetua fit, nec aufertur etiamsi causa ante usum cessaverit (can. 86).[2]

Non abs re videtur heic addere quod scite animadvertit *D'Annibale* (I, 244), moris et praxis Curiae apprime expertus; «S. Sedes nonumquam concedit *ad cautelam* privilegia et dispensationes, licet id in litteris non exprimatur: nempe quia multa dantur ad pacandas conscientias et scrupulos et ad dubia ex variis opinionibus orta removenda. Et si quandoque prorsus *inutilia* videntur, sciendum est ea plerumque dari *ad importunitatem* petentium. Non recte igitur plerique (ex moralistis et canonistis) ex quibuscumque privilegiis, dispensationibus, indultis, quasi ex quibusdam exceptionibus, legem in contrarium confirmari putant».

APPENDIX
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE.

89. Tempus in iure magni momenti est, quia multipliciter influere potest in ortum, durationem, cessationem iurium et obligationum, atque saepe elementum constituit in actibus et negotiis iuridicis. Unde necessitas normarum secundum quas computetur. Quae in C. continentur[3] non respiciunt res *liturgicas*, quae suis legibus reguntur, nec *contractus*, in quibus servanda sunt pacta conventa vel praescripta civilia (can. 33 § 2),[4] in reliquis omnibus autem locum habent, nisi aliud expresse caveatur (can. 31).[5]

---

[1] Vide supra n. 85. Per *non usum* non cessat, quia dispensatio est facultativa.

[2] cf. can. 41. Ut puta dispensatus ab ieiunio propter infirmam valetudinem si convaluerit ieiunare tenetur, dispensatus a voto huius obligatione non tenetur.

[3] Proprio titulo (III) insertae sunt inter consuetudinem et rescripta. Cur hoc loco, nos latet. Alii alia dicunt; non suadent (v. *Toso*, 90; *Maroto*, I, 271). Codices civiles plerique specialem titulum non habent; CG eum ponit ubi de negotiis iuridicis agitur. Eodem loco etiam in tractatibus scriptorum.

[4] can. 1529. Et in *praescriptione* vi can. 1508.

[5] Circa indulgentias vide can. 923 et can. 931. — Utrum in iis computatio fieri possit ad normam can. 33 § 1 est iam controversia. *Maroto*, I, 255 (negative) *Vermeersch* 94 (affirmative). Cuius sententiae obstat praesertim enumeratio can. 33 § 1 quae videtur esse *taxativa*.

a) Tempus dividitur in annos, menses, hebdomadas, dies. Certa quadam regula hae partes in *calendario,* quo utimur, incipiunt et finiuntur: *annus, mensis, dies civilis.* Dies constat 24 horis et supputatur a media ad mediam noctem,[1] hebdomada 7 diebus (can. 32 § 1); menses inaequalis durationis sunt, quartus quique annus uno die reliquis longior.[2] Cum autem vix umquam eveniat ut factum iuridicum cum initio alicuius divisionis calendarii coincidat, in iure spatia temporis consideranda sunt quaé terminum *a quo* et *ad quem* mobilem habeant: *annus, mensis, dies mobilis.* In hac acceptione, quandocumque incipiat, annus est spatium 365 dierum, mensis 30, et regula est ut *in iure* semper ita supputentur, nisi dicantur sumendi prout sunt in calendario (c. c. § 2).

Iterum computatio duplex distinguitur: *naturalis* si de momento ad momentum, *civilis* si dies indivisus consideratur et de die in diem statutum tempus metitur. Quando autem naturaliter quando civiliter supputandum sit, utrum primus dies comprehendendus an omittendus, utrum postremus expletus an tantum incoeptus esse debeat, a variis dispositionibus legis pendet.

b) Itaque: 1. In *supputandis horis diei* standum est communi loci usui. At si agitur de actu privato,[3] quisque liber est sequendi sive tempus verum sive tempus medium aut legale quodcumque (can. 33 § 1).

2. Si mensis vel annus designatur *in individuo*, sumendus est prout in calendario (can. 34 § 1).[4]

3. Si *terminus a quo in arbitrio agentis* est, tempus supputatur *naturaliter,* et quidem si continuum *ad calendarium,* si intermissum *iuridice* (c. c. § 2).[5]

4. Si *terminus a quo* explicite vel implicite est *assignatus,* computatio fit *civiliter* et *ad calendarium,*[6] et quidem: α) si terminus a quo *coincidit* cum initio diei, in numeratione *primus* dies comprehenditur, si *non*

---

[1] Unde nihil novi in can. 1246: «Supputatio diei festi, itemque diei abstinentiae et ieiunii facienda est a media nocte ad mediam noctem», sed forte positus quia agitur de re *liturgica* (cf. can. 31).

[2] Exceptiones notae sunt.

[3] Privata missae celebratio (cf. can. 821 § 1), privata horarum recitatio (cf. can. 135), Eucharistiae sumptio (cf. can. 858 § 1 et 867 § 4), ieiunium et abstinentia (cf. can. 1250 § 1). — Recte animadvertit *Vermeersch* 94 (contra *Maroto,* I, 258) fas esse in uno actu tempus medium in altero verum attendere. Non enim agitur de eligenda opinione probabili, sed de fruenda libertate a legislatore concessa.

[4] Suspensus toto *mense februario 1922* (28 dies), toto *mense februario 1924* (29 dies), toto *mense martio* (31 dies), *per mensem* simpliciter (30 dies).

[5] Damnatus ad exercitia spiritualia per hebdomadam continuam peragenda, quin iudex determinet quo die incipienda sint, si meridie ea suscipit, meridie post septimam noctem ea absolvit. — Canonicus qui habet tres menses vacationum (can. 418 § 1) si in villam discedit die 1 iulii et sine interruptione rusticatur, die 1 octobris, eadem hora qua abiit, redire tenetur et fruitus est 92 diebus; si per annum variis temporibus absens fuit, summa omnium dierum et horarum 90 dies superare nequit.

[6] Ita C., at comma 1 cum sequentibus huius § non videtur semper componi posse. Etenim ex. gr. *mensis* a die 30 aprilis secundum calendarium esset 31 maii, secundum comm. 2-3 est 30 incoeptus vel completus. Tota ista § translata est fere ad verbum ex CG §§ 187, 188, at ibi profecto deest dispositio respondens n. 1.

coincidit non comprehenditur;[1] β) si agitur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, *primus* dies *non* computatur, sed novus actus per integrum eumdem diem poni potest (c. c. § 3).[2]

Utcumque autem computetur tempus, si ad formam actus pertinet, *in unguem* computandum est, quare utrum vel momentum desit aut praeterierit attenditur. Hora praeteriisse intelligitur cum primus publici horologii ictus sequentem denunciat. Nec amplius admittitur, tamquam regula, in favorabilibus diem coeptum pro completo haberi.

c) Tempus natura sua *continuum* est, nimirum iugiter currit etiam ignoranti aut agere non valenti. Ita quoque in iure *ordinarie* accipitur. Sed interdum aequitas postulat ut impedimenti, quod quis in exercendo aut prosequendo suo iure, cui terminus statutus est, patitur, ratio habeatur, et ii tantum dies computentur quibus agere potest. Tunc competere dicitur *tempus utile* (annus utilis, centum dies utiles etc.), quod tamen expresse vel aequivalenter ex lege apparere debet (can. 35).[3]

---

[1] Practice igitur ultimus dies est, in *primo* casu, antecedens diem eiusdem numeri (15 ian. — 14 febr.), in altero, dies eiusdem numeri (15 iam. — 14 febr.). Quod si mensis in quem cadit terminus *ad quem* die eiusdem numeri caret, penultimo (in I casu) vel ultimo (in II) die, quem habet, tempus finitur (30 ian. — 27 vel 28 febr.). cf. notam praec.

[2] Est applicatio normae praecedentis, cum speciali concessione ut dies *incoeptus* habeatur *pro completo*.

[3] Alio sensu vocatur *continuum* tempus quod *de facto* non est interruptum (cf. can. 34 § 2). *Utile* sensu proprio (Romano) non est tempus quod moderni dicunt «utile ratione initii, continuum ratione cursus», cf. can. 432 §§ 1 et 2 ac, e converso, can. 161.

DE PERSONIS

CAPUT I.

DE PERSONIS IN GENERE

90. Persona, si iuridice loquimur, est *subiectum capax iurium:* is cui haec capacitas a legibus agnoscitur habere dicitur *personalitatem* iuridicam. Iamvero iura essentialia personae humanae omnibus hominibus, lege naturae, pertinent;[1] iura civilia hodie pari modo omnibus, civibus et exteris, tribuuntur.[2] Sed hic de iure *Ecclesiae* agimus, quae societas est peculiari natura et fine praedita, peculiaribus legibus ordinata. Unde *persona* nobis est quae iurium ecclesiasticorum participat; tractatus de personis est tractatus in quo proponitur *quaenam* in Ecclesia *subiecta* iuris sint, quaenam iura singulis competant. Ed cum id a constitutione societatis determinetur, aeque bene inscribi posset, ut alii revera facere consueverunt, tractatus *iuris constitutionalis.*

Personarum autem duplex est genus: aliae verae seu naturales seu *physicae,* aliae ficticiae seu *morales* aut *iuridicae;* de utrisque agendum.

I. PERSONA PHYSICA.

91. Personalitas iuridica in Ecclesia obtinetur, a singulis, per *baptismum,* quo homo civis christianus fit, cum omnibus christianorum iuribus et officiis (can. 87). Et *officiis* quidem numquam liberatur, quia semper subditus manet, *iuribus* vero privatur si ab ecclesiastica communione seiungitur (haereticus, schismaticus, excommunicatus) vel in poenam ab aliquibus

[1] Quam magnam partem doctrina christiana et Ecclesia habuerint in promovenda evolutione, qua multi homines qui ut *obiecta* iuris considerabantur ad gradum *subiectorum* evecti sunt, historia testatur. cf. *Devoti,* Inst. l. I, tit. I, n. 1; *Allard,* Gli schiavi cristiani, trad. Radaeli, Firenze 1916, 481 ss.; *Eiusdem,* Esclavage in *Dict. apolog.* I, 1457 ss.; *Eiusdem,* Une interprétation materialiste de l'histoire in *Revue pratique d'apolog.* XIII (1911) contra explicationem oeconomicam ab E. Ciccoti aliisque nuper propositam — De personis in iure Romano vide *Vidal,* Institutiones iur. civ. Rom. Prati 1917, nn. 44 ss.

[2] cf. Cl a. 3; CGa aa. 11 ss.; CG Einführungsg. aa. 7 ss.; CA § 33. Sed iura politica solis civibus reservantur, et ideo ii tantum habent *personalitatem politicam.*

eorum, per censuram, interdicitur. Quo in casu, salva personalitate quatenus est radicalis capacitas iurium, deficit *facultas agendi* donec, remoto obice, restituatur.

Personarum quaedam sunt *qualitates* et adiuncta quae iuridicum momentum habent: aetas, mens, sexus, sedes, necessitudo, ritus.

a) Ratione *aetatis* duplex est distinctio: in maiores et minores, in puberes et impuberes. *Maior* est qui vicesimum primum annum explevit, *minor* qui nondum explevit; is si masculus a decimo quarto anno completo *pubes* censetur, si femina a decimo secundo. Infra hanc aetatem, etsi naturaliter generationi idonei,[1] iure uti *impuberes* habentur et vocantur; infra plenum septennium *infantes* vel pueri vel parvuli (can. 88). Varii aetatis gradus influxum exercent in iuridicam capacitatem personarum: *infans* non sui compos censetur, ideoque nec obligationibus est obnoxius (can. 12), nec ius exercere potest, nec actum ullum validum ponere;[2] *impubes* expleto septennio usum rationis habere praesumitur, unde legibus tenetur et limitata agendi capacitate fruitur, at propter immaturitatem iudicii a gravioribus negotiis arcetur[3] et quamvis imputabilitate poenali non careat, a poenis latae sententiae est immunis ac ordinarie a poenis quoque sententiae ferendae;[4] *minor*, etiam post pubertatem, in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum subiectus manet,[5] iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet, quod iure nostro semper implicite statutum intelligitur ubi de iuribus mere spiritualibus agitur;[6] praeterea minor tum legibus processualibus tum poenalibus speciali ratione defenditur, ipsi vero deminuta imputabilitas in delictis agnoscitur.[7] *Maior* denique plenum habet suorum iurium exercitium (can. 89).

[1] *Naturalis* pubertas enim diversissimo tempore, pro locorum et personarum varietate, obtinetur. Vide *Chelodi*, Ius matrim. n. 68.

[2] Iuridicum. In actibus spiritualibus autem ad rei veritatem attenditur, nimirum utrum ratione polleant, cf. can. 854 § 2, 906, 940, 941.

[3] can. 167 § 1 n. 2 (suffragium ferre), can. 1224 n. 1 (sepulturam eligere), can. 1757 § 1 (testis esse), can. 1648 § 3 (in causis, etiam spiritualibus, agere vel respondere).

[4] can. 2204 et can. 2230.

[5] can. 1034 (consensus parentum ad matrim.), can. 1456 (ius patronatus exercetur per parentes vel tutores), can. 1648 § 1 (pro eo agunt et respondent parentes vel tutor).

[6] cf. can. 1648 § 3 (in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis minor ipse agere et respondere potest). Unde practice in iure canonico minores puberes haud multo a maioribus distant.

[7] can. 1655 § 2 (defensor ex officio); can. 1687 § 1 (restitutio in integrum); can. 1737 (regressus in tutores); can. 2353, 2357 § 1, 2358, 2359 § 2; can. 2204, 2218 § 2, 2230.

b) «Infanti aequiparantur quotquot *usu rationis* sunt habitu destituti» (can. 88 § 3). Huius generis sunt imprimis *amentes,* qui in omnibus insaniunt, et *dementes* qui monomania aliqua laborant: hi saltem quoad ea in quibus delirant, sed etiam in reliquis num plene sui compotes sint, quamvis recte ratiocinari videantur, valde esse dubium multi moderni medici docent. *Lucida intervalla* in amentibus nec praesumuntur nec facile sunt admittenda, eo magis cum probari vix queant. Deinde *idiotae,* quorum intellectus veluti mortuus est. Reliqui vero, in quibus plus minusve evolutus cernitur, *imbecilles, surdi* et *muti* et *coeci* simul, *surdi et muti* tantum, singuli in quolibet casu iudicandi sunt, pro gradu usus rationis quo pollent et educationis quam assecuti sunt. Regulas generales statuere nec convenit nec iuvat; in dubio decernere pertinet ad *artis peritos.*[1]

c) Sexus iuridice refert, quia *mulieres* ex una parte multorum iurium ecclesiasticorum expertes sunt,[2] ex altera vero, praecipue in poenalibus, favorem legis obtinent.[3]

Divisio aetatis in quattuor periodos derivatur a *iure Romano*, in quo tamen nonnisi 25 annos nati maiores erant. Sed fere omnes moderni codices (CI a. 323, CGa a. 388, CG § 2) in hac re cum nostro conveniunt. Olim impuberes diducebantur in *infantiae proximos* et *proximos pubertati,* distinctio incerta et controversa, quae, utpote nullius practici momenti, merito nunc praetermissa est. *Senectus* nec a certa aetate incipit nec proprie iuridica qualitas est, tamen in quibusdam rebus eius ratio habetur (can. 1254 § 1, 2218 § 1).

92. Sedes iuridica. Multiplex esse potest, cum omnes locum originis, plerique domicilium aut quasi-domicilium aut utrumque habeant, aliqui sedem sortiantur ubi actu inveniuntur.

a) Locus originis ille est in quo *iuridice* nati sumus; quod de facto sed fortuito alibi, rem non mutat. Quare filius *legitimus,* qui patre sospite natus est, locum originis habet ubi pater domicilium aut, hoc deficiente, quasi-domicilium fovebat; filius *legitimus postumus* ubi mater; item *illegitimus;* filius *vagorum* ubi revera in lucem editus; *expositus* ubi in-

---

[1] De his hominibus quaestiones exurgunt praesertim cum agitur de contractibus ab ipsis ineundis vel initis (matrimonio) et de delictis ac poenis. Ius poenale eorum conditionis amplissime rationem habet (can. 2201). cf. *Chelodi,* Ius matrim.[3] n. 109; Ius poenale, n. 6.

[2] cf. can. 968 § 1 et omnes qui hunc consequuntur. Excluduntur a tota hierarchia ordinis et iurisdictionis.

[3] can. 2218 § 1, 2353.

ventus (can. 90). Locus nativitatis spiritualis (baptismi), etiam si adultus baptizetur, non amplius pro originario accipitur,[1] nisi forte in casu quo verus prorsus ignoretur. Origo *civem* facit,[2] eaque attenditur praecipue cum ex lege, statuto vel fundatione quaedam iura sunt reservata originariis vel «naturalibus» certi loci.[3] Insuper in dubio, ubinam quis domicilium habeat, praesumitur habere in loco originis (domicilium originis).[4] Ceterum in moderno iure communi semel tantum eius mentio occurrit.[5]

b) Domicilium est locus ubi quis commoratur cum animo ibi *perpetuo* manendi, si nihil inde avocet. Ut acquiratur *duo* igitur *copulative* requiruntur: *factum* et *intentio*, quamprimum utrumque concurrit, domicilium habetur.[6] Commorari aestimatur qui larem ac domum, sive propriam sive conductam, more aliorum civium, quotannis per notabile tempus colit; unde si aequaliter in duobus locis sit instructus et moras distribuat, duo domicilia habere potest.[7] Non autem sufficit mera residentia, etiam longior, aut aedium, praediorum, officinae possessio, aut inter municipes secundum leges civiles adscriptio. Ad factum accedere oportet voluntas non discedendi.[8] Quae, cum in animo lateat, ex adiunctis est colligenda; at si habitatio iam ad *decennium* completum protracta fuerit, ius eam praesumit, praesumptione iuris et de iure, ita ut nec positiva probatio exigatur nec contraria admittatur (can. 92 § 1).[9]

---

[1] Aliter hactenus, ex *Pauli III* const. *Cupientes*, 31 mart. 1542 *(Oietti*, Synopsis, II, s. v. *Origo)*.

[2] l. 7, C. 10, 40: «Cives quidem origo manumissio adlectio adoptio, incolas vero domicilium facit».

[3] C. C. 25 maii 1895 (AS XXVIII, 224 ss), cf. ME XXVIII (1916) 460 s. — At saepe *domicilium* patris non sufficit ut quis originarius habeatur, sed exigitur ut etiam pater aut forte avus fuerit originarius.

[4] fr. 11, D. 1, 9; l. 3, C. 10, 39. cf. *D'Annibale*, I, 83, not. 13.

[5] Ad qualificandum domicilium, relate ad ordinationem (can. 956).

[6] S. O. 7 iun. 1867 (Coll. 1305).

[7] Sententia communis, innixa fr. 6 § 2, D. 50, 1; fr. 27 § 2 eod; c. 2 in VI. 3, 12. *Lega*, De Iudiciis[2], Romae 1905, I, 310. Imo fr. 5, D. eod. *plura* domicilia quis habere posse admittit. Quod etiam iure nostro non videtur exclusum (cf. *Laurin*, Wesen u. Bedeutung des Domicils in AK XXVI, 179, n. 4 et 191 s.; *Gasparri*, De matrim.[3] Parisiis 1904, II, 1091). Cum enim ad fovendum domicilium satis sit commoratio trium vel quattuor mensium quotannis, si quis revera haberet tres vel quattuor domus instructas et alternative eas habitaret, in singulis locis domicilium retinere dicendus esset (cf. R. 15 maii 1911, d. XVIII, n. 4).

[8] Non quidem absolute, sed nisi necessitas aut occasio aliud suadeat. Nam conditio «si nihil avocet», utpote resolutiva, praesentem voluntatem non mutat. *D'Annibale*, I, 83, not. 12.

[9] Reliquae circumstantiae sunt *praesumptiones iuris* tantum et pertinent ad probationem non ad constitutionem domicilii. Ut puta: domum emere, bona sua omnia vel eorum

Locus in quo ordinarie et regulariter domicilium canonicum acquiritur est paroecia vel quasi-paroecia, ideoque domicilium proprie dictum est *paroeciale* (c. c. § 3). Tamen, veluti quodammodo subsidiarie, novum ius agnoscit etiam domicilium *dioecesanum*, quod quis sibi comparat animo perpetuo commorandi in diocesi, vicariatu vel praefectura apostolica, etsi intra eiusdem fines modo hic modo illic habitet; aut per decennalem in eadem commorationem.

Et hoc quidem domicilium *voluntarium* dicitur, quia a persona sui iuris libere eligitur. Est vero aliud, *necessarium*, quod a lege datur: *uxori* non legitime separatae domicilium viri, *amenti* curatoris, *minori* parentum vel tutoris. Hi omnes, quousque sub aliena potestate sunt, alterum domicilium proprium sibi obtinere nequeunt, at profecto uxor legitime separata (can. 93).[1]

c) Quasi-domicilium acquiritur commoratione in loco cum animo ibi manendi saltem per *maiorem anni partem* (can. 92 § 2). Duplex elementum analogice ac in domicilio adesse debet, quod si habeatur statim quasi-domicilium suos effectus producit. Intentio ex fine, negotio, adiunctis praesumitur;[2] post mensem iure;[3] at si mora *ultra semestre* sit protracta, de illa amplius non quaeritur.[4] Domicilium et quasi-domicilium aliquem *simul* fovere posse palam est, non autem facile duo quasi-domicilia, quamvis id prorsus contradictorium non sit.[5] Uxor, minor, amens sequuntur etiam quasi-domicilium eorum

magnam partem transferre, per complures annos morari, certum munus vel negotium suscipere etc. *Wernz*, IV, p. 260. Magni facienda est etiam ipsius commorantis *contestatio*, quamvis sola vim plene probandi non habeat. R. 28 aug. 1911 (d. XXXIX, n. 14).

[1] Domicilium (vel quasi-domicilium) *necessarium* sortiuntur etiam *religiosi professi* in domo cui assignati sunt; *novitii* iure laicorum utuntur. *Laurin*, 167.

[2] Ut ecce in eo, qui operam suam ad annum locat, qui studiorum causa in urbem venit, qui hospitale ingreditur ad diuturnam curationem subeundam etc.

[3] *Ben. XIV*, const. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758; S. O. 7 iun. 1867. Quae praesumptio cedit veritati. Sententia communis. cf. R. 5 maii 1914 (A. VI, 354).

[4] Sed qui praeter intentionem alicubi ultra semestre mansit censendusne est ibi habuisse toto hoc tempore quasi-domicilium? Et attenta tum latinitate can. tum praesertim eius origine (cf. *Oietti*, In ius pianum, 35) videtur negandum.

[5] Hoc communiter docent (*Wernz*, IV, 139 not. 29; *D'Annibale*, I, 84 not. 23; *Lega*, I, 338 etc.) et prima fronte planum esse videtur: requirit enim q.-d. commorationem per maiorem anni partem. Sed idem *Lega* (R. 7 dec. 1912, d. XXXIX, n. 8), se ipsum corrigens, dicit «sententiam duo quasi-domiciliam admittentem esse vere probabilem et gravem». Exemplo sit homo qui ad opus 4-6 annorum aliquo se confert, sed deinde ultra sex menses alio, propter supervenientem causam, ut puta ad curandam valetudinem, divertit, sed in priorem locum reversurus. cf. *Laurin*, 205.

sub quorum potestate sunt;[1] sed *illa* et *iste*, dum domicilium vel quasi-domicilium necessarium retinent, comparare sibi valent quasi-domicilium voluntarium (can. 93 § 2). Praeter quasi-domicilium *paroeciale* datur quoque *dioecesanum* (can. 92 § 3).

d) Qui domicilium habet, in eo loco *incola* dicitur, qui quasi-domicilium *advena*, uterque quando sede retenta extra obiter versatur *peregrinus;* qui autem nullibi domicilium vel quasi-domicilium fovet est *vagus* (can. 91). Sedes iuridica *subditum* facit. Quocirca sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur (can. 94 § 1) et qui plures simul sedes habet plures etiam habet proprios pastores. Qui dioecesanum dumtaxat domicilium vel quasi-domicilium obtinent subsunt imprimis Ordinario, cum autem opus sit ut etiam parochum habeant, ius statuit ut is proprius eorum sit, in cuius territorio actu commorantur (c. c. § 3). Qua in re eodem iure utuntur ac *vagi*, sed in eo distant, quod egressi non definitive e dioecesi adhuc huius Ordinario subduntur, dum e contra vagus statim ac territorium relinquit Ordinarium mutat (c. c. § 2).

93. Evolutio historica. Institutum domicilii Romanum est. Ab eo ius nostrum movit, sed illud successive evolvit ampliavit emollivit usque ad modernam formam.[2] Romani *originem* a domicilio sedulo distinguebant, ad hoc rigorose commorationem et animum perpetuo manendi exigebant (« In eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem ac fortunarum suarum summam constituit, unde non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus est, peregrinari videtur, quo si rediit, peregrinari iam destitit » l. 7, C. 10, 39). Aetate classica iuris canonici haec sedis iuridicae notio *ex integro* et *unice* est recepta. Decretales et Glossatores aperte ostendunt nullam in hac re specialem normam ecclesiasticam esse, sed ius commune vigere.[3] At paullatim necessitas orta est evolvendi institutum, ut melius vitae practicae conditionibus aptaretur. Quo in studio primus fuit *Innoc. IV* († 1254) qui in suo commentario Decretalium affirmavit domicilium acquiri posse per translationem magnae partis bonorum vel etiam per solam assiduam commorationem, seclusa intentione perpetuo manendi. Eius opinio, a quibus-

[1] Hoc in lege non dicitur, sed a iurisprudentia absque dubitatione admittitur. R. 15 maii 1911 (d. XVIII, n. 5), 28 aug. 1911 (d. XXXIX, n. 37), 27 ian. 1912 (d. VI, n. 7). Et merito quia q.-d. est ad instar domicilii (domicilium improprium). Contra *Vermeersch* 167.

[2] Simili modo in modernis legibus domicilium ita attenuatum est, ut nulla intentio perpetuo aut ad longius tempus manendi necessaria sit, et etiam sine personali commoratione haberi possit (domicilium et residentia). CI aa. 16-18; CGa aa. 102 ss.; propius ad ius can. accedit CG § 7.

[3] *Laurin*, l. c. 184 ss.

dam canonistis approbata a plerisque reiecta,[1] essentialem tamen impulsum dedit ad efformandum novum conceptum *quasi-domicilii,* cuius prima incerta vestigia inveniuntur quidem iam in rescripto Honorii III (1216-1227),[2] notio et nomen vero saec. XIV et XV in doctrinam introducitur.

Attamen, cum *legis* dispositio desideraretur, longo tempore dubium fuit quid praecise ad quasi-domicilium comparandum exigeretur. Dum alii vel brevissimam moram sufficientem esse censebant (Pontius), alii animum commorandi per mensem, alii per aliquot menses, alii per dimidiam, alii denique per maiorem anni partem postulabant.[3] Quae ultima sententia iam inde a Ben. XIV dici poterat *scientifice* certa, at demum saec. XIX, post decl. S. O. (7 iun. 1867, 2 maii 1877) et resolutiones C. C. *authentice* firmata est, reliquis antiquatis. Modernis autem temporibus novae difficultates in *probatione* huius intentionis exoriebantur.[4] Unde primum episcopi Foed. Stat. Americae sept. impetraverunt ut qui a *mense* in aliquo loco commorarentur censerentur ibi habere quasi-domicilium (in ordine ad matrim.), quin inquisitio facienda esset de animo ibi permanendi per maiorem anni partem (S. O. 6 maii 1886); deinde pro dioec. Parisien. concessum est ut eadem inquisitio omitti posset si constaret de *facto* commorationis semestralis (S. O. 9 nov. 1898, AS XXXI, 404; idem pro urbe Berolinensi C. C. 29 maii 1905 AS XXXVIII, 208 et XL, 531); denique privilegium Americanum ad dioec. Parisien. extensum est, (C. C. 29 maii 1905). Quibus decretis *particularibus* praeparatum est novum ius *commune:* menstrua commoratio pro matrimonio (can. 1097 § 1 n. 2; iam in decr. *Ne Temere*) et merum *factum* commorationis ad maiorem anni partem quo constituitur quasi-domicilium (can. 92 § 2), cui accedit decennium pro domicilio (can. 92 § 1), quod hucusque praesumptio *iuris tantum* erat. Praeterea invectum est domicilium et quasi-domicilium *dioecesanum,* relicto fundamentali principio iuris Romani et canonici, secundum quod in assignando loco civium semper attendendae erant postremae divisiones in territorio societatis (municipium, paroecia), quod principium nuper confirmaverat S. O. 9 nov. 1898.[5]

94. Amissio sedis iuridicae. Haud raro in praxi maioris momenti est quaestio quomodo sedes iuridica amittatur quam quomodo acquiratur. Ad rem imprimis notandum est ius non libenter admittere sine domicilium (aut quasi-domicilio) esse quemquam,[6] quia status vagi est extraordinarius, odiosus et

[1] Et revera textum legis (l. 2, C. 3, 24), cui innitebatur, Innocentius male intellexerat. Quod sequentes canonistae utique animadverterunt (*Laurin.* 188 ss.) sed nihilominus doctrina in illa linea evoluta est. Vita praevalet litterae.

[2] *Laurin,* 193.

[3] *Laurin,* 196 ss.; *Pius a Langonio* in voto c. *Wratislavien.* apud C. C. 20 maii 1905 (AS XXXIX, 305 ss.).

[4] Praesertim in ordine ad matrimonium. Quare *Gasparri* (De matrim. II, 1089) communem persuasionem exprimebat, cum animadvertebat: «Optandum est ut disciplina canonica de domicilio vel quasi-domicilio in multis perficiatur et ad nostrorum temporum circumstantias magis aptetur».

[5] Coll. 2024; cf. *Lega,* o. c. I, 338 n. 1.

[6] fr. 29, D. 50, 1.

minime praesumendus.[1] Quocirca *domicilium originis* nemo creditur deseruisse, nisi id evidenter appareat, etsi aliud sibi constituerit. Sed etiam quoad *domicilium electum* (habitationis) regula certa est amitti tantummodo quando *utrumque* elementum, quo exurgit, nimirum factum commorationis et animus perpetuo manendi, cessat (can. 95). Unde, ex primo, inefficax est propositum imo aperta declaratio valedicendi domicilio, donec non discesseris.[2] Ex altero, non officit etiam per menses et annos discessisse si animum revertendi retineas. Qui animus *non* necessario *excluditur* acquisitione novi domicilii, cum duo simul haberi queant; *praesumitur* autem quoties discessio sub explicita vel implicita conditione suspensiva fiat. Itaque «ea quae desponsa est ante contractas nuptias suum non mutat domicilium»,[3] qui in loco unde discessit familiam relinquit, argumentum praebet intentionis aliquando revertendi,[4] imo maior qui a paterna domo abiit ut sibi sedem et victum quaereret et hic illic discurrit nec adhuc stabilem locum elegit, *potest* quidem vagus esse,[5] at si cum sua familia non omnes relationes rupit censetur potius huius domicilium conservare.[6] Omnes vero qui *necessarium domicilium* habent illud amittere nequeunt, quousque eorum status iuridicus non mutetur (can. 95), et defectus commorationis aut animi suppletur a lege. Insuper *uxor* retinet domicilium mariti etiam post huius mortem, *filiusfamilias* domicilium parentum etiam maior factus, nec amittunt antequam aperte ostenderint se illi definitive renuntiasse, quod plerumque aestimandum erit cum sibi proprium constituerint.[7] Et haec omnia, proportione servata, etiam de quasi-domicilio valent.

95. Necessitudo, in genere, est *propinquitas personarum natura aut iure constituta*. Natura facit consanguineos, lex affines; hae sunt duae praecipuae species necessitudinis. Sed praeterea ius canonicum invexit cognationem spiritualem in

[1] R. 27 ian. 1912 (d. VI, n. 7); 17 iul. 1912 (d. XXXI, n. 4).

[2] fr. 20, D. 50, 1: «Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione».

[3] fr. 32, D. 50, 1. cf. R. 5 maii 1914 (A. VI, 354). Imo hoc et quoad *virum* censuit R. 22 apr. 1913 (d. XXIII, nn. 7-8).

[4] R. 8 apr. 1913 (d. XX, nn. 9-11).

[5] *D'Annibale*, I, 85 not. 27.

[6] Vide sententiam valde notabilem R. 4 maii 1916 (A. VIII, 367).

[7] R. 15 mai 1911 (d. XVIII, n. 5).

similitudinem consanguinitatis, publicam honestatem in complementum affinitatis, ius civile cognationem legalem, quam Ecclesia agnoscit et recipit.

a) Consanguinitas est coniunctio *naturalis* inter eos qui ab eodem propinquo stipite descendunt, hi enim per generationem communem sanguinem habent. *Copula carnalis* est eius fundamentum, maritalis an extra-maritalis nihil refert, unde legitimi sint vel illegitimi qui procreantur eodem modo consanguinei sunt. Ultra certos terminos autem omnis cognatio cessat. Computatur per lineas et gradus. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore (can. 96). Consanguinitas attenditur cum primis in successionibus, de quibus ius civile, atque, iure nostro, in matrimoniis.[1]

b) Affinitas oritur ex *matrimonio valido* sive *rato* tantum sive rato et consummato. Ea propinqui fiunt viro consanguinei mulieris, mulieri consanguinei viri, et praecise in ea linea et gradu affines unius, qua sunt consanguinei alterius (can. 97). Est igitur vinculum dumtaxat *iuridicum*, non naturale,[2] quod tamen iam veterum mores et leges ex *valido matrimonio* derivaverunt et moderna iura quoque agnoscunt. Attamen iure canonico affinitas non fundatur nisi in coniugio quod simul sit *sacramentum*; matrimonii legitimi, licet Ecclesia illud verum et validum iudicet, ad hunc effectum nulla ratio habetur.

Haec conclusio necessario amplectenda est, si attendatur significatio verborum in can. 1015 §§ 1 et 3 firmata firmata. Matrimonium non baptizatorum non amplius vocari potest «ratum», uti saepe occurrebat apud veteres canonistas. Et cum can. 97 § 1 explicitus sit et «verba aliquid operari debeant» (c. 10 in VI. 5, 7) dicendum est Ecclesiam, postquam a multis saeculis (saltem inde a saec. XII) Romanum affinitatis conceptum dereliquerat eique affinitatem ex *copula* licita vel illicita substituerat, ad illum quidem rediisse, sed eum non ex integro recipere. Quae autem causa fuerit, cur *istum legitimum* effectum matrimonii etiam

---

[1] Quare plura de ea in iure matrimoniali. *Chelodi*, Ius matrim. n. 95.

[2] cf. *Wernz*, IV, 449 not. 24; *Gasparri*, De matrim. I, 799. Unde si quidam dicunt esse vinculum naturale (*Maroto*, I, 444; *Badii*, Instit. i. c.[2] Florentiae 1921, 1, 85 d, n. 1) improprie loquuntur et forte quasi reminiscentes iuris antiqui. Neque *consummatio* matrimonii rem mutat, quia copula in ratione affinitatis nihil refert.

coram Ecclesia validi ius nostrum non agnosceret, dum e contra v. c. recipit adoptionem civilem imo et effectus eiusdem *incompetenter* statutos, nescimus.[1]

De *cognatione spirituali, legali* et de *publica honestate* alibi est aptus locus disserendi.[2]

96. Ritus. Cum diversitas ritus nedum quoad ius liturgicum sed quoad totam disciplinam canonicam plerumque relevans sit (can. 1), duplex quaestio fundamentalis statum iuridicum personarum respicit: ad quem ritum quisque pertineat et quomodo ab uno ritu ad alium transitus fiat.

a) Ritus *baptismo* determinatur, nisi quis aut *fraude* aut gravi *necessitate* aut ex *dispensatione apostolica* cum clausula «salvo ritu» data a ministro alieni ritus baptizatus sit (can. 98 § 1). Quibus in casibus illi ritui iste adscriptus censetur, cuius caeremoniis ordinarie baptizari debuisset.[3] Nam proles ritu *parentum* baptizari debet, et si non utriusque idem sit, ritu *patris* (can. 756 §§ 1 et 2).[4] Sed si pater acatholicus mater catholica est, sequitur ritum *matris* (c. c. § 3). Item proles illegitima.[5]

b) Mutatio ritus est prohibita. Unde «nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti»[6] et clerici severe prohibentur ne ad hanc mutationem quemquam inducere praesumant (can. 98 §§ 2 et 3). Ubi fideles latini et orientales permixti degunt, in pluribus permittuntur, sive necessitatis sive etiam pietatis causa, de sacris alieni ritus participare,[7] at haec frequentatio alieni ritus, et praesertim Eucharistiae sumptio

---

[1] Difficultas nulla est si uterque coniux baptizetur, quia statim matrimonium fit sacramentum; at sane si *unus* baptizetur et utatur privilegio Paulino, aut baptizetur *viduus* (vidua), aut iterum nubat qui prima vice super disparitate cultus *dispensatus* contraxit, in sententia eorum qui tenent hoc matrimonium non esse sacramentum. cf. *Chelodi,* Ius matr.[3] n. 99 ss. ubi tamen corrigendum est quod (n. 101) dicitur de infidelibus. Qui si convertantur non tamen exurgit impedimentum, etiam matrimonio consummato.

[2] can. 1059, 1078, 1079, 1080; *Chelodi,* o. c. 56, 103, 105, 107.

[3] C. I. 16 oct. 1919 ad 11 (A. XI, 476).

[4] Pro Italo-Graecis statutum est, ut proles in ritu *matris latinae* baptizari possit, si pater consenserit. *Ben. XIV,* const. *Etsi pastoralis,* 26 maii 1742, § 2; cf. *Ben. XIV,* De Ritibus (Opera inedita, publ. ab *Heiner*, Friburgi 1914) c. I.

[5] C. P. F. 27 mart. 1916 (A. VIII, 105). Hoc in C. non dicitur, sed planum est quia illegitimi iuridice non habent patrem.

[6] cf. *Leo XIII,* const. *Orientalium,* a. 7; C. P. F. 18 aug. 1913 a. 26 (A. V, 398) et 27 mart. 1916 n. 7, de Ruthenis in America.

[7] can. 866 (Eucharistia), can. 881 § 1 et 905 (poenitentia), can. 1249 (auditio Missae), C. P. F. 18 aug. 1913 nn. 28-33; 27 mart. 1916 nn. 9-14.

(c. c. § 5), non secumfert amissionem proprii.[1] Specialis concessio, ad vitanda incommoda quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, habetur pro *uxore*, quae potest, ipso iure, in ineundo vel durante matrimonio viri ritum amplecti et matrimonio soluto proprium resumere (c. c. § 4).[2]

Rituum, in Ecclesia, duae magnae classes distinguuntur: *occidentales* (latini) et *orientales*. At dum ritus latini (romanus, ambrosianus, mozarabicus, bracarensis) nonnisi variae formae celebrandi cultum divinum sunt, et proinde potius *liturgiae* dicerentur, ritus orientales (quattuor principales: armenus, coptus, graecus, syrus, cum pluribus subdivisionibus)[3] secumferunt peculiarem constitutionem hierarchicam, regimen, disciplinam. Unde praesertim de mutuis inter istos et latinos relationibus allatae normae intelligendae sunt,[4] uti etiam constat ex fontibus e quibus derivantur. Haec materia, post antiquiora R. Pontificum decreta, praecipue a *Ben. XIV* amplissime ordinata est suis constitutionibus *(Etsi pastoralis*, 26 maii 1742; *Demandatum*, 24 dec. 1743, *Praeclaris*, 18 mart. 1746; *Allatae sunt*. 26 iul. 1755 - Coll. 338, 356, 395), quae tamen directe Italo-Graecos tantum vel Graeco-Melchitas respiciunt. Sed principia in eis proposita generali modo pro omnibus Orientalibus confirmavit *Leo XIII*, const. *Orientalium dignitas*, 30 nov. 1894 (AS XXVII, 257 ss.). *Pius X*, const. *Tradita ab antiquis*, 14 sept. 1912 (A, IV, 699 ss.) omnes adhuc vigentes limitationes ad sacram synaxim in alieno ritu suscipiendam sustulit. Recentioribus temporibus, cum multi Rutheni in utramque Americam migravissent, haec occasio fuit ut C. P. F. instructiones ederet singula accurate statuentes (18 aug. 1913, 17 aug. 1914, 27 mart. 1916). C. nihil novi continet.

II. PERSONA MORALIS.

97. Notio. Omne ius hominum causa constitutum est,[5] quare imprimis homines sunt subiecta iuris. Attamen fines iuridici dantur qui, quamquam *indirecte* singulorum quoque intersunt, per se ultra singulorum commodum et necessitates

---

[1] *Leo XIII*, const. *Orientalium*, a. 9; C. P. F. 17 aug. 1914 a. 20 (A. VI, 463); 27 mart. 1916 n. 5.

[2] Clausula «nisi iure particulari aliud cautum sit» huius § respicere videtur Italo-Graecos, apud quos mulier *latina* nequit amplecti ritum graecum mariti, sed utique *graeca* latinum, in quo tamen permanere debet etiam mortuo marito. *Ben. XIV*, const. *Etsi pastoralis* § 8, n. 7. — Sed quid de filiis, quorum parentes ritum mutant? C. nihil dicit. In C. P. F. haec quaestio diu agitata est tempore Ben. XIV et tunc decisum ut filii qui *nondum ad usum rationis pervenissent*, si *uterque* parens ad alium ritum transiret hunc sequerentur, si *alter* dumtaxat, sequerentur ritum patris. *Ben. XVI*, De ritibus, c. I, n. 8.

[3] cf. infra n. 171.

[4] Tamen etiam quoad *latinos* ritus in comperto est nec singulos sacerdotes nec etiam integras ecclesias posse, sine apostolica auctoritate, receptam liturgiam derelinquere et alia (ex. gr. Romana) uti.

[5] § 12, I. 1, 12; fr. 2, D. 1, 5.

ad commune aliquod bonum ordinantur. Qui fines ut promoverentur, opus fuit agnoscere iura et obligationes, quorum subiectum esset non persona naturalis, sed persona fictitia, ens iuridicum, cui competat personalitas iuridica. Haec est quae dicitur, *persona moralis.*[1] Quae primum esse potest pluralitas hominum *(universitas, corpus, corporatio)*, finem aliquem prosequens et propriis iuribus fruens, distincte et independenter a iuribus sociorum, qui perpetuo mutari possunt; deinde institutum vel res vel patrimonium, certo fini destinata, cuius finis gratia ut subiectum iuris habentur *(pia causa, fundatio).*

Etiam in iure canonico personae morales sunt utriusque generis; nimirum *collegiales* et *non collegiales* (can. 99).

Difficilis est personae moralis *definitio*, difficilior *doctrina*. Inter civilistas est haec materia maximis et plurimis controversiis implexa.[2] C. tacite supponit veterem theoriam, quae Romana in suo fundamento a canonistis medii aevi ulterius evoluta et deinde in iure nostro translaticia facta est. Aetas classica iuris Romani *primam* tantum speciem cognovit personae moralis: corporationem. *Altera*, pia causa, est propria creatio christianismi, effectus novae ideae *caritatis*, quae tot institutiones miseris sublevandis et pauperibus adiuvandis suscitavit.[3] Fictio iuridica autem, qua ipsi fini personalitas tribuitur, nonnisi paullatim a doctrina elaborata est,[4] deinde vero amplissime applicata, postquam, restituto iure Romano, homines medii aevi percipere coeperunt conceptum subiecti iuridici abstracti, et consequenter iterum distinguere inter iura corporationis et iura sodalium, quod sub influxu legum germanicarum obscuratum fuerat.[5]

98. Constitutio. Persona moralis *publica auctoritate* constituitur (can. 99). Ecclesia universalis et Sedes Apostolica ipso illo *iure divino*, quo existunt, obtinent etiam personali-

---

[1] Antiquioribus assuetum erat nomen *persona moralis* (aut mystica). Moderna doctrina iuridica italica et germanica (etiam CG §§ 21 ss., CH aa. 52 ss.) utitur accuratiore voce *persona iuridica*, dum e contra Galli veterem adhuc retinent. Hanc etiam C. hic et plerumque. At terminologia C. non est constans. Interdum loquitur de persona iuridica (can. 687, 1484 § 1), de ente iuridico (can. 1409, 1410) imo aliquando videtur personam moralem ab iuridica distinguere (can. 1495 § 2: «personis *moralibus* quae ab ecclesiastica auctoritate in *iuridicam* personam erectae sint»). De facto vero termini sunt synonymi. Quae varietas in CI quoque occurrit (*Brugi*, 117), sed claritati iuris non confert. cf. *Stutz*, Geist 215 ss.

[2] cf. *Arndts*, § 41; *Rintelen-Eggler*, Iuristiche Personen in *Staatslex.* III, 1511 ss. *Brugi*, 116, 119.

[3] *Bonfante*, 65.

[4] Notabilem partem in hoc opere habuit Sinibaldus Fieschi (Innoc. IV.).

[5] *Pertile*, Storia del diritto ital.[2] III (Torino 1894) 267 ss. Tunc temporis proprietas bonorum ecclesiae, beneficii, altaris tribuebatur Deo vel Sancto patrono; hospitalis, xenodochii item patrono vel pauperibus in eis receptis.

tatem iuridicam;[1] ceterae personae morales in Ecclesia originem repetunt ex dispositione *canonica*. Quae duplex esse potest: aut lex aut decretum (can. 100 § 1). *Lege*, in iure communi, quaedam corpora et instituta, dummodo certis conditionibus satisfiat, iam habentur ut personae morales. Haec qualitas, tum pro personis collegialibus tum pro non collegialibus, saepe in C. expresse firmatur,[2] interdum est indirecte colligenda.[3] At dantur etiam sive collegia sive instituta quae ea carent, ideoque non subiecta sed obiecta iuris sunt.[4] Horum plerisque, et aliis quoque, personalitas concedi potest per formale *decretum* auctoritatis *ecclesiasticae* supremae vel dioecesanae,[5] quod datur in singulis casibus, cum de fine agitur religioso vel caritativo. Potestatis *civilis* mandata in foro nostro non attenduntur.

Consequitur personam moralem nonnisi ab ea auctoritate *extingui* posse quae eam creavit (can. 102 § 1), aut, si id speciali iure cautum sit, a superiore,[6] numquam ab extranea. Laicorum invasiones in iura Ecclesiae *facta* sunt quae nullum effectum *iuridicum* producere valent. Et cum natura sua perpetua sit, requiritur formalis actus suppressionis. Ex alia causa cessans adhuc per *centum annos* vivere censetur et si inter hoc tempus restituatur iura et obligationes eo ipso recuperat, saeculo autem elapso omnino ut extincta consideratur.

Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex *tribus* saltem personis physicis (can. 100 § 2),[7] at deinde si vel una supersit, ius omnium in eam recidit (can. 102 § 2).

Quaestio utrum ad constituendam personam iuridicam *publica auctoritas* requiratur, in iure nostro affirmative resolvitur, nec aliter esse posset, cum agatur de personalitate in ordine ad finem supernaturalem.[8] Iure civili, quidquid theoretice sit,[9] ius Romanum et iura medii aevi

[1] cf. supra n. 17. — Ius italicum personalitatem iuridicam Ecclesiae universalis non agnoscit, at quidem S. Sedis. *Calchi-Novati*, 18-19.

[2] Sed plerumque obiter et quasi per accidens; cf. can. 99, 471 § 1, 536 § 1, 1208 § 3, 1278, 1423 § 2, 1557 § 2 n. 2.

[3] Quia iurium capaces exhibentur, cf. can. 1475 § 2, 1481, 324, 410 § 2, 531, 1653 §§ 1-6. De aliis, ex. gr. de Collegio Cardinalitio, de Congregationibus et Tribunalibus Curiae Rom., C. nihil dicit, at certe standum est iuri hucusque vigenti.

[4] Licet ab auctoritate ecclesiastica *approbata*, cf. can. 686 § 1, 708, 1491 §§ 1 et 2, 1544.

[5] *Utra* competens sit ex natura collegii vel instituti pendet, et suis locis est dicendum.

[6] cf. can. 493, 1422, 1494.

[7] Axioma: «Tres faciunt collegium» ex fr. 85, D. 50, 16, quod tamen non videtur norma legalis fuisse.

[8] *Cavagnis*, o. c. III, 363.

[9] *Cavagnis*, III, 377 ss.

amplissime in hac re naturali hominis libertati deferebant ac nullum Status interventum ad personam moralem instituendam exigebant ;[1] modernae leges e contra fere omnes a reipublicae concessione hanc potestatem derivant, sed quoad modum aliae liberaliores (Anglia, Germania, Austria, Helvetia) aliae difficiliores (Italia, Gallia) sunt, pro varia, quam sequuntur, omnipotentiae et centralismi Status conceptione.

99. Capacitas iuridica. Persona moralis *omnium iurium subiectum* esse potest, haud secus ac persona physica, iis exceptis quae natura sua physicam personam omnino supponunt. Unde possidere, acquirere, alienare, debita contrahere, privilegia et indulta obtinere, eligere, praesentare, iurisdictionem exercere, ius praecedentiae habere, in iudicio agere et conveniri, delicta committere, poenis affici potest.[2] Nihilominus haec capacitas iuridica non est plena; nam *omnes* personae morales, boni publici causa, peculiaribus *limitationibus* in exercitio suorum iurium subduntur. At etiam *favoribus* gaudent: aequiparantur enim *minoribus* (can. 100 § 3).

Voluntas iuridica personae moralis exprimi debet per personas physicas. Distinguendum autem, utrum agatur de persona *non collegiali* an de *collegiali*.

a) Illius legitimus actus censetur qui ponitur a rectore, administratore aliove, cuius curae commissa est, dummodo hi omnes procedant ad normas iuris communis et statutorum peculiarium uniuscuiusque piae causae aut instituti (can. 101 § 2, cf. can. 1649, 1653).

b) Collegii voluntas determinatur per suffragia sodalium. Et quod maiori parti placuit vim iuris habet. Demptis suffragiis nullis,[3] maior pars computatur in *primo* et *secundo* scrutinio *absolute,* i. e. illa vincit rogatio quae plus quam dimidiam partem suffragiorum retulit;[4] in *tertio* scrutinio *relative,* nempe approbata censetur propositio cui plures quam ceteris suffragati sunt, licet non dimidia pars; aequalibus suffragiis, *post tertium* scrutinium praeses suo voto paritatem dirimit, aut, si agatur de electione et praeses dirimere nolit, electus habetur senior ordine vel prima professione vel aetate

---

[1] *Arndts* § 44; *Bonfante* 63; *Pertile,* III, 271 s.

[2] cf. can. 1499 § 2; 1500, 1629 ss., 4, 101 § 1, 161 ss., 471 § 2, 1460 § 1, 451 § 1, 471 § 2, 106 n. 5, 1649, 1653, 2274 § 1, 2285 § 1, 2255 § 2 etc.

[3] Quibus accensendae sunt etiam schedulae vacuae seu albae. Rationes in contrarium ME XXVIII (1916) 31 ss. allatae non videntur hanc veterum opinionem infirmare. cf. can. 169 § 1 n. 2.

[4] Et sufficiunt 5 ex 9, 7 ex 13.

(can. 101 § 1 n. 1).[1] Aliquando vero iure communi vel particulari expresse maior pars *absoluta* aut etiam *qualificata* (duae tertiae partes) exigitur.

Actus *collegiales collegialiter* perficiendi sunt (can. 105 n. 2). Quem in finem omnes ius habentes convocandi sunt. Et si vel unus neglectus fuerit, in agere potest de contemptu ad irritationem actus; si plures quam tertia pars neglecti, nec sponte intervenerint, actus est ipso iure invalidus (can. 162 §§ 2 et 3). Legitime invitati autem qui aut non veniunt aut discedunt iuri suo renuntiare censentur.

c) Per vota maiora *negotia collegii* expediuntur, ea scilicet quae personam moralem uti talem respiciunt, quamvis *indirecte* singulos aut iuvent aut gravent. Quoties autem de iure et praeiudicio *cuiusvis sodalis* directe et principaliter, *distributive* et non collective, agitur, vetus regula viget: «Quod omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet (can. 101 § 1 n. 2).[2] At, exceptis casibus ab ipso iure consideratis,[3] plerumque difficillimum est determinare quando de huiusmodi iuribus agatur, ideoque maior pars praevalere nequeat.[4]

III. ACTUS IURIDICI PERSONARUM.

100. Actus validus, nullus, rescindibilis. Distinguimus *factum* iuridicum et *actum* (negotium) iuridicum. Illud est omne factum quod acquisitionem, mutationem, amissionem alicuius iuris gignit. Quod *aut* solo facto *aut* facto et voluntate fit. Si primum, effectus iuridicus sequitur *ope legis* et loquimur de *facto iuridico in sensu proprio* (v. c. nativitas, mors). Si alterum, effectus intenditur a subiecto et dumtaxat voluntate eius accedente sequitur: *factum iuridicum voluntarium* (v. c. testamentum, contractus). Voluntas aliquando durare debet, ita ut ea cessante, cesset effectus; plerumque sufficit *unus* eiusdem *actus*, quamvis transiens. In hoc casu factum iuridicum idem est ac *actus* vel *negotium iuridicum*. Quod igitur definiri potest: «actus voluntatis cui lex tribuit vim producendi effectus a subiecto intentos».

---

[1] Electiones enim ex can. 169 § 1 et 171 §§ 2 et 4 debent esse *secretae*.

[2] R. I. 29 in VI, addito inciso «uti singulos».

[3] can. 172 (compromissum). cf. can. 495 § 2. Aliud exemplum afferunt de suscipienda obligatione prorsus voluntaria et indebita.

[4] *Melata*, Della regola «quod omnes tangit» in ME XXVIII, 26 ss.

a) Ut actus sit *validus* requiritur duplex elementum, subiectivum et obiectivum. In *subiecto:* 1. capacitas agendi, 2. voluntas, 3. voluntatis manifestatio. Quae manifestatio aut *verbis* aut *re* fieri potest; nonnisi ubi ius eam expresse exigit, necessaria est certa *forma* (sollemnitas). Si in aliis adhibeatur, ad *probationem* pertinet, non ad *valorem.* Fieri potest aut directe, aut per epistolam, per nuntium, per procuratorem; absolute aut sub conditione, sub modo, sub die.

Alterum elementum a sola lege pendet: est enim finis iuridicus seu conditio *obiectiva* a iure cuique actui assignata, per quam libera hominis agendi facultas limitatur *(causa, iusta causa).*[1]

Doctrina distinguit: *essentialia* negotii, elementa sine quibus esse non potest; *naturalia* negotii, quae per se illud comitantur, quamvis ad eius notionem non pertineant; *accidentalia* negotii, quae adesse vel deesse possunt et peculiari mentione indigent; denique, cum forma ad valorem requiritur, *sollemnia* negotii. Accidentalibus accensentur conditio, modus, dies; quod tamen non importat ea ad valorem actus nihil referre.[2] Aliae limitationes aut determinationes voluntatis vocantur *clausulae.* Unumquodque negotium habet sua elementa essentialia, at moderna iura dereliquerunt illas certas figuras negotiorum, quae propriae erant iuris Romani, et facile admittunt *conversionem* unius negotii in aliud.

b) Actus vero effectu iuridico carere potest, quia aut *nullus* est aut *rescindibilis.* Nullus dicitur cum nonnisi specie existit, sed inefficax est ad quemcumque effectum producendum *(n. ipso iure).* Rescindibilis cum, ex causa a lege praevisa, aliquis ius habet eum elidendi, si autem id omittat, actus in sua vi sustinetur *(n. ope exceptionis).*[3] Utraque nullitas vel ex incapacitate subiecti, vel ex defectu rei, vel ex prohibitione legis, vel ex vitio in consensu aut eius manifestatione derivari potest. *Nullitas absoluta* habetur quando aut elementum essentiale exulat aut ius expresse eam statuit.[4] Casus *dissolubilitatis*, pro varietate negotiorum, varii sunt, ideoque generali regula exprimi nequeunt.

---

[1] Omnino distinguenda a causa *subiectiva* agentis quae, ut plurimum, nihili refert («ratio legandi legato non cohaeret» fr. 72 § 6, D. 35, 1). Ceterum doctrina *causae* est inter civilistas maxime controversa, et ipse terminus aequivocus.

[2] cf. *Chelodi* Ius matrim.[3] 16, 123 ss.

[3] Ita dicitur, at non sola *exceptione* verum etiam *actione* rescissoria valor actus impugnari potest. Ab hac differt *querela nullitatis,* qua utimur si actus ipso iure nullus est.

[4] can. 1680 § 1. — Ius nostrum non admittit principium quidquid contra legem fit pro infecto haberi (l. 5, C. 1, 14), imo tenet principium contrarium. cf. can. 11.

Actus validitati maxime officiunt *vitia in consensu.* Qui si mere *apparens* fuerit aut *simulatus,* palam est actum radicali nullitate laborare. Frequentius autem attendendae sunt causae quae in voluntatem agentis influunt, eiusque liberam determinationem impediunt: *vis, error, dolus.*

Actus ab initio *nullus* interdum *convalidatur,* cessante nullitatis causa, at haec exceptio est, non regula (R. I. 18 in VI: «Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit» cf. fr. 29, D. 50, 17, regula Catoniana). E contra actus *rescindibilis* validus fit per *ratihabitionem* illius, qui eum impugnandi ius haberet.

Vicissim actus ab initio *validus* non resolvitur si in casum reciderit, a quo incipere non potuisset (R. I. 73 in VI: «Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari» cf. fr. 85, D. 50, 17).

Denique possibile est ut, dum *altera* pars negotii invalida est, *altera* sustineatur (R. I. 37 in VI: «Utile non debet per inutile vitiari»; can. 1680 § 2; sed cf. fr. 178, D. 50, 17: «Cum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent»).

101. Vis, error, dolus. *a)* Vis aut *physica* aut *moralis.* Illa corpus flectitur (absoluta), hac animus, in quo *metus* exurgit (compulsiva). Vis physica voluntarium excludit manifeste; vis moralis e contra non item, quia si ex metu aliquid facio, «quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus *volui*».[1] Inde conclusio: actus vi physica extortus prorsus *nullus* est, metu elicitus *validus,* nisi aliud iure caveatur (can. 103).[2] Tamen aequitas et publici mores postulant ut iniuriam passus indemnis servetur. Quare ius ei facultatem concedit obtinendi a iudice actus *rescissionem* (c. c. § 2); et si agatur de *minoribus* aut de *personis moralibus* ad hoc proceditur etiam ex officio vel instante promotore iustitiae.[3] Metus autem incussus debet esse *iniustus* quoad substantiam vel quoad modum, *mali gravis,* verisimiliter *imminentis* et *consulto* quidem illatus.[4]

b) Error, seu falsa rei apprehensio, et *ignorantia,* seu cognitionis defectus, in iure aequiparantur.[5] Cum error in intellectu sit, directe non afficit voluntatem, unde quod ex

---

[1] fr. 21 § 5, D. 4, 2; cf. fr. 22, D. 23, 2: «Si patre cogente ducit uxorem, quam non duceret... *maluisse* hoc videtur». Et si contra legem facio, in primo casu *innoxius* sum, in altero *noxius* (can. 2205 §§ 1 et 3, 2229 § 3).

[2] can. 169 § 1 n. 1, 185, 214 § 1, 542 n. 1, 572 § 1 n. 4, 1087 § 1, 1095 § 1 n. 3, 1307 § 3, 2238.

[3] can. 1684-1689.

[4] fr. 6, D. 4, 2: «metum non vani hominis, sed qui merito et in homine constantissimo cadat». — De vi et metu plura v. *Chelodi,* Ius matr. n. 118.

[5] cf. can. 2202 § 3.

errore volumus est revera volitum. Tamen fieri potest ut voluntas manifestata nonnisi apparens sit, quia agens de facto *aliud voluit*, aliud, errore deceptus, *significavit*. Quo in casu certissime nullus est actus, non quidem ex errore, sed ex defectu voluntatis ab errore causato.[1] Iste error vocatur *essentialis* et nihil refert, ad effectum, utrum iuris an facti, utrum culpabilis an inculpabilis fuerit. Essentialis est: 1. si quis errat circa totum negotium,[2] 2. circa eius naturam,[3] 3. circa identitatem personae, si haec principaliter intenditur,[4] 4. circa identitatem rei,[5] 5. circa substantiam rei[6] (can. 104).

Ceteri errores, cum voluntatem non excludant, valorem actus per se non auferunt. Et cum primis error *qualitatis*, nisi haec requisita sit tamquam *conditio* sine qua non. Nihilominus ius saepe rationem habet errantis, dum *positiva* dispositione actum aut eo ipso irritum aut saltem rescindibilem reddit.[7] Hic sane interest utrum culpa sua quis erraverit necne. Nam ordinarie inculpabilis tantum error excusat. Iamvero «regula est, *iuris* quidem ignorantiam cuique nocere, *facti* vero non nocere»,[8] nisi ex summa negligentia procedat. Sed *minoribus* etiam error iuris plerumque indulgetur.

c) Dolus est «omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita».[9] Nihil interest utrum in commodum ipsius fallentis an tertii (can. 1685 n. 1). Si error dolo inductus est *essentialis*, non est quod hunc peculiariter consideremus: actus est nullus ex defectu voluntatis. Sed dolus refert e contra cum voluntarium non tollit et error circa accidentalia negotii versatur. Actus in casu *validus* est, at ius decepto succurrit, non praecise

---

[1] In hoc casu tantum verum est axioma: «*nulla voluntas errantis est*» (fr. 20, D. 39, 3; l. 8, C. 1, 18). Civilistae loquuntur de *errore improprio*, quod tamen aliis non placet (*Arndts* § 62, n. 4), recentiores de *errore obstativo*.

[2] Putat subscribere epistolam et subscribit testamentum vel donationem.

[3] Matrimonium esse locationem operis (cf. can. 1082 § 1); vel etiam sciens quid matrimonium sit, putat se hic et nunc cum hac muliere alium contractum inire (matrim. civile, quando forma non est necessaria). R. 18 nov. 1919 (A. XI, 358).

[4] Ut est in matrimonio (can. 1083 § 1), non semper vero in reliquis contractibus.

[5] «Error in corpore». Si error est in *quantitate*, actus valet usque ad quantitatem in qua declaratio convenit cum voluntate.

[6] Quae determinatur ab eius usu et destinatione. In modernis legibus civilibus errores sub 3-5 actum faciunt *rescindibilem* tantum. CI aa. 1110, et 1300; CGa aa. 1110, 1117, 1304; CG § 119.

[7] cf. can. 1083 § 2 n. 2, 1684. De effectibus erroris in iure poenali vide can. 2202, 2218, § 2, 2229.

[8] fr. 9, D, 22, 6; can. 16 §§ 1 et 2.

[9] In civilibus. In poenalibus vide definitionem in can. 2200 § 1.

quia erravit, sed in odium eius qui dolo fecit. Unde etiam errores in causis subiectivis agentis et in rei qualitatibus, qui alias non attenderentur, dolo interveniente, facultatem tribuunt parti circumventae petendi *rescissionem* actus vel utendi *exceptione* doli (can. 103 et 1686).

Dolus dicitur *causam dans*, si deceptus sciens non fecisset, *incidens* (concomitans) si fecisset sciens quoque. Iure civili, ille ad actus dissolutionem, hic ad damna tantum actionem dat.[6] Quae distinctio, apud civilistas et nostros vulgata, in fontibus iuris Romani non habet fundamentum, nec novo iure canonico attendi, sed in utroque casu admitti rescissio videtur.

102. Consensus, consilium. Ad actum iuridicum, in exercitio *publicae* potestatis, canones interdum postulant quarumdam personarum aut consensum aut consilium. *Utrique* commune est ut ad *valide* agendum *exquiri* debeat; sed in eo differunt, quod audito *consilio* superior *valide* contra agere potest, quamvis non prudenter faciat si consulentium votum, praesertim concors, negligat sine praevalenti ratione; denegato *consensu* agere valide omnino nequit (can. 105 n. 1).

Si plures audiendi sunt, consilium aut consensus est actus *collegialis*, ideoque in eo perficiendo necesse est, *ad valorem*, ut omnes normae serventur, quae de his actibus in iure statutae sunt (supra n. 99). Nedum rationi legis igitur, sed nec litterae satisfit si apud *singulos seorsim* sententiae expetantur, licet hoc modo collectae facilius etiam in unanime suffragium conveniant. Ius enim manifeste vult ut negotia *communi* deliberatione discutiantur, in qua unusquisque, servata quidem superiori reverentia, sed cum fide et sinceritate mentem suam aperire possit. Superior autem facultatem habet iniungendi *secretum*, interposito quoque, si rerum gravitas id suadeat, *iuramento* (c. c. nn. 2-3).

IV. PRAECEDENTIA.

103. Notio et normae generales. In societatibus bene ordinatis regula esse debet, ad quam singulae personae suum locum teneant, ita ut honor cuique debitus exhibeatur et contentiones devitentur. Complexus iurium, qui ex constituto ordine derivatur, dicitur in Ecclesia *praecedentia* et competit tum personis physicis tum moralibus.

[1] CI a. 1115; CGa a. 1116; CG § 123.

Praecedentia statuitur secundum *principia generalia*, quae tamen pluribus specialibus normis perficiuntur et etiam temperantur. Ita Domus pontificia habet suas peculiares regulas et traditiones; de aliis personis passim traduntur normae in C. Heic de *generalibus* tantum (can. 106).

a) Et imprimis, quoad *utriusque generis* personas, praecipua causa praecedentiae est *auctoritas*. Cui ius est imperandi, ius est quoque praecedendi.[1] Deinde qui superioris vices agit, non ex sua persona, sed ex persona quam *repraesentat* locum obtinet.[2] Aliqua limitatio huius generalis regulae fit in conciliis aliisque similibus conventibus quoad procuratores, qui sedent post illos *eiusdem* gradus qui intersunt nomine proprio.

b) Personarum *physicarum* praecedentia, seclusa alterius in alterum auctoritate, dimetitur, diversitate ritus minime attenta, *primum* ex potiore gradu iurisdictionis, *deinde* ex potiore ordine, *tertio* in paritate gradus et ordinis ex prioritate promotionis ad gradum, *quarto* in paritate temporis promotionis ex prioritate ordinationis (nisi iunior ordinatus fuerit a R. Pontifice), *denique*, si in iis omnibus aequales, ex maiore aetate.

c) Inter personas *morales* in pluribus casibus iam statuta est quaedam hierarchia, pro earum natura et dignitate, et tunc praecedunt huius ratione habita.[3] Si autem sint *eiusdem* speciei et gradus, ius praecedendi determinatur *primum* ex quasi-possessione, *deinde*, hac non probata, ex prioritate canonicae erectionis in loco ubi quaestio oritur. Inter ipsos *sodales* vero plerumque dimetitur ex statutis collegii, secus ex consuetudine et subsidiarie ex iure communi,

d) Controversiae de praecedentia ordinarie dirimendae sunt in foro *administrativo*, quamvis cognitio quoque stricte *iudicialis* non sit exclusa.[4] Unde decisio, si res sit inter non exemptos,[5] in prima instantia datur ab Ordinario loci, in se-

[1] Applicatio huius principii in can. 370 § 1: Vicarius gen. praecedit omnibus clericis dioecesis, etiam dignitatibus.

[2] Applicatio in can. 269 § 2: Legati pontificii, licet non sint episcopi, praecedunt omnibus Ordinariis.

[3] can. 408, 491, 701.

[4] can. 250 § 3. Sed ex can. 1552 § 2 «obiectum *iudicii* sunt personarum physicarum vel moralium *iura* persequenda aut vindicanda». De facto controversiae circa praecedentiam diremtae sunt, etiam nuper, tum a C. C. tum a Rota. cf. supra pag. 30 not. 2.

[5] Regulares exempti subsunt competentiae C. Rel. (can. 250 § 3, 251 § 1), at *iudex* primae instantiae est, iis quoque, Ordinarius loci (can. 1579 § 3). Nullibi e contra firmata est, quoad hos, competentia *administrativa* Ordinarii, imo potius exclusa videtur a can. 106 n. 6. Lacuna iuris, practice relevans, quae in decr. Tridentino non erat.

cunda a C. C. Ordinarius decernere debet attentis principiis iuris communis, legibus statutariis et legitimis consuetudinibus. Huic facultati accedit *altera*, ei iam a Conc. Tridentino concessa,[1] componendi, *in casibus urgentioribus*, omnes huiusmodi controversias etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant. At decretum in hoc casu latum non est nisi *dispositio provisoria*, quae quidem non admittit appellationem in suspensivo, sed non prohibet quominus serius quaestio regulari procedendi ordine et pleniore probatione definiatur.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ORDINIS

I. STATUS CLERICORUM.

104. Hierarchia. Ecclesia *iure divino* est societas inaequalis, in qua potestas publica non penes totum populum sed penes peculiarem coetum personarum residet.[2] Qui huic pertinent sunt *clerici*, reliqui *laici* (can. 107). Universa potestas ecclesiastica, seu sacer principatus, vocatur *hierarchia*.[3] Sed nomen plerumque non obiective, verum subiective sumitur et designat *complexum* vel *seriem personarum quae potestatis ecclesiasticae participant* (can. 108 § 2). Et cum duplex sit potestas sacra, *ordinis* quae directe ad homines sanctificandos per sacrificium et sacramenta refertur, *iurisdictionis* quae immediate ad eos regendos, *duplex* quoque distinguitur hierarchia: *altera* est series personarum quibus potestas *ordinis* per diversos gradus competit, *altera* earum quae *iurisdictione* pollent. Utriusque tamen non omnes gradus ex institutione *divina* existunt, sed fundamentales tantum — episcopi, presbyteri, diaconi quoad ordinem; primatus et episcopatus quoad iurisdictionem — ceteri ex Ecclesiae institutione accessere (c. c. § 3).

Inter utramque hierarchiam est realis *distinctio* at simul mutua *relatio*. Distinguuntur *origine*, nam ordo confertur ritu sacro, iurisdictio canonica missione[4] (can. 109); *proprietatibus*,

[1] *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 13 de reg.
[2] Vide supra nn. 7 et 39.
[3] Ἱερὰ ἀρχή. Nomen primo occurrit apud Pseudo-Dionysium Areop. (saec. VI).
[4] Supremo Pontificatu excepto, qui directe iure divino acquiritur.

praesertim quia illius *validus* usus numquam aufertur, istius adimi potest aut deficere; *fine* proximo. Tamen iurisdictio supponit ordinem (can. 118) et vicissim exercitium ordinis moderatur iurisdictio. Praeterea utraque ultimo originem repetit a Deo, est potestas supernaturalis, ad finem unicum, hominum salvationem, concessa.

Itaque *divisio* personarum, ratione potestatis publicae, in *clericos* et *laicos* adaequata est, et nullus alius status iuridicus datur. Ideoque etiam religiosi aut ad unam aut ad alteram classem pertinent. Sub alio respectu vero, quatenus scilicet perfectionem vitae christianae intendunt, non privatim tantum sed publice ac ex instituto, peculiarem statum efformant, propriis iuribus ordinatum: *statum religiosum* (can. 107).[1]

Fuerunt qui contenderent *unicam* esse potestatem ecclesiasticam, multo plures qui *trinam:* ministerii, magisterii, regiminis. At bipartitio, quam iam S. Thomas saepius dilucide proposuit et classica evasit in iure canonico, est omnino adaequata. Nam magisterium sacrum *auctoritative* exercetur ac doctrina religiosa ex *iuridica obligatione* est recipienda (can. 1322 § 2, 1324), ideoque haec potestas ad iurisdictionem pertinet.[2]

105. Ordo. In statum clericalem quis ingreditur per susceptionem ordinis (can. 948). Cuius octo sunt gradus: episcopatus, presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, *maiores;* acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus, *minores;* quibus praevia accedit et iuridice accensetur (can. 950) prima *tonsura.* Qui saltem hanc recepit, *clericus* est (can. 108 § 1) et *clerus* denotat universam hierarchiam ecclesiasticam, a laicis divina institutione distinctam. *Ordinatio,* seu ritus sacer quo potestas singulis ordinibus propria confertur, aut sacramentum est aut sacramentale tantum, in utroque casu tamen consideratur tamquam *medium* quo Ecclesia ad certum suum finem assequendum utitur, et proinde leges eam respicientes in libro de *rebus* continentur. At *personae,* quae in clerum assumuntur, cooptantur in peculiarem coetum ideoque *statum iuridicum* obtinent, nempe complexum iurium et obligationum singularium, quae illis *in communi* conveniunt, eoipso quod clerici sunt, licet cum aliquo discrimine inter maiores et minores. De his est nunc agendum.

---

[1] Vide infra n. 242.

[2] *S. Thomas,* II, II, q. 39, a. 3; III, q. 63, a. 2; *Conc. Trid.* sess. XXIII, c. 7; *Conc. Vat.* sess. IV, c. 4 (*Denz.* 967 et 1832); *Hergenr.-Hollw.* p. 52 s.; *Wernz,* II, p. 8 s.

Clerus (κλῆρος), sors, ut vox specifica iam sub fine saec. II occurrit.[1] Clerici, secundum Hieronymum, ita vocantur « quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars clericorum est ».[2] Significatio metaphorica in liturgia et iure recepta. Latine respondet obiective vocabulum *ordo*.

Originem divinam potestatis ordinis et utriusque hierarchiae negant protestantes, qui universale sacerdotium propugnant. Inter quos moderniores docent in primaevis communitatibus christianis nullam stabilem fuisse auctoritatem, sed eas sub directo influxu Spiritus Sancti, qui per *charismata* operabatur, ut « pneumaticas democratias » vixisse. Ab initio omnes fideles sunt aequales et, prout Spiritus in eis spirat, unusquisque sibi tribuit et exercet ministerium aut officium, ad quod se vocatum sentit, in utilitatem et aedificationem fratrum. Demum serius ex officiis charismaticis oriuntur *functiones ecclesiasticae permanentes*, natura iuridica praeditae, quae non iam ab individuali inspiratione sed ab apostolica missione suam auctoritatem repetunt. Evolutio saec. II exeunte completa est, ut corollarium evolutionis coenae in « sacrificium », et in parte sub influxu ordinationis sacerdotii iudaici et ethnici.[3]

Quae theoria negligit vel perperam interpretatur omnia antiquissima testimonia ex quibus constat vel ab exordiis charismata et ordinariam potestatem pastorum fuisse *distincta*, et illa nonnisi sub huius *vigilantia* et moderatione permissa, si fines excessissent *coercita*; eo magis testimonia quibus successio apostolica in vetustissimis ecclesiis probatur, earumque regimen hierarchicum, sine contestatione, tamquam secundum traditiones legitimum agnitum.[4]

Verum est autem, quamdiu primi conditores ecclesiarum ac missionarii peregrinantes, qui tantam partem in diffundenda nova religione habuerant, vixerunt, atque quamdiu charismata floruerunt, hierarchiam localem residentem parum eminuisse.[5] Pariter certum est, nomina ab initio et sat per longum tempus *communia* non propria et specifica fuisse, potius *operationem* quam potestatis gradum indicavisse.[6] Praesertim termini *episcopus* et *presbyter* frequentissime aequiparantur.

---

[1] ca. a. 180. *Iren.* Adv. haeres. I, 27, 1; *Hippol.* ap. *Euseb.* Hist. eccl. V, 28, 12 et Philos. IX, 12; *Tertull.* De monog. 12. Origo probabilis ex *Act. Ap.* I, 17. *Harnack*, Entstehung u. Entwickel. 79 s.

[2] Ep. 52 ad Nepot. c. 5 = c. 5, C. 12, q. 1.

[3] *Sabatier*, Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit, Paris 1904, 60-61 (ap. *Batiffol*, Église naissante 174); *Harnack*, Entst. u. Entw. 34 ss. 83 ss. et passim; *Eiusdem*, Die Mission u. Ausbreitung des Christentums[3], Leipzig 1915, I, 328 ss. 425 ss. *Loisy*, L'Évangile et l'Église, Paris 1902, 162 s., Autour d'un petit livre, Paris 1903, 252 ss. cf. decr. *Lamentabili*, 49, 50 (*Denz.* 2049, 2050).

[4] *Gal.* 1, 8; I *Cor* 12, 3 et 14, 6-33; *Didaché* 11, 2-8 et 15, 1; *I Clem.* 42, 1-4 et passim; *Batiffol*, Église 35 ss. 51 ss. 126 ss. 147 ss.; *Bruders*, La costituzione della Chiesa dai primi decenni all' anno 175, trad. Villa, Firenze 1906, 81-118.

[5] *Bruders*, 145 ss.

[6] Unde ἀπόστολοι, προφῆται κήρυκες, διδάσκαλοι ποιμένες ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι, προκαθημένοι ἡγούμενοι, πρεστῶτες, διάκονοι sunt qui mittuntur, qui exhortantur, qui annuntiant, qui docent, qui pascunt, qui invigilant, qui seniores sunt (in fide), qui praesident, qui ducunt, qui praesunt, qui ministrant, quin indicetur utrum et qualem gradum hierarchicum habeant. Quare ex solis nominibus argumentum deduci nequit. *Bruders*, 73 ss.

II. INCARDINATIO.

106. Principium. Cum clerici in servitium Ecclesiae ordinentur,[1] necesse est ut, etiam qua tales, sedem iuridicam habeant. Ius clericos vagos non admittit, sed exigit ut *omnes* vel alicui dioecesi vel alicui religioni sint adscripti (can. 111 § 1), itaque superiorem certum obtineant. Adscriptio *dioecesi*, de qua hic sermo, vocatur *incardinatio*.[2] Terminus in duplici sensu adhibetur, prout aut primam adscriptionem significat illius qui antea *laicus* erat, aut successivam *clerici* qui cum nova dioecesi vinculum contrahit, quo in casu praecedere debet dissolutio vinculi cum antiqua, *excardinatio*. *Semel* autem adscriptus *semper* adscriptus manet, nisi ad normam iuris alibi incardinetur, et quousque id non evenerit, excardinatio forte concessa inefficax est (can. 116).

Laicus incardinatur per receptionem primae *tonsurae* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit (c. c. § 2). Haec autem ea est in qua ipse domicilium originis habet vel domicilium qualificatum iureiurando, quo affirmet animum perpetuo ibi manendi.[3] Quibus positis, laicus, etsi in alia dioecesi natus et hucusque commoratus, non indiget huius Ordinarii dimissione.

Ad incardinationem *clerici* vero aliae normae vigent, et quidem diversae prout agitur de *saeculari* vel de *religioso*.

Antiquissimus Ecclesiae mos fuit, ut nemo ordinaretur nisi *ad certum servitium* in peculiari ecclesia exercendum, unde in fontibus eadem vox, ordinatio, modo ritum sacrum, modo officii collationem, plerumque utrumque indicat. Qui sedem (titulum) dereliquisset depositione vel excommunicatione plectebatur, qualis miles transfuga.[4] Clerici qui sine vinculo cum aliqua ecclesia essent *(vagi, acephali)* nullibi sacra exercere permittebantur, imo eorum ordinatio uti *iuridice irrita* habebatur. Quam legem districte confirmavit conc. Chalced. 451, c. 6 (= c. 1, d. 70) prohibens ordinationes *absolutas* et sanciens ut quispiam aut ecclesiae aut monasterio esset adscriptus. Multi posteriores canones contra clericos vagos diriguntur. Vicissim nec episcopo licebat clericum dimittere et tali modo eum vagum facere, nec alteri episcopo hunc recipere. Tamen iam illo tempore concedebatur, per exceptionem, *transitus* ab una in aliam dioecesim, obtentis ab episcopo proprio litteris dimissoriis (litt. formatis).[5]

---

[1] can. 969 § 1.

[2] Adscriptio religioni fit per *professionem*, praesertim perpetuam (can. 585).

[3] can. 956. — Ex decl. C. I. 3 aug. 1919 (ME XXXII, 57) qui ordinatur a proprio episcopo servitio alius dioecesis (ideoque iam in actu habet intentionem abeundi) incardinatur tamen dioecesi ordinantis, quapropter debet deinde excardinari et incardinari.

[4] *Syn. Arelat.* 314, c. 21; *Conc. Nicaen.* 325, cc. 15, 16; *Syn. Antioch.* 341, c. 3.

[5] c. 1, C. 19, q. 2 (Leo M. 446); c. 1, C. 21, q. 2 (Conc. Trull. 692).

At neglectis vetustis legibus et mutata in parte disciplina, durante medio aevo, multae ordinationes absolutae factae sunt et plurimi fuerunt clerici vagantes (titul. benef. simpl., patrim.). Quos ut coerceret *Conc. Trid.* sess. XXIII, c. 6 iussit «ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus». Hoc autem praescriptum, licet ab Innoc. XIII, a Ben. XIII et a Ben. XIV iterum inculcatum,[1] quatenus importat obligationem servitii in certa ecclesia (paroeciali), in desuetudinem abiit (cf. can. 128).

Arcta coniunctio clerici cum dioecesi secumferebat etiam ut nullus episcopus posset alienum subditum ordinare. Quae prohibitio primum clericos deinde etiam laicos attigit. At *consuetudine* paullatim receptum fuerat, ut episcopus proprius dimitteret clericum per *excardinationem,* alius eum incardinaret et deinde ad superiores ordines promoveret. Quam praxim ratam habuit simulque certis legibus alligavit C. C. decr. *A primis*, 20 iul. 1898 (AS XXXI, 49). Decretum *clericos* non laicos respiciebat. Sed pluribus in locis usus inoleverat ut quaedam litterae quasi excardinationis *laicis* quoque traderentur. Has illegitimas esse complures canonistae censebant,[2] quia laicus, cum non sit incardinatus ne excardinari quidem posset. Tamen C. C. 24 nov. 1906 (AS XXXIX, 600) usum approbavit, addita lege ut laicus ita dimissus formaliter incardinaretur. Ex his decretis, quae immediate ad competentiam ordinationis referebantur, normae nunc in C. generaliter pro adscriptione dioecesi translatae sunt, sed formalis incardinatio laicorum praetermissa.

107. Clerici saeculares incardinatio duplex in iure: *formalis* per actum acceptationis, praemissa dimissione, et *aequivalens* per collationem beneficii. *Haec* ad valorem exigit ut Ordinarius alienae dioecesis conferat beneficium *residentiale*[3] clerico qui a suo Ordinario obtinuerit consensum in scriptis, vel licentiam item scriptam e dioecesi discedendi in perpetuum (can. 114). Ad *illam* plura postulantur, sive ut valida sive ut licita sit.

a) Ut *valida* sit, clericus debet obtinere ab Ordinario hucusque suo litteras ab eodem subscriptas *excardinationis perpetuae* et *absolutae,* idest nulla apposita conditione nec suspensiva nec resolutiva, nec tacita nec expressa, et ab Ordinario alienae dioecesis litteras pariter ab eodem subscriptas *perpetuae et absolutae incardinationis* (can. 112). Ad utrumque

---

[1] *Innoc. XIII,* const. *Apostolici ministerii,* 23 maii 1723; *Ben. XIII,* const. *In supremo,* 23 sept. 1724; *Ben. XIV,* De syn. l. XI, c. 2, nn. 4-8.

[2] cf. *Wernz,* II, p. 67.

[3] Et *non* dicitur *perpetuum.* Attendenda est etiam nova notio beneficii (can. 1409, 1410), ut tota amplitudo huius canonis (incautis episcopis periculosi) perspiciatur.

actum competens non est vicarius generalis sine mandato speciali, neque vicarius capitularis nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu capituli (can. 113).

b) Ut *licita* sit, excardinatio facta fuerit necesse est ex *iustis causis* (can. 116), quarum sane Ordinarius dimittens iudex est, incardinatio vero ob *necessitatem* vel *utilitatem* novae dioecesis fiat. Ordinarius recipiens debet etiam providere ut clerici in maioribus, qui per mutationem titulum ordinationis amiserit, congruae sustentationi caveatur.[1] Deinde prae manibus habere oportet legitimum excardinationis *documentum,* necnon opportuna *testimonia* de clerici natalibus, vita, moribus, studiis, a Curia dimittente, sub secreto si opus fuerit, expetita et exarata. Quae obligatio maxime urget si agatur de incardinandis clericis *diversae linguae et nationis,* at neque quoad ceteros, qui ignoti sint, est parvifacienda; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia. Demum clericus, ante incardinationem, *iureiurando* declarare debet *voluntatem,* se in perpetuo servitio novae dioecesis mancipandi (can. 117). Quod iuramentum *assertorium* actualis intentionis, non promissorium est. Ideo non magis devincit emittentem quam clericos dioecesis originarios, nec excludit futuram excardinationem.

Ordinarius incardinationem perficiens tenetur quantocius de eadem priorem Ordinarium certiorem reddere (can. 116).

Iure antiquo dubium fuit an *collatio beneficii* residentialis aequivalens esset incardinationi; post decr. *A primis* certum non aequivalere.[2] Pariter disputabatur utrum *iuramentum* esset ad valorem an ad liceitatem.[3] At prorsus indubium erat – prout et nunc est – *scripturam,* cum pertineat ad formam actus, nulla alia probatione suppleri posse, sed in foro esse exhibendam.[4]

108. Religiosi. *a)* Professus *ad tempus,* qui in *religione exempta* tonsuram vel ordines minores recepit, nulli dioecesi est adscriptus, quare si religiosus esse desierit videtur fieri

---

[1] can. 980 § 1.

[2] C. C. 27 ian. 1917 (A. X, 18).

[3] Affirmativam sententiam tenuit R. in *Londonen.* 9 ian. 1912 (d. II, n. 4) et 17 apr. 1913 (d. XXII, n. 12), negativam videtur amplexa esse C. C. in *Bismarckien.* 14 dec. 1912 (A. V, 34) et sane verior apparet.

[4] R. 9 ian. 1912; C. C. 14 dec. 1912.

acephalus.[1] Qui vero *ante ingressum* in religionem saltem tonsuram receperit,[2] usque ad perpetuam professionem suae dioecesi manet incardinatus, ideoque, non renovatis votis vel obtento saecularizationis indulto vel dimissus, si in sacris sit debet ad propriam *redire* dioecesim et a proprio Ordinario recipi (can. 641 § 1, 648). Adscriptio quae, durante vita religiosa, manserat quodammodo suspensa, omnes iam suos effectus producit.

b) Professione perpetua autem quis amittit suam quam in saeculo habebat dioecesim, ea proinde aequivalet *excardinationi* (can. 115, 585). Iamvero si huiusmodi religiosus in sacris indulto S. Sedis saecularizetur, cum a votis liber superiori non amplius subditus sit (can. 640 § 1), oportet ut alicui dioecesi adscribatur, ne vagus fiat. Unde ius statuit ut sibi episcopum quaerat benevolum receptorem. *Incardinatio* huius religiosi dupliciter perfici potest, utroque modo *virtualis* est. Aut enim episcopus eum *pure et simpliciter* recipit et eoipso religiosus est dioecesi incardinatus, aut eum recipit *pro experimento*, ad unum et, si velit, ad alterum triennium, quo tamen transacto, si eum non dimittat, ipso facto incardinatus manet (can. 641 § 2).

Post incardinationem religiosus eodem iure regitur ac ceteri clerici dioecesis.

Hucusque religiosus saecularizatus censebatur esse sub directa *iurisdictione S. Sedis*, eidem vi voti obedientiae subiectus. Quae olim eum remittere solebat, iure *delegato*, Ordinario originis, serius episcopo quem ipse invenisset benevolum receptorem. Delegatio fiebat, dum episcopo committebatur exequendum rescriptum saecularizationis, inde ab a. 1906 circ. autem addita clausula: «dummodo eumdem per *formalem incardinationem* suo clero saeculari adscribat». Haec tamen non auferebat iurisdictionem pontificiam, quapropter, iniussu S. Sedis, religiosus nequibat excardinari et alteri dioecesi valide adscribi.[3] C. normis, quae hanc materiam ex integro ordinant, etiam haec limitatio sublata est.[4]

---

[1] can. 574 § 1, 964 n. 3. Si *dimissus*, reducitur quidem ipso iure in *statum laicalem* (can. 648), at legitime *egressus* clericus manet (contra *Leitner* 454, argumento tamen quod non persuadet) non autem suae dioecesi originis incardinatus, quia pro eius servitio promotus non fuit. Ideoque iste videtur in eadem conditione iuridica esse ac laicus. Quomodo autem si ad superiores ordines admitteretur incardinandus esset alicui dioecesi? Per susceptionem subdiaconatus?

[2] Vel qui in religione *non exempta* cum dimissoriis Ordinarii.

[3] C. C. 27 ian. 1917 (A. X, 18).

[4] cf. ME XXX (1918) 42 s.

Scriptura in religiosi receptione, sive pura sive pro experimento, non videtur esse ad valorem, imo per se nec ad liceitatem, praescripta.[1] Tamen haud prudens esset Ordinarius qui eam omitteret et ita se gravibus incommodis exponeret.

III. IURA ET PRIVILEGIA CLERICORUM.

109. Principia. *Omnibus* clericis, vi ipsius status clericalis, eisque *solis* quaedam iura competunt. Haec etiam *privilegia*, sensu lato, dici possunt, quia iura singularia sunt. Plerumque tamen illo nomine peculiares aliqui favores ipsis concessi (privil. canonis, fori, immunitatis, competentiae) vocantur, ceterae facultates *iura* simpliciter.

a) Soli clerici imprimis vel obtinent vel obtinere possunt potestatem *ordinis* (can. 118). Idcirco ii tantum ministeria cultus divini *ex officio* exercent (can. 948), licet aliqua minoris momenti nunc etiam laicis permittantur. Haec potestas eo maior est quo potior gradus in hierarchia,

b) Soli clerici capaces sunt potestatis *iurisdictionis* (can. 118), quam tamen *actu* non ipsa ordinatione, sed collatione officii vel delegatione acquirunt.[2]

c) Eis privative reservantur *beneficia* et *pensiones* ecclesiasticae.

d) Laicis praestant *(maioritas)*, quare clericis debetur a laicis *reverentia* (can. 119), his in functionibus liturgicis praecedunt (can. 491, § 2), specialem vestem laicis prohibitam (can. 683), specialem locum in ecclesia,[3] speciales titulos honoris habent.

Iuribus et privilegiis *renuntiare*, cum iuris publici sint, singuli clerici nequeunt.[4] At ea *amittunt*, si statum amittunt: nempe si reducuntur ad statum laicalem aut in poenam perpetuam habitu ecclesiastico privantur.[5] Recuperant vero in statum restituti, idest poena remissa, clerici denuo facti (can. 123).

---

[1] Affirmat ME l. c. at in textu huius obligationis nulla mentio. Incardinatio fit *ope legis*.

[2] *Laicis* R. Pontificem delegare posse iurisdictionem ecclesiasticam compertum est (ex. Monarchia Sicula), an *mulieribus* disputatum. In celebri c. *Dilecta* (c. 12, X. 1, 33; Honorii III, 1220), mentio fit abbatissae germanicae, quae in clericos exercebat iurisdictionem. Sed iam Glossa interpretatur esse potestatem dominativam. Abusus in c. 10, X. 5, 38 (Innoc. III 1214) reprehenduntur. Tamen historice constat quasdam abbatissas habuisse territorium *nullius* et iurisdictionem quasi-episcopalem: Conversani in Italia (usque ad a. 1751 cf. *Bizzari*, 290), Las Huelgas prope Burgos in Hispania (usque ad a. 1849?), Fontis Ebraldi in Gallia, aliae forte alibi. *Ferraris*, v. Abbatissa, 80 ss. v. Religiones, a. 4, n. 29.

[3] cf. can. 1455 § 3, 1209 § 2, 1233 § 4.

[4] Etsi eis in damnum cedant. R. 15 mart. 1910 (d. XI).

[5] can. 213 § 1, 2304.

Privilegia clericorum, omnia simul, constituunt *immunitatem personalem:* ex hac, ex *reali* et ex *locali* conflatur universa *immunitas ecclesiastica.* Haec enim definitur exemptio a communibus oneribus et obligationibus, et personis, rebus, locis sacris vindicatur. Cuius *originem* alii in iure divino, alii in iure canonico, alii in iure civili quaesierunt. At *ius divinum*, si excipias R. Pontificem qui divina ordinatione nulli humanae potestati subiectus est,[1] non continet nisi rationes quae immunitatem expedire ostendunt, legem veterem quae eam statuerat nunc abrogatam, denique fundamentum cui innixa legitima auctoritas eam statuere potest.[2] *Ius civile* disertae declarationes Ecclesiae excludunt, quae numquam vim agnovit legibus immunitati infensis; nam media ad finem suum necessaria *ipsa* decernit et statuit.[3] Immunitas itaque in iure canonico *formalem* causam efficientem habet, sed *initiative,* uti aiunt, et *fundamentaliter* iuris divini est. Quod Conc. Trid. sess. XXV, c. 20 de ref. docuit, affirmans «immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam», confirmat perpetua praxis Ecclesiae, quae saepe limitationes vel locales abrogationes immunitatis permisit, numquam principium abdicavit.[4]

Aliud est si de origine *historica* quaeramus. Leges civiles, ut plurimum, canonicis sanctionibus praecessisse haud dubium est. At id iuridice nihil refert. Tamen excipere oportet quasdam immunitates quae, ex mera liberalitate concessae, iam ab initio *mere politicae* fuerunt et tales manserunt, quas sane laica auctoritas valide, et ex iusta causa etiam licite, auferre potuit.[5]

Supervacaneum est animadvertere in causis et rebus *spiritualibus* iure divino Ecclesiae immunitatem competere: hic de temporalibus agitur.

110. Privilegium canonis est specialis *tutela* contra *iniurias reales* clericis a iure concessa. Clericus enim declaratur sacer, qui eum in corpore, libertate, dignitate laedit reus *sacrilegii* (can. 119) et illico excommunicatione plectitur. Criminaliter quattuor distinguuntur gradus huius delicti, pro dignitate personae, a R. Pontifice usque ad ultimum tonsuratum. Praeter omnes clericos, cuncti utriusque sexus religiosi, novitii, sodales societatum vitae communis privilegii participant.[6] Limites elementi subiectivi et obiectivi criminis atque poenae in singulis casibus statutae in *iure poenali* determinantur.[7]

---

[1] can. 100 § 1, 218 § 2, 1556. Vide supra n. 17.

[2] Quare haec sententia, quam *Abbas, Fagnanus, Barbosa* aliique tenuerunt, hodie ut obsoleta haberi potest.

[3] *Pius IX,* Syll. 30: «Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit». Placitum Gallicanorum et Regalistarum omnium, antiquiorum et modernorum.

[4] Sententia nunc communis et recepta. *Cavagnis,* II, 152 ss.; *Lega,* I, 329; *Wernz,* II, 166 s.; III, 146; V, 293; *Choupin,* 289 ss.

[5] cf. *Choupin,* 293.

[6] can. 567, 614, 680.

[7] can. 2343 §§ 1-4. *Chelodi,* Ius poenale, 75. Can. 119 exprimit principium generale, quod in can. 2343 in concreto applicatur. Quare verum non est (*Maroto,* I, 507) alias esse iniurias reales quae vi can. 2325 puniendae sint.

Violentas manus clericis inferre iam iure Romane *sacrilegii* crimen fuit, morte luendum (l. 13, C. 1, 3, Honor. 398; l. 33 § 6, C. 1, 3, Leo 472). Leges Germanicae, quae ob corporales laesiones compositionem imponebant, duplo vel triplo clericorum percussores mulctabant.[1] Ecclesia autem eos gravioribus poenitentiis subiiciebat, contumaces post trinam monitionem excommunicabat.[2] Haec poena inde a saec. IX ipso facto a percussore *episcopi* incurrebatur.[3] At demum saec. XII cum turbae ab haereticis excitatae (Arnoldo Brixien. aliisque) saevitias clericorum frequentiores reddidissent eadem sanctio contra percussores *cuiusque clerici vel monachi* statuta est ab Innoc. II, primum in syn. Claromontano (1130) dein in Remensi (1131) demum, iure communi, in notissimo canone «*si quis suadente diabolo*» 15 Conc. Later. II, 1139 (= c. 29, C. 17, q. 4), a quo privilegium nomen accepit. Serius magis magisque extensum, ad novitios, fratres laicos, eremitas, tertiarios.[4] Martinus V, qui omnes excommunicatos publice non denuntiatos toleratis accensuit, *notorios* clericorum percussores a beneficio exclusit.[5] Olim absolutio a censura Romae personaliter petenda erat.

111. Privilegium fori. «Clerici in omnibus *causis* sive *contentiosis* sive *criminalibus* apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent» (can. 120 § 1), qui iure proprio et *exclusivo* de eis cognoscit.[6] Privilegium, cuius etiam clericis aequiparati participant[7] et poenalibus sanctionibus est vallatum,[8] causas *temporales* spectat; spirituales enim, nedum clericorum sed laicorum, ratione obiecti foro ecclesiastico reservantur.[9] Et clericos in ius vocare tamquam reos vel accusatos prohibet ac in propria persona, non tamquam testes, aut procuratores, aut tutores, aut rei laicalis administratores. Cum vero *reus* est *laicus*, actor clericus, hic illius forum sequi tenetur. Et si conveniens reconveniatur, nequit forum laicum declinare.[10]

---

[1] cf. *Scherer*, I, 397 not. 21.

[2] syn. Mogunt. 847 (c. 24, C. 17, q. 4); Nicolaus I 858-867 (c. 23 ead.); syn. Raven. 877 (c. 21 § 3 ead.).

[3] syn. Rom. 862 aut 863 c. 14; c. 22, C. 17, q. 4.

[4] c. 33, X. 5, 39 (Innoc. III); c. 21 § 1 in VI. 5, 11 (Bonif. VIII); *Leo X*, const. *Dum intra*, 19 dec. 1516 et *Nuper*, 1 mart. 1518. — Modernae leges speciali sanctione tuentur clericum in exercitio vel sub respectu ministerii tantum. CIp. aa. 140-141; CGp. §§ 113, 167, 196; CAp. § 153: nihil in CGa.

[5] Decr. *Ad evitanda* 1418.

[6] can. 1553 § 1 n. 3. cf. *Pius IX*, Syll. 31: «Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede».

[7] can. 614, 680.

[8] ca. 2341; cf. *Chelodi*, Ius poenale, 74.

[9] can. 1553 § 1 n. 1.

[10] Doctrina hoc tradit quidem de reconventione civili, sed casus reconventionis criminalis, si excipias mutuam iniuriam, potius *theoreticus* quam practicus est. cf. can. 1691.

Quod ius e contra ei competit, si propter factum vel negotium ante susceptum statum clericalem perfectum, demum clero adscriptus conveniatur.[1]

Principium maxime, at nec exclusive nec absolute, sustinetur quoties controversia inter personas ecclesiasticas, physicas vel morales, agitatur. Si autem actor est *laicus,*[2] eo modo iuri Ecclesiae cavetur, quod *venia* conveniendi a legitima auctoritate impetranda est. Ad eam concedendam, si agitur de Cardinalibus, Legatis, Episcopis etiam mere titularibus, Abbatibus vel Praelatis nullius, supremis religionum iuris pontificii superioribus, denique ob negotia ad ipsorum munus pertinentia Officialibus maioribus Romanae Curiae, competens est sola *Sedes Apostolica;* si de ceteris privilegiatis *Ordinarius loci* ubi causa peragitur. Ius innuit etiam Ordinario quomodo opportune procedat: primūm curet ut partes amice componat, deinde, si eius opera frustra cesserit, sine difficultate expetitam licentiam tribuat. Quam imo *iure* videtur exigere posse laicus, nisi iusta et gravis causa obstet (c. c. § 2).

Clerici nequeunt quidem sponte foro privilegiato *renunciare,* at si contra canones in ius rapiantur, comparere et respondere possunt, ne quod in commodum institutum in detrimentum convertatur. Certiorem facere tamen tenentur superiorem, a quo venia obtinenda fuisset, sed aut petita aut impertita non est.

Privilegium fori in pluribus nationibus aut concordatis aut consuetudine legitime *sublatum* est.

Constantinus M. permiserat ut controversiae iudiciales, vel una parte postulante, ad audientiam episcopi deferri possent. Qua concessione Ecclesia certe usa est ut iudicibus laicis subtraheret causas *inter clericos*, dum hos iussit episcopum adire.[3] Huius forum, pro clericis, directe admiserunt leges Honorii (412), Placidiae (426) et praesertim *Iustiniani* (530). Qui voluit ut etiam *laicus* actor clericum apud episcopum conveniret, concessa tamen facultate appellandi ab huius sententia ad tribunal saeculare.[4] Causae episcoporum iampridem a Metropolitis et synodis cognoscebantur, verum hae quoque, in imperio Romano, numquam perfecte subductae sunt iurisdictioni laicorum.[5]

[1] Distinctiones antiquae doctrinae circa eum qui pendente causa civili vel criminali, cum fraude aut sine fraude, clericus factus esset, sunt obsoletae

[2] At etiam clericus, per se, potest veniam obtinere.

[3] syn. Hippon. (393) c. 9; syn. Carthag. XI (407) c. 10; syn. Chalced. (451) c. 9.

[4] l. 29, C. 1, 4; Nov. 79, 83, 123.

[5] cf. *Wernz,* V, 278 ss.

Apud Barbaros canones pariter prohibuerunt *clericos* ne inter se in iudicio saeculari contenderent, *laicos* ne ad hoc clericos sine licentia episcopi traherent.[1] At leges civiles in quibusdam tantum forum privilegiatum admittebant. Demum inde a saec. IX, pluribus ex causis et cum primis quia episcopi etiam potestatem civilem assecuti sunt, practice omnes privilegii limitationes, tam in civilibus quam in criminalibus, desierunt. Post sollemnem declarationem *Conc. Later.* III (1179), tempore Decretalium privilegium fori in tota sua amplitudine affirmatum et exercitum fuit, ab auctoritate civili subinde recognitum.[2] Sed iam medio aevo rerum publicarum moderatores illud coarctare studuerunt, recentiore aetate vero omnino sustulerunt. Ecclesia temporum necessitatibus multum concessit aut *expresse* (Concord. Bavar. 1817, Etrur. 1851, Costaric. 1853, Guatimal. 1853, Austr. 1854, Wirtemberg. 1857, Badens. 1859, Honduren. 1861, Nicaraguen. 1862, S. Salvat. 1862) aut *tacite*, permittens ut contraria consuetudo introduceretur (in Gallia, Belgio, Germania).[3]

112. Privilegia immunitatis et competentiae. *a)* Ex primo «clerici omnes a *servitio militari*, a muneribus et publicis *civilibus officiis* a statu clericali alienis immunes sunt» (can. 121). Privilegii ratio manifesta: clericus enim qui totis viribus servitio divino incumbere debet, curis et periculis alienorum negotiorum implicari nequit, eo minus si haec suae vocationi contradicant.[4] Ecclesia autem, cum sit societas perfecta, iure exigere valet ut qui ei necessarii sunt ministri libere ministerio vacare possint.

Maxime statui clericali repugnat *militia*,[5] hodie omnibus civibus non voluntaria sed coacta: hanc proinde immunitatem Ecclesia praeprimis defendit.[6] *Munera* publica non ita absolute cum clericalibus officiis incompatibilia sunt, ideoque iusta urgente causa non penitus exclusa. Tamen ius principium affirmat, ne ad ea quidem clericos *adigi* posse, praesertim quae canonice eis expresse interdicuntur (can. 139 §§ 2-4).

Immunitatem personalem, a servitio militari, ab officiis curiae, a suscipienda tutela vel curatela, a muneribus sordidis, qua fruebantur sa-

---

[1] syn. Aurelian. III (538) cc. 20, 32, 35; Lugdun. II (567) c. 1; Matiscon. I (583) cc. 7, 8.

[2] Frider. II, authent. *Statuimus* (C. Iust. ed. Krueger in append.). Adhuc in quibusdam concordatis saec. XIX.

[3] cf. *Choupin*, Immunités ecclés. in *Dict. apol.* II, 626: *Heiner*, Das Motuproprio «Quantavis diligentia» in AK XCII (1912) 270 ss. cuius conclusiones a Secr. Status confirmatae sunt.

[4] *II Tim.* 2, 4: «Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus».

[5] cf. can. 141 §§ 1-2, 188 n. 6, 987 n. 5, 2379.

[6] cf. *Pius IX*, Syll. 32: «Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero obligationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta». Nec valet obiectio, hac exemptione violari *iustitiam distributivam*: non enim solis armis patria iuvatur.

cerdotes ethnici, Constantinus M. eiusque successores etiam clericis christianis concesserunt.[1] Simile privilegium in regnis Germanorum quoque viguit. In iure Decretalium autem immunitas amplissima est et complectitur etiam exemptionem a legibus et tributis. Sed numquam perfecte sustineri potuit. Iam medio aevo enim potestas civilis constanter nisa est ut clericos communibus oneribus submitteret. Tamen usque ad exitum saec. XVIII praecipuae immunitates, a servitio militari et a publicis officiis, ubique agnoscebantur. Recentioribus temporibus vero apud plurimas nationes clerici *militiae adacti* sunt; a quibusdam muneribus publicis autem aut eximuntur aut excluduntur, non semper ex benevolo animo.

Exemptio a *legibus* et a *tributis* novo iure non statuitur. Deficiente positiva sanctione, quae unica ratio erat immunitatis, clerici eodem modo ac reliqui cives iustis legibus et tributis subduntur.[2]

b) Beneficium *competentiae* cavet honestae clerici sustentationi et proinde etiam decori totius ordinis. Clerico decocto, qui creditoribus bona cedere cogitur, tantum est relinquendum, ut *honeste vivere* valeat. Summa a iudice ecclesiastico est aestimanda (can. 122). Non tamen debitum ei remittitur, sed dumtaxat solutio differtur; unde et *cautionem* quamprimum satisfaciendi dare debet, et si ad meliorem conditionem venerit statim satisfacere cogitur. Doctrina a beneficio excludit eum qui *dolo* aes alienum suscepit aut solvendo impar factus est, necnon qui debitum in iudicio *negavit*.[3]

Practice, si causa in *foro ecclesiastico* agitur, privilegium efficit, ut iudex nequeat ultra eius terminos creditori executionem concedere. In *foro civili* clericus vindicare sibi debet beneficium competentiae quod moderniores leges omnibus civibus concedunt.[4]

Privilegium per interpretationem textuum qui illud non continent[5] et potissimum *consuetudine* inductum est. Cum enim iure Romano *milites* hoc favore fruerentur,[6] facile erat ad « milites coelestis militiae » (Glossa) eum extendere, eo magis quia in iure canonico manifestum est studium providendi ne clerici mendicare et dignitatem status abdicare cogantur (cf. can. 2303 § 2). Tum, cum debitores non solventes carcere imo censuris plectebantur, beneficium valde utile fuit.

---

[1] l. 1, 2, 7, 11, 24, 40, Cod. Theod. 16, 2; l. 1, 2, 6, C. 1, 3.

[2] cf. *Laurentius*, Instit. 105-106.

[3] Conditiones privilegii ab antiqua doctrina statutae (ex iure Rom. derivatae) etiam novo iure valere videntur, secundum principia interpretationis in C. recepta. Cautio sufficiens est *iuratoria*.

[4] CG p. c. §§ 811, 833, 850: in Austria l. 17 maii 1912; CI p. c. aa. 853 ss. (antiquatus).

[5] fr. 6, D. 42, 1 et c. 3 *Odoardus*, X. 3, 33.

[6] cf. *Arndts*, § 225.

IV. OBLIGATIONES CLERICORUM.

113. Principium. Natura ipsa et finis status clericalis postulant ut «clerici debeant sanctiorem prae laicis vitam *interiorem* et *exteriorem* ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere» (can. 124). Hoc est supremum *principium*, ex quo singulae obligationes derivantur. Ius, ut eius est ratio, sanctitatem mere *internam* actusque ad eam pertinentes non respicit, ideo nec huiusmodi praecepta continet, at sane ea quae *exteriorem* honestatem promoveant ac tueantur, licet plura actus qui *etiam interni* esse debent *(mixti)* requirant. Iamvero ne clerici suis officiis desint, alia *faciant* alia *devitent* oportet: ad illa pietas, obedientia, scientia, castitas, decus referuntur; ad haec negotia saecularia aut periculosa aut indecora aut aliena.

A. QUAE FACERE TENEANTUR.

114. Pietas. *a)* Exercitia pietatis assidue peragere, quibus se ipsos sanctos sanctitatisque fidelium aptos ministros efficiant, primum officium clericorum est. Huic fini *frequentem* peccatorum confessionem, *quotidianam* mentalem orationem, Eucharistici sacramenti visitationem, mariani rosarii recitationem, conscientiae discussionem apprime conducere, ecclesiastica documenta et piorum hominum experientia docent. Loci *Ordinarii* est curare ne clerici haec omnia negligant: cui obligationi, quae *ei* iuridica est, satis tamen facit etiam si instructionibus et exhortationibus utatur (can. 125).[1]

b) Alterum medium instaurandae vel augendae religiosae vitae maxime idoneum sunt *exercitia spiritualia*. Sacerdotes saeculares eis vacare debent tertio saltem quoque anno, ad mandatum Ordinarii, qui tempus et pium locum determinat. Obligatio omnes urget ac contumaces etiam poenis compelli possunt; neque Ordinarius generalem dispensationem concedere valet sed in casu particulari tantum, iusta de causa. Licentia *expressa* sit oportet (can. 126).

c) Denique clerici in maioribus constituti, quousque statum retinent, devinciuntur obligatione *quotidie horas canonicas*

[1] Hoc ex ipsis verbis canonis elucet («curent» cf. can. 805). Et *consulto* videtur legislator, in hac materia quae foro interno tam proxime accedit, a stricto praecepto ferendo abstinuisse.

integre recitandi, secundum proprios et probatos liturgicos libros (can. 135).[1] Quae obligatio nedum ad eorum personalem utilitatem, sed imprimis ad cultum liturgicum exercendum ordinatur: funguntur enim *munere publico* et orant nomine Ecclesiae.[2]

Horae canonicae recitandae sunt secundum *Breviarium Romanum* et proprium dioecesis vel ordinis.[3] Earum *origo* est *monastica*. Antiqui christiani consueverant hora *tertia*, *sexta*, *nona* diei preces Deo fundere, his accesserunt matutinae et vespertinae.[4] Institutis saec. IV coenobiis, etiam tribus horis *nocturnis* monachi orare coeperunt. Mox, post preces matutinas *(laudes)* aliae, *primae* horae, insertae sunt, vespertinae in duas partes divisae *(completorium)*, itaque septenarius numerus (Ps. 118 v. 164) perfectus.[5] Postquam varii libri, qui antiphonas, psalmos, lectiones, hymnos, orationes, quibus officium divinum constat, continebant in unum collecti sunt, hic Plenarium vel *Breviarium* dictum est. Unaquaeque ecclesia suum habuit; Romanum autem, ex mente Conc. Trid. emendatum, praecepto Pii V omnibus commune factum est, exceptis ecclesiis quae a. 1568 iam a duobus saeculis alio breviario utebantur et hoc retinere maluerunt (ex. gr. Benedictini). Aliarum emendationum Clem. VIII, Urban. VIII, Ben. XIV, Leo XIII, Pius X auctores fuerunt.

Obligatio horarum initio solos monachos tenuit. Synodi aliquae particulares voluerunt ut etiam clerici *publice* psallerent,[6] qui usus latius invaluit tempore Carolingico ob invectam vitam communem. Nec desunt canones qui *privatos* quoque clericos idem praestare iubeant. Dissoluta vita communi obligatio *privatae recitationis* in pluribus locis conservata est.[7] At neque in Decretalibus neque in reliquo iure medii aevi dispositio, qua clare definiatur, legitur. Potius innititur *consuetudine*, quae eam limitavit clericis in maioribus constitutis et beneficiatis. *His* sane lege scripta *(Leo X,* const. *Supernae*, 5 maii 1514, *Pius V*, const. *Ex proximo,* 20 sept. 1571) et poenis confirmata est, *illis* usque ad C. nonnisi consuetudine imponebatur.

115. Obedientia canonica. Praeter reverentiam, quae Ordinario eo iam quod superior in hierarchia est debetur (can. 119), eidem etiam *obedientiam* exhibere tenentur omnes clerici, et prae aliis sacerdotes vi quoque promissionis in ordinatione factae (can. 127). Obedientia *canonica* intelligitur,

[1] De tempore, modo, conditionibus adimplendae obligationis fuse agunt *moralistae*. Ex alio titulo eadem ligantur clerici *beneficiati* in minoribus (can. 1475 § 1) et *religiosi* professi (can. 610).

[2] Idem dicas de celebratione missae (can. 805).

[3] *Pius V*, const. *Quod a nobis*, 9 iul. 1568.

[4] *Act. Ap.* 2, 15; 3, 1; 10, 9; *Tertull*, De oratione cc. 12 et 25.

[5] cf. *Baudot*, Il breviario romano, origini e storia, trad. ital. Roma 1909.

[6] syn. Tolet. I, 400, c. 5 (c. 9, d. 92); syn. Agath. 506, c. 30 (c. 13, d. 5 de cons.)

[7] syn. Londin. 1213; syn. Trevir. 1227, c. 9.

quae tantum patet quantum potestas imperantis. Unde, seclusis penitus quae mere temporalia aut privata aut ipso iure facultativa sunt, circumscribitur ad ea quae ex lege universali aut particulari aut ex praecepto ad finem *ecclesiasticum* obtinendum legitime imposito obligatoria sunt. Quod ultra est, laudabiliter quidem praestatur ex virtute, non autem ex iuridico obedientiae officio. At in dubio *praesumptio* stat pro superiore, salvo iure recursus.[1]

Imprimis igitur Ordinarius exigere potest a clericis ut *omnia officia*, tum communia tam cuiusque, ratione muneris aut beneficii, peculiaria ad normam iuris adimpleant. In specie autem valet:

a) Eos cogere ad *suscipiendum* et fideliter implendum *munus*, quod eis committat. Qua potestate legitime utitur *quoties* necessitas Ecclesiae, cui alio modo provideri nequeat, id exigit, et *non diutius* quam necessitas durat.[2] Utriusque conditionis tamen ipse est iudex. Clerici, quos iustum impedimentum excuset, non sunt compellendi (can. 128), qui autem arbitrio suo commissum munus *derelinquere* aut, quod in idem recidit, decreto intimato *recusare* praesumerent, censuris flectendi.[3] Non enim in suum commodum, sed in Ecclesiae servitium ordinati sunt.

Necessitas curae animarum tanti fit, ut clericus, episcopo ob hanc causam contradicente, ne *religionem* quidem *ingredi* licite possit (can. 541 n. 1).[4]

b) Clericos, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, prohibere *ne* a dioecesi sine licentia *discedant*, eosdemque etiam legitime absentes, dummodo alibi non incardinatos, domum *revocare* (can. 143, 144). Utrumque ius cum

---

[1] cf. *Wernz*, II, 192; *Schneider*, Der kanonische Gehorsam in AK LXXXII (1902), 304 s. 307 ss.

[2] « Propositio ab aliquibus facta ut post verba Ecclesiae *necessitas* adderetur *vel utilitas*, vel *evidens utilitas* recepta non fuit ne occasionem praeberet arbitrio ». *Maroto*, I, 553. Sensus et vis canonis desumendi sunt ex recentiore iurisprudentia C. C. in qua praeformatus est. C. C. in *Tolosana* 9 maii 1884 (ME VII, 1, 25); in *Parmen.* 17 ian. 1886 (ibi VII, 2, 217); in *Calven.* 28 mart. 1890 (ibi VII, 2, 49); in *Foroiul.* 31 ian. 1891 (ibi VII, 1, 25); in *S. Ioannis Maurianae*, 6 aug. 1910 (A. II, 911). In hac recentissima, responsio fuit: « Affirmative, dummodo agatur de sacerdotibus viribus pollentibus et ab aliis officiis liberis, et quoadusque episcopus necessitatibus vacantium paroeciarum alio modo providere nequeat ».

[3] can. 2399. Ex quo canone *indirecte* colligitur posse episcopum vi *obedientiae canonicae* cogere clericos ne officium quod habent derelinquant. Quod pluries, his ultimis annis, responderat C. C. in alleg. decis.

[4] Imo qui iureiurando tenentur operam navare in bonum dioecesis (ut sunt omnes titulo servitii dioecesani ordinati, can. 981 § 1) *invalide* ad novitiatum admittuntur.

praecedenti manifeste connectitur, at absolute necessarium non est ut clerici *muneris* conferendi causa retineantur aut revocentur, quia etiam aliae rationes suadent ne vigilantiae sui Ordinarii se subtrahere queant. Quare ipsum ius clericis interdicit ne sine licentia *saltem praesumpta* per notabile tempus, ut puta ultra tres menses,[1] discedant, quamvis animum revertendi foveant.

Attamen, ut eum qui cum licentia alibi sedem fixit legitime revocet, Ordinarius debet *iustam causam* habere ac naturalem *aequitatem* servare (can. 144), cum primis cavere ne suo praecepto valetudinem, honorem, patrimonium clerici notabiliter laedat, et si is in alia dioecesi honestam sustentationem obtinuerit, *aequivalenti modo* ei providere. Idem, analogice, dicendum si retinere velit eum qui alio discessurus congruum beneficium vel officium assequeretur.[2]

Alieno clerico vero potest Ordinarius *denegare licentiam* ulterioris commorationis in proprio territorio, non quidem quia alienus est, sed ex alia *iusta causa*. Si autem ei beneficium contulerit, *aut* hoc ipso incardinatus est (can. 114), *aut*, si conditio aliqua ad incardinationem defuit, antequam dimittat debet eum ad normam iuris beneficio privare (can. 144).

Arcta inter clericum et dioecesim coniunctio primis saeculis eo ipso oriebatur, quod unusquisque ad servitium particularis ecclesiae ordinabatur (supra n. 106). Tamen iam saec. V legimus alicubi viguisse morem exigendi a clericis *scriptam promissionem* obedientiae, quem Leo M. reprobavit;[3] saec. VI vero, saltem in Hispania, nemo ad ordines promovebatur, qui mandatis episcopi se obtemperaturum expresse non spopondisset.[4] Saec. VIII in Italia sept. presbyteri obedientiam *iurare* cogebantur, quam novitatem, uptote contra canones ac periculosam, syn. Cabill. II (813) c. 13 proscripsit.[5] Et dum serius *promissio* obedientiae in ritu suscipiendi presbyteratus Pontificalis Romani recepta est, *iuramento* Sedes Apostolica semper adversa fuit et nonnisi ex specialibus causis et ad tempus illud hucusque permisit.[6] Hodie quoque exigi nequit ab eo qui ordinatur titulo beneficii, patrimonii vel pensionis (cf. tamen can. 981 § 1).

Notabilis *evolutio* conceptus obedientiae canonicae perfecta est his ultimis decenniis. Antiquiores doctores et iurisprudentia S. Congreg. defendebant *libertatem* clerici, praesertim ordinati titulo patrimonii, transeundi

---

[1] *Vermeersch-Creusen*, 207 et recte ex analogia; alii ultra *unum* mensem, *Maroto*, I, 556.

[2] C. C. 14 aug. 1880; in *Amerina* 17 iul. 1756; in *Nucerina* 19 sept. 1818 (ap. *Oietti*, Synopsis, v. *Clerici* 1204, 1206).

[3] c. 3, X. 1, 33 (Leo M. 446).

[4] syn. Tolet. XI, 675, c. 10 (= c. 6, d. 23).

[5] *Scherer*, I, 445, not. 57.

[6] C. Ep. et Reg. 20 dec. 1859 (*Oietti*, l. c. 1204).

ab una in alteram dioecesim et non suscipiendi officium vel beneficium ab episcopo oblatum. Cum autem, novis temporibus, imminutus numerus ministrorum et auctae in dies necessitates pastorales postularent ut omnes clerici episcopo praesto essent, recentior iurisprudentia ambitum obedientiae canonicae ita ampliavit, ut utraque illa libertas tolleretur. Quod nunc in C. confirmatur.

116. Scientiam necessariam esse clero, praecipue hac nostra aetate, nemo non videt. Quare, novo iure, non solum scientifica institutio ordinandorum amplior et accuratior exigitur,[1] sed etiam recepto sacerdotio *ne studia intermittant* clerici monentur. Studia *sacra* praeprimis, et ratio patet; at humanarum artium et scientiarum non prorsus esse clericos ieiunos, dum laici toti in iis incumbunt, et illos decet, et traditionibus ecclesiasticis est apprime conforme, et religioso ministerio haud parum confert.[2] In sacris disciplinis autem clerici sectentur oportet *doctrinam sanam*, a maioribus traditam et in catholicis scholis communiter receptam, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam (modernismum). Cui normae (can. 129), quam paraeneticam potius dixeris quam iuridicam, duae aliae stricte *iuridicae* accedunt, quae poenalibus etiam sanctionibus roborantur.[3]

a) Examen in disciplinis theologicis, singulis annis saltem *per triennium*, a sacerdotibus qui studiorum curriculum expleverunt, subeundum est (can. 130 § 1). Tempus, modus, materiae, examinatores (synodales aliive)[4] ab Ordinario determinantur. Nemo *eximitur*, etsi paroeciale vel canonicale beneficium assecutus sit, potest tamen Ordinarius ob iustam causam, sive ex integro sive in parte, aliquem dispensare. Scientiae his periculis probatae *ratio habenda* est in collatione officiorum et beneficiorum (c. c. § 2), etiam paroecialium, quamvis examen concursus, ubi iure requiritur, supplere non valeant.[5]

b) Saepius in anno, in urbe episcopali et in singulis vicariatibus foraneis, habendi sunt conventus seu *conferentiae*

---

[1] can. 1364, 1365.

[2] *Conc. prov. Salisburg.* 1906, n. 294 commendat studium historiae, scientiarum naturalium, iuris et litterarum.

[3] can. 2376 et 2377.

[4] can. 309 § 2. — Examen hoc, novum iure communi, iam inductum erat in pluribus dioecesibus. In Tridentina inde ab a. 1904. cf. Constit. de cleri studio promovendo §§ 18 ss. (Raccolta di istruz. e costit. dioc. Trento 1913, 107). Examen per *4 annos* subeundum est. Nemo eximitur, ob graves rationes dumtaxat conceditur ut differatur. Qui « cum eminentia » illud superant dispensantur, eo anno, ab examine pro obtinenda iurisdictione poenitentiali.

[5] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573).

casuum (can. 131). Quibus interesse debent tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi etiam exempti curam animarum gerentes;[1] reliqui religiosi tantummodo si facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt *et* in suis domibus similes conferentias non habent. Si conventus celebrari difficile sit, iidem omnes scriptas solutiones, secundum normas ab Ordinario statuendas, mittere tenentur. Ab utraque obligatione nemo liber est, qui *expressam* exemptionem ab Ordinario non acceperit.[2]

A quo etiam *dies* conventus, immediate vel mediate, praestituuntur; *res,* de qua agendum, est plerumque *moralis* et *liturgica,* at nihil prohibet quominus Ordinarius alias exercitationes addat, quas opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.

117. Castitas, ab omnibus clericis custodienda, duplicem obligationem affert: alteram *negativam,* abstinendi a nuptiis, alteram *positivam,* morum puritatem servandi.

a) Utraque etiam *clericos minores* devincit: at *illa conditionate,* unde si nubere velint, valide quidem et licite faciunt, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso facto e statu clericali decidunt (can. 132 § 2); *haec,* iure canonico, quoad *exteriores* actiones tantum, ita tamen ut in poenam dimitti possint.[3]

b) In *clericis maioribus* autem gravior est obligatio. His enim *coelibatus absolute* impositus est, quocirca nec licite nec valide matrimonium contrahere valent.[4] Praeterea *perpetuam* et *perfectam castitatem* servare tenentur, ita ut contra hanc, actibus vel internis, peccantes etiam virtutem *religionis* violent et *sacrilegii* rei fiant (c. c. § 1). Nam clericus, qui sub alia ratione iam est, ex instituto Ecclesiae, persona *sacra* (can. 119), in susceptione subdiaconatus in ordine quoque ad continentiam servandam *publica auctoritate* totus Deo dicatur. Quo facto, positiva canonica dispositione ab eo ultro acceptata, quemcumque abusum huius rei sacrae, corporis vel

---

[1] Habitualiter: parochi, vicarii et similes.

[2] In dioec. Trident. (Const. all. §§ 39 ss.) conferentiae a longissimo tempore in usu sunt: *quater* in anno, sed in unaquaque tres casus solvuntur, viva voce et scripto, a *scribendo* eximuntur canonici eccl. cathedr., Curiae officiales, professores s. theol., decani et omnes sacerdotes sexagenarii.

[3] can. 2358.

[4] can. 1072.

mentis, committat, *sacrilegus* est dicendus, haud secus ac qui alia persona vel re consecrata abuteretur. Quod si *votum* voveat, id adhuc evidentius est.

Viri *uxorem habentes* ab ordinibus arcentur.[1] Si autem coniugatus, licet bona fide sed sine apostolica dispensatione, ordines sacros susceperit, ab eorum exercitio interdicitur (c. c. § 3) et nihilominus usu matrimonii privatur.[2]

c) Ecclesiam a suis clericis continentiam *exigere posse* et convenientissime *exigere* in comperto est. Nam coelibatus et physice *possibilis,* et ethice *honestus,* et religiose statu matrimoniali *praestantior,*[3] et naturae ac muneribus christiani sacerdotii apprime *conformis* est. Purius et dignius enim *sancta* (Eucharistia imprimis) tractantur a continentibus; animarum *procurationi* alacrius et expeditius operam navant qui a familiae curis sunt immunes; Ecclesiae *libertas* a militibus de uxore ac prole sollicitis non bene defenditur;[4] *pauperum* patres, *bonorum* ecclesiasticorum iusti administratores difficilius erunt qui *suis* providere debeant.[5]

Fuerunt qui dicerent coelibatum esse institutionis *divinae* aut saltem *apostolicae.* Neutrum verum est. Non *illud,* quia *praeceptum* Christi ignotum, ex natura rei autem matrimonium non est cum sacerdotio incompatibile, uti Graeci ostendunt. Non *hoc,* nam de lege apostolica universa traditio trium priorum saeculorum silet et contrarius usus, nullo reclamante, receptus fuit. Sed tum Veteris Testamenti caeremonialia praecepta, tum potissime Christi doctrina, consilium et exemplum, apostolorum exhortationes et agendi ratio[6] tot causae fuerunt, ut multi pastores *sponte* statum continentiae eligerent, qui iam in primitiva Ecclesia peculiarem dignitatem et auctoritatem conferebat.

Ex qua praxi *iuridica consuetudo* exorta est, ut qui coelebs ordinatus esset non amplius nuptias inire posset. Coniugati autem in clerum adlecti matrimonio uti permittebantur,[7] Conc. Nicaenum dicitur hanc libertatem sanxisse.[8] Et haec disciplina, quoad substantiam, in *Ecclesia*

[1] can. 987 n. 2.

[2] Can. 132 § 1 enim non distinguit. cf. can. 1114. At si uxor ius suum non amisit, haberetur conflictus officiorum, et vir iste reddere cogeretur.

[3] Conc. Trid. sess. XXIV, c. 10.

[4] Dictum Greg. VII tributum: «Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi clerici liberentur ab uxoribus» est tamen apocriphum.

[5] *Poenae* in coelibatum violantes: can. 2388 § 1, 188 n. 5, 2359 §§ 1-3. 2176-81. *Chelodi,* Ius poenale, 85-86, 102.

[6] *Matth.* 19, 12 et 16-30; *I Cor.* 7, 32-38; *II Tim.* 2, 4.

[7] syn. Neocaes. (314-325) c. 1; syn. Gangr. (343) c. 4; Canones apost. 5 et 50. At diaconus poterat in ordinatione sibi uxorem ducendam reservare, syn. Ancyr. (314) c. 10. cf. cc. 8, 9, 14, 15, d. 28.

[8] Historia Paphnutii in conc. Nicaen. *(Socrates,* Hist. eccl. I, 11 ap. *Kirch,* 850 s.) a quibusdam in dubium vocatur.

orientali mansit, a Conc. Trullano (692) confirmata. Episcopi omnino abstinere debent, item omnes qui innupti diaconatum suscipiunt aut post susceptum uxorem amittunt, reliqui matrimonio ante contracto uti valent.

In *Occidente,* e contra, syn. Eliberit. (ca. 300) c. 33 imposuit «*episcopis, presbyteris* et *diaconibus* vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis..., quicumque vero fecerit ab honore clericatus exterminetur». Hoc ius late invaluit, ab aliis synodis et R. Pontificibus (Syricio, Innoc. I, Leone I, Greg. M) contra tenaces oppositiones iterum iterumque inculcatum atque ad subdiaconos extensum.[1] Monachismus et vita canonica clericorum observationem faciliorem reddiderunt. At exeunte saec. IX generalis ruina vitae religiosae et civilis effecit ut fere omnes clerici, episcopis non exceptis, aut uxores aut concubinas haberent. Huic morum dissolutioni pontifices *reformationis gregorianae,* inde a saec. XI, bellum indixere et gravissimis spiritualibus ac temporalibus sanctionibus notabile remedium attulere. Conc. Lat. II 1139 *impedimentum dirimens* ordinis sacri, iampridem forte existens, indubium reddidit. Quotiescumque autem serius coelibatus ab haereticis vel a catholicis impugnatum est, Ecclesia illum constanter defendit.[2] In casibus particularibus subdiaconos et diaconos crebro ac sine magna difficultate *dispensavit* (cf. can. 1043 ss.), presbyteros subinde ex gravissimis causis, episcopum nullum umquam dispensasse notum est.[3]

Antiqua est *controversia,* utrum obligatio immediate ex *voto* an ex *lege ecclesiastica* derivetur.[4] Olim certissime votum *expresse* emittebatur, deinde cum id non amplius fieret, multi canonistae decuerunt *tacite* in ordinatione contineri. At alii negabant *(Glossa* ad c. 6, X, 3, 3). Ex definitione Conc. Trid., sess. XXIV, c. 9 nihil deduci potest, quia in concilio «nec proposita fuit ea quaestio, nec a patribus disputata, sed verba tantum Lutheri posita — non obstante lege ecclesiastica vel voto — cuius error, ipsius verbis positus, iuste fuit a patribus damnatus».[5] Recentiora documenta, quae rem dirimant, non habemus. C. de «voto» nullibi, sed quoties occurrit, de «obligatione coelibatus» loquitur.[6] Quod sane *saltem* ostendit legislatorem controversiam definire noluisse.[7]

---

[1] cf. c. 1, d. 28; cc. 1, 4, 10, d. 31; cc. 1, 2, 13, d. 32; cc. 2, 3, 4, d. 82; c. 3, d. 84.

[2] *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 9 contra impugnationes novatorum et petitiones principum (Ferdin. I et Alberti V); *Bened. XV,* ep. ad Card. Csernoch, 12 mart. 1919 (A. XI, 122); ep. ad archiep. Kordac 3 et 29 ian. 1920 (A. X, 33 et 57): «umquam futurum esse ut eam (coelib. legem) haec Apostolica Sedes abolere aut mitigare velit».

[3] Episcopi qui matrimonium contraxisse leguntur *aut* consecrati non erant (ex. gr. episc. Tridentinus Sigismundus † 1665 et eius pater Leopoldus ep. Passaviensis) imo simplices tonsurati, *aut* suo arbitrio egerunt (Talleyrand, qui obtinuit quidem a Pio VII reductionem ad statum laicalem sed sine licentia nubendi).

[4] cf. *S. Alphons.* Th. mor. III, 808, (ed. *Gaudé,* III, 804); *Chelodi,* Ius matrim. 82.

[5] Decl. card. Varmiensis, legati. *Theiner,* Acta genuina Conc. Trid. Zagabriae s. a. (1874) II, 475. At ex tota disceptatione conciliari clare apparet, duas fuisse inter patres sententias; propositio omittendi verba «lege ecclesiastica» et altera explicite ponendi «voto continentiae sacris ordinibus adnexo» non fuerunt approbatae. *Theiner,* 321 ss. 331. Item propositio ponendi *et* loco *vel* (ibi 351).

[6] Tamen ex. gr. in can. 132 § 1 facile fuisset brevius ac clarius dicere: «et servandae castitatis voto perpetuo tenentur». Latinitas canonis prodit studium eludendi quaestionem.

[7] At *Leitner,* Handbuch des kathol. Kirchenr. I (Regensburg 1918) 219 putat Codicem clare «obligationem mere ex lege» enunciare. Alii ex eisdem verbis praecise oppositum deducunt *(Badii,* 115 not. 2). Alii rem in medium relinquunt (*Verm.-Creus.* 204).

118. Cohabitatio cum mulieribus. *a)* Castitatis necessarium praesidium est cavere a mulieribus. Clericis licet cohabitare cum matre, sorore vel huiusmodi consanguinea, *aut* etiam cum extranea a qua spectata morum honestas, cum provectiore aetate coniuncta,[1] omnem suspicionem amovet (can. 133 § 2). Alias, de quibus *suspicio* esse possit, tum apud se retinere tum quoquomodo frequentare prohibentur (c. c. § 1).

Itaque cohabitatio iuridice tria complectitur: mulierem domi retinere, *frequenter* domi recipere aut extra domum, ubicumque, frequenter invisere. Ordinarius nequit quidem clericos iubere ut cum *nulla* muliere habitent, at amplissima praeditus est potestate ad arcendas mulieres *suspectas*. In peculiari casu etiam consanguineam, honestam, aetate provectam, si *ipse* iudicat vel incontinentiae adesse periculum vel scandalum, suspectam declarare, eiusque retentionem vel frequentationem prohibere potest (c. c. § 3). Et quamvis fallatur, in foro externo tamen quod decrevit vim obtinet: clericus mandato non obtemperans *iuridice* praesumitur concubinarius (c. c. § 4) et concubinatus poenis afficitur.[2]

Est disciplina iam a Conc. Nicaeno, c. 3 (c. 16, d. 32) inducta. Clerici illius temporis non coniugati consueverant sibi adsciscere mulierem in matrem, sororem vel filiam spiritualem, cum qua habitabant *(agapetae, subintroductae)*. At non semper spiritus fortior erat quam caro, aut saltem suspiciones oriebantur. Inde prohibitio, saepius dein iterata; usus tamen longo adhuc tempore duravit.

Posterior legislatio et doctrina *ancillis* aliisve *feminis* canonem applicavit, at cum haud facile sit normas singulis casibus aptas statuere, merito institit criterio *existentis* vel *non existentis suspicionis*.

b) Continentiae clericorum fovendae historice multum contulit *vita communis*. Et aliis quoque virtutibus exercendis opportuna et facilis occasio in ea invenitur. Unde manifesta est ratio cur ius eam laudet et suadeat, et ubi viget servari velit (can. 134), quamvis verum praeceptum non det. Vita communis hic intelligitur non quae inter sodales certis regulis et superiore, licet sine votis, instituitur,[3] sed quae habetur ubi parochus cum cooperatoribus aliisve sacerdotibus, magistri seminarii, presbyteri stipendia emeriti etc. simul, sed

---

[1] *Conc. prov. Salisburg*, n. 287: «extraneae vero ancillae, quibus in domo sua indiget, non sint nisi famae integrae et saltem oeconoma *primaria* quadraginta vel ad minimum *triginta quinque* annorum».

[2] can. 2176-2181, 2359 § 1. *Chelodi*, Ius poen. 86.

[3] De qua can. 673 ss.

nullo iuridico *vinculo* constricti, degunt. Haec forma vitae communis in pluribus locis servatur, in aliis aut inusitata aut forte impossibilis est. Nec videtur episcopus ius habere eam *imponendi* ubi contraria consuetudo hucusque obtinuit.[1]

Vitae *communis* seu *canonicae* institutor S. Eusebius Vercell. († 371), in tota Africa propagator S. Augustinus fuit. Omnes clerici in urbe degentes eadem cum episcopo domo et mensa fruebantur. Eodem modo, sequentibus saeculis, in quibusdam ecclesiis Hispaniae et Galliae, Romae in palatio Lateranensi, clerici coniuncti vivebant At praecipue saec. VIII institutum fere ubique receptum est, *Chrodegangus* ep. Metensis († 766) regulam composuit,[2] et nedum apud omnes cathedrales ecclesias sed apud alias canonica vita ducebatur. Haud multum tamen duravit. Iam saeculo sequenti saparatae praebendae constitutae sunt et primo communis habitatio dein mensa derelicta. Reformatores gregoriani etiam vitam canonicam restituere voluerunt.[3] Revera plures quidem congregationes canonicorum *regularium* tunc ortae sunt, *saeculares* vero eam non admiserunt. Etiam serius ex experimentis saepius factis semper societates extiterunt quae religiosis accedunt vel religiosae sunt (Oblati S. Caroli, Oratoriani S. Philippi Neri, Fratres doctrinae christ., Lazaristae S. Vincentii a Paula, Sulpiciani, Eudistae, Societas de Pic-pus, Maristae, Rosminiani, Bertoniani etc.).

119. Habitus. Clerici proprium habitum habent, qui eis decus affert et dignitatem. Eo indui est igitur ipsorum *ius* exclusivum (can. 683),[4] sed simul *obligatio.*

a) Iure communi statuitur ut vestis sit *ecclesiastica,* ideo diversa a laicali, et *decens,* idest statui et conditioni clerici conveniens. Eam propius determinare remittitur *iuri particulari.* Unde servandae sunt legitimae locorum consuetudines aut statuta provincialia vel dioecesana (can. 136 § 1). Haec altera *Ordinarius* potest, quoties opportunum duxerit, mutare imo etiam provincialia et consuetudines, at non sine *iusta* causa.[5] In regionibus Europae meridionalibus mos est ut deferatur vestis usque ad talum pertingens et nigri coloris, in septentrionalibus et alibi vestis brevior et saltem suboscura. In functionibus *liturgicis* autem semper vestis talaris adhibenda est.[6]

---

[1] C. C. 25 ian. 1895 *(Oietti,* v. Clerici n. 1208).

[2] In regno Francorum etiam ut lex civilis promulgata. Textus ap. *Galante* 242.

[3] Conc. Romana Nicol. II 1059 et Alex. II 1063.

[4] Cuius privatio aestimatur *poena gravis,* cum secumferat amissionem iurium et privilegiorum, can. 2300, 2304.

[5] C. Cons. 31 mart. 1916 (A. VIII, 148).

[6] can. 811 § 1.

b) Clerici debent praeterea gestare *tonsuram* seu coronam, nisi contraria consuetudo aliter ferat (v. c. apud populos Anglo-Saxones) et *simplicem cultum capillorum* adhibere. Nec prolixam et incultam caesariem igitur, instar silvicolarum, nec comptam et fucatam comam more mulierum. Coma adscititia uti, in actionibus sacris sine apostolica venia non licet;[1] extra, si valetudinis vel decoris causa fiat, *nullius* licentia requiri videtur.[2]

c) Barbam alere iure communi nec iussum nec vetitum est. Cum autem ad externum corporis cultum pertineat, dicendum est Ordinarii competentiam non excedere sive eam permittere sive prohibere.[3] Hucusque, ex consuetudine, barbam radere erat «moderna et vigens ecclesiae latinae disciplina»,[4] quam omnes clerici sequi tenebantur.

d) Usus *annuli* est clericis universim interdictus et reservatur episcopis, abbatibus, praelatis, doctoribus rite creatis, eisque qui aut privilegio apostolico aut legitima consuetudine ius sibi acquisierint (c. c. § 2).

Obligatio decentis habitus ecclesiastici urgetur *poenalibus* sanctionibus. Clerici *minores* qui sine iusta causa et sine licentia vestem ac tonsuram dimiserint *monentur* ab Ordinario, contumaces post mensem ipso iure e statu clericali decidunt (c. c. § 3). Clerici *maiores* variis poenis gradatim subduntur, usque ad depositionem.[5]

Per quattuor saecula clerici eadem ac laici veste usi sunt. Cum autem breviores vestes barbarorum paullatim *longioribus Romanorum* sufficerentur, clerici traditionis et dignitatis causa has retinuerunt. Ex consuetudine facti exortum est ius, in synodis saec. VI et deinde saepissime confirmatum. Semper tamen in hac re consuetudini multum concessum est. Etiam *Conc. Trid.* nonnisi in genere habitum ecclesiasticum convenientem praescripsit; qualis esset *arbitrio episcopi* remisit. Idem principium nunc in C. sancitur.

---

[1] C. R. 4 apr. 1699 n. 2027. cf. can. 811 § 2.

[2] Antiqua doctrina enim quae *licentiam Ordinarii* requirebat, mores aliorum temporum, cum falsi crines ad ornamentum capitis non ad tegumentum assumebantur, prae oculis habuit. cf. *Ben. XIV*, de syn. l. XI, c. 9.

[3] Hoc tenuit C. C. in *Wratislav.* 20 ian. 1920 (A. XII, 43 ss.) et logice omnino, vi can. 136 § 1. Ex qua decisione quidam (ME XXXII, 108) ulterius inferre voluerunt Ordinarium non habere ius barbam permittendi. Quod non credimus, quia argumenta in relatione secretarii allata (quae sane non necessario rationes decisionis sunt) non multum probant. cf. supra p. 95 n. 8.

[4] Litt. Nuntii apost. Monac. 4 maii 1863, iussu Pii IX (A. XII, 45).

[5] can. 2370; *Chelodi*, Ius poen. 97, 4.

Barba alternas habuit fortunas. Apud antiquos, praesertim in Oriente, eximium ornamentum virile censebatur, ideo clericis prohibitum fuit eam radere, quae prohibitio etiam in Occidente longo aevo viguit. Antiquissima numismata episcopos et Rom. Pontifices plena barba ornatos ostendunt. Inde a saec. XI circ. mos barba *radendi* invaluit. Saec. XVI clerici iterum barbam promiserunt; Iulius II ut maiorem intuentibus reverentiam incuteret prolixam aluit. At saec. XVII exeunte (ab a. 1680 circ.) aula Ludov. XIV morem radendi denuo pro laicis invexit, quos clerici statim imitati sunt.

B. QUAE VITARE TENEANTUR.

120. Indecora. A quibusdam clerici interdicuntur quia eos *dedecent*, ab aliis quia curis saecularibus nimis implicant, periculis exponunt, ab officiis eos *distrahunt*. Et primo prorsus abstineant oportet ab omnibus quae statui indecora sunt (can. 138). *Statui* dicitur, nam multa quae laici, vel saltem humilioris conditionis homines, sine nota facere possunt, clerico omnino non conveniunt. *Generalis* regula profecto ab Ordinario singulis casibus, si opus fuerit, aptanda est. Iure communi huc veniunt:

a) Artes indecorae. Quaenam hae sint non statuitur. Certe quae iam olim prohibitae erant clericis: histrionis, macellarii, tabernarii hodie quoque tales aestimandae sunt et ab his similes dimetiendae.

b) Aleatorii ludi. Hi omnes sunt in quibus a *fortuna* potissimum lucrum pendet. Cuius immodicam cupidinem cum primis prohibitio cavet; ideo vetantur tantummodo si exposita *pecunia*, et quidem non minima, fiant et non una vel altera vice sed saepius, quasi ex consuetudine. Si autem in ludo *ars* suam partem habet, ut puta in plerisque ludis chartarum, moderatus usus permittitur.

c) Venatio. Duplex distinguitur: *clamorosa* quae in multorum societate magno armorum et canum apparatu ac tumultu ad maiores feras capiendas exercetur, et *quieta* quae laqueis, retibus aut etiam armis sed paucis canibus ad occidendas minores feras;[1] *illa* clerico numquam licet, *huic* non adeo incumbere debet ut eius ardore totus corripiatur et officia negligat («ne indulgeat»).[2]

---

[1] Definitiones utriusque totidem fere verbis leguntur ap. *Ben. XIV*, De syn. l. XI, c. 10, n. 8.

[2] « An episcopus prohibere possit suis clericis venationem etiam non clamorosam poena suspensionis ipso facto incurrenda? — *Negative*, nisi graves et speciales adsint rationes ». C. C. 11 iun. 1921 (A. XIII, 498).

d) Tabernas ingredi. Sane hoc subinde necessarium est, v. c. in itineribus, quo in casu nulla prohibitio; subinde utile et rationabile ex variis honestis causis. Quae tamen ab *Ordinario* probatae sint oportet, *saltem* tacito vel legitime praesumpto assensu.

e) Arma gestare. Nisi iusta timendi causa subsit; nemo enim naturali iure se defendendi privari potest. Eo magis autem vetitum est *militiae* sponte nomen dare, intestinis bellis ac ordinis publici perturbationibus operam quoquo modo ferre (can. 141 § 1). Haec omnia cum studio pacis et spiritu lenitatis, cuius ministri Christi praedicatores et exemplaria esse tenentur, aperte pugnant. At ubi clerici servitio militari obligantur, possunt voluntarii sese ante tempus offerre, ut citius liberi evadant. At id tamen *licentia Ordinarii* necessaria est.

f) Spectacula, pompae, choreae. His prohibentur interesse tum *passive* tum, a fortiori, *active.* Iuris communis interdictum urget tantum si *aut* spectacula *indecentia* sint *aut scandalum* oriatur (can. 140), iure particulari severiora praecepta interdum vigent, quae a quolibet prorsus spectaculo *publico* clericos arcent.

121. Aliena. Clerici «ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu *aliena* sunt» vitare tenentur (can. 139 § 1). *Altera* norma *generalis;* cui ius commune peculiares quasdam subnectit. Nequeunt clerici:

a) Sponsores fieri pro aliis, etiam de patrimonio *privato* (nam bona beneficialia et patrimonium sacrum nulli oneri submitti posse aliunde est), sine licentia Ordinarii (can. 137).

b) Medicinam vel *chirurgiam* exercere, etiamsi in arte periti et approbati (can. 139 § 2). At nec studium prohibetur, nec consilium aegrotis datum gratuito et sine periculo, nec exercitium quoque in casu necessitatis.

c) Officium publici *notarii* agere, nisi in Curia ecclesiastica.

d) Munera publica assumere, quae secumferant exercitium *iurisdictionis* vel *administrationis* laicalis: v. c. iudicis, magistratus, praesidis provinciae, ministri Status. De aliquibus officiis dubium esse potest utrum vetita necne, cum *directum* iurisdictionis vel administrationis exercitium non contineant. Si norma ex antecedenti doctrina interpretanda sit, haec at-

tingere non videtur.[1] *Administratio* autem est vox aequivoca: hic intelligenda est ea, qua cives *reguntur* vi potestatis quae a modernis vocatur praecise «administrativa» (politica) et ex legislativa profluit.[2]

Ut clericus medicinam, chirurgiam, tabellionatum, officia publica exercere queat requiritur *indultum apostolicum.*

e) Gestiones inire *bonorum* ad laicos pertinentium aut *officia saecularia* quae onus reddendarum rationum secumferant;[3] munus *advocati* aut *procuratoris* exercere in foro civili, nisi quando agatur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali *iudicio criminali,* gravem personalem poenam prosequente, partem quamcumque habere, ne testis quidem accusatorii, si non adigantur. *Ordinarius* tamen ad haec omnia licentiam concedere potest (c. c. § 3).

f) Munus *senatoris* aut *deputati* sollicitare vel acceptare. In Italia, ut id eis liceat, necessaria est venia S. Sedis, aliis in locis assensus *tum* sui Ordinarii *tum* Ordinarii loci in quo electio facienda est (c. c. § 4).[4]

122. Negotiatio, latissime, est *habitus* emendi et vendendi. Non igitur semel vel iterum tantum. Porro tria eius genera distinguuntur: *mercatura, industria, cambium. Illa* si res emitur ut carius immutata vendatur; *ista* si res empta et arte mutata pluris venditur, *hoc* si merx qua commercium fit est pecunia. Ex fine autem, ob quem negotiatio exercetur, alia dicitur *oeconomica,* alia *lucrativa,* alia *politica.* Oeconomicam exercet paterfamilias qui ea quae ex bonis propriis percepit vel sibi suisque comparavit, quia superflua sunt aut favorabilis obtingit occasio, etiam carius vendit. Politicam qui sine

---

[1] Ex. gr. consiliarii provinciales suo *suffragio* iurisdictionem vel administrationem exercent, quia negotia per vota maiora decernuntur. Si dispositio can. 139 § 2 eos respiceret, sequeretur ut clericus indigeat *apostolico* indulto ad suscipiendum munus consiliarii prov., dum plerumque sufficit licentia *Ordinarii* ut deputatus aut senator fieri possit.

[2] Quod elucet si conferatur huius can. § 2 cum § 3 ubi de administratione *oeconomica,* etiam publica, sermo est. cf. supra n. 20. Potestatem *administrativam politicam* exercent adsessores provinciales in novis provinciis Italiae.

[3] Huc veniunt (praeter alia) munia *praesidis, moderatoris, secretarii, arcarii* horumque *similia* in societatibus oeconomicis catholicis, ad quae obeunda post decr. C. Cons. *Docente Apostolo,* 18 nov. 1910 (A. II, 910) necessaria erat licentia apostolica (C. I. 2/3 iun. 1918, A. X, 344); et subsumi posse videntur omnia *officia municipalia.*

[4] Sed quis Ordinarius loci si electores per *plures dioeceses* distribuuntur, ut facile evenire potest ubi systema viget, quod vocant, proportionale? Casus non expresse praevisus duplicem admittit solutionem: *aut* omnes consulere Ordinarios *aut* illum tantum cui subest locus in quo lege centrum electionis est. Hoc alterum sufficere videtur.

personali quaestu in publicam utilitatem negotiatur. Lucrativam denique qui lucri causa. Haec est propria, ceterae impropriae, quia negotiatio ordinatur ad lucrum.[1]

Iamvero negotiatio *oeconomica,* utpote prudens rei domesticae administratio, clericis nedum permissa sed praecepta est, praesertim si agatur de bonis ecclesiasticis eorum curae commissis. Cavendum tamen ne clericale *decus* laedatur.[2] Ceterum autem «prohibentur clerici *per se* vel *per alios* negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem» (can. 142). Unde vetita est:

a) Mercatura proprie dicta, necnon *cambium* et quivis ludus collybisticus.[3]

b) Industria, si res empta immutetur *conductis* operariis. At si *aut* naturaliter *aut* ipsius clerici arte et labore *aut* per operarios quidem sed res sua immutetur, negotiatio exulat.[4]

c) Politica, sive mercatura sive industria sive cambium, etiamsi ad finem religiosum vel caritativum vel socialem exercetur.

Nihil interest utrum clericus *personaliter* an per alios negotietur. Et si ei negotium ex successione obvenerit, quod sine detrimento dimittere nequit, opus est *S. Sedis dispensatione,* ut per procuratorem illud exercere possit. *Necessitas* autem a lege eximit, sed quamprimum aut declaratio aut licentia a legitima auctoritate petenda est.

Hodie plurimae sunt *societates,* quae negotiorum omne genus agunt. Hae, pecuniis colligendis, *obligationes* emittunt et *actiones.* Obligationes qui emit creditor fit societatis et certam usuram percipit. Quod clerico nullo iure vetitum est.[5] *Actiones* sunt partes patrimonii socialis et maius minusve lucrum afferunt prout negotium bene vel male cedit. Utrum *has* emere liceat, non una sententia. Quidam inter societates distinguunt: actiones societatis industrialis sensu lato (viae ferreae, fodinae) certe, industrialis sensu proprio dubitantes permittunt, commercialis interdicunt. Sed moderno iuri con-

---

[1] *D'Annibale,* III, 155. Sed propria dicitur etiam *mercatura* in oppositione ad *industriam.*

[2] cf. can. 1522-1524.

[3] *Giochi di borsa, jeux de bourse.* S. O. 15 apr. 1885 (ap. *Ball.-Palm.* IV, 478).

[4] Quamobrem licet mustum emere ut vinum factum, oves ut postea saginatas vendas, et saginatas sive ex tuis pascuis sive ex fructibus emptis. Licet vendere ex panno vel ligno emptis confectum a te vestimentum aut vas. Licet emere praedia, ut fodinas in eis existentes exerceas, instituas, etiam ope aliorum. *D'Annibale,* III, 155 not. 5 et 9.

[5] can. 1543.

formius videtur *omnes permissas* censere dummodo societas honesta sit et clericus in eius administratione nullam partem habeat.[1]

Contra clericos negotiatores Ordinarius procedere potest *poenis* arbitrariis.[2]

A negotiis et oblectamentis saecularibus Ecclesia iam antiquitus clericos abstinere iussit. In vetustis synodis particularibus (saec. IV-VIII) multi canones conditi sunt, qui similes prohibitiones, ac nunc vigent, continebant, additis interdum gravissimis poenis. Horum plurimi in Decreto et Decretalibus fuerunt recepti. Prohibitiones Conc. Trid. (sess. XXII, c. 1 et sess. XXIV, c. 12 de ref.) confirmavit, poenas vero valde emollivit. Medio aevo vetitum fuit etiam studium *medicinae* et *iuris civilis*,[3] a Leone X, 1515, studiis quoque *philosophiae* et *poeseos* limites statuti sunt.

Negotiatio autem, quae vel in laicis haud honorabilis et periculosa antiquissimis christianis videbatur, praecipue in clericis reprobabatur.[4] Nihilominus multi ex his, non exceptis episcopis, eam exercebant. Et quousque id necessitatis se familiamque alendi causa fieret, toleratum est. At cum serius, multis fundatis beneficiis, eorum sustentationi satis provisum esset, maiore rigore prohibitio urgebatur nec facile exceptiones admittebantur. Maxima autem severitas adhibita est in *missionarios*, quos ab omni illegitimo commercio Urbanus VIII (1633) et Clem. XI (1669) poenis *latae sententiae* absterruerunt. Quas Pius IX innovavit (1872), sed nunc antiquatae sunt.

Tamen ante Ben. XIV const. *Apostolicae servitutis*, 25 febr. 1741, *per alios* negotiari interdictum non erat.

V. REDUCTIO AD STATUM LAICALEM.

123. Quomodo fiat. *Ordines* qui characterem imprimunt divina institutione, ceteri institutione Ecclesiae, semel valide collati numquam amittuntur et semper *valide* exercentur. *Statum* clericalem autem quis iuridice amittere vel ab eo dimitti potest. Quod fit per *reductionem ad statum laicalem* (can. 211 § 1).

a) Clericus *maior* reducitur tribus modis: rescripto S. Sedis, decreto vel sententia, poena degradationis. *Rescriptum* variis ex causis, publicis vel privatis, concedi potest, quas ius non praefinit sed suo arbitrio et prudentia concedens sufficientes esse aestimat. *Sententia* concluditur processus in quo clericus *duo* probaverit: se *metu* gravi coactum ordinem rece-

[1] *Oietti*, Syn. I, v. *Actiones*; *Ball.-Palm.* IV, 474 ss.; *Wernz*, II, 219; *Bargilliat*, I, 371; *Maroto*, I, 572.

[2] can. 2380.

[3] c. 3, X. 3, 50 (Alex. III 1163); c. 10 eod. (Honor. III 1219); cc. 1 et 2 in VI. 3, 24 (Bonif. VIII).

[4] *Cypr.* De lapsis c. 6 (*Kirch*, 258); syn. Eliber. c. 19. cf. *Funk*, Kircheng. Abhandl. u. Unters. II (Paderborn 1899) 60 ss. III (1907) 150 ss.

pisse, suam vero ordinationem postea, metu sublato, *numquam ratam* habuisse, dum vel *expresse* id declaraverit vel saltem *tacite*, ordinem exercens cum intentione adnexas obligationes subeundi, significaverit. Processus secundum certas leges peragendus est;[1] si clericus tum in prima instantia tum in gradu appellationis obtinet, datur sententia qua in statum laicalem reponitur (can. 214 § 1). Si autem causa in foro administrativo discutitur, idem edicitur in *decreto* C. Sacramentorum. *Degradatio*, quacum semper coniuncta est reductio ad statum laicalem, est inter omnes gravissima poena, quae non infligitur nisi ob pauca enormia delicta in iure expressa *aut* propter contumaciam clerici depositi iam et scandalosi.[2]

b) Clericus *minor* facilius et multimode statum amittit. Imprimis iam *ipso iure* si *aut* nubat, *aut* habitum ecclesiasticum suo marte per mensem deponat, *aut* sponte militiam suscipiat.[3] Deinde *sua* ipsius *voluntate* si in clero ulterius manere nolit, de qua re tamen debet praemonere Ordinarium loci. Denique *dimissione* sui Ordinarii, qui iusta de causa, videlicet si omnibus perpensis prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri, lato *decreto* etiam invitum a clero excludere valet (can. 211 § 2). Eumdem effectum exerit dimissio *clerici religiosi* a societate religiosa cui adscriptus (can. 648, 669 § 2).

Processus quo intenditur declaratio *nullitatis onerum* clericalium fit omnino ad instar processus matrimonialis, cuius omnes normae, congrua congruis referendo, sunt servandae (can. 1995).[4] *Defensor vinculi* constituitur, obligatio *appellandi* huic imponitur, *duplex* sententia conformis requiritur (can. 1996, 1998). Ius agendi habet solus ordinatus (can. 1994 § 2). Causa introducitur in C. Sacramentorum, quae definit utrum *iudiciario* an *administrativo* tramite sit pertractanda. Si primum, remittitur ad tribunal dioecesis cui clericus incardinatus erat tempore ordinationis, in collegio trium iudicum examinatur et regularem cursum instantiarum percurrit (can. 1993, 1776 § 1 n. 1); si alterum, in ipsa Congregatione, praevio processu informativo in Curia competenti (cf. causam dispensationis super rato et non consummato, can. 1966, 1985) discutitur usque dum habeatur duplex decisio conformis. *Metus* eodem modo dimetitur et probatur ac si occurrat in causa matrimoniali.

Eadem valent de processu, in quo ipsius *ordinationis validitas* impugnatur. At si nullitas ex defectu substantiali sacri ritus asseritur, introducendus est in Congr. S. O. et si iudicialiter peragitur committitur

---

[1] can. 1993-1998.

[2] can. 2305. De *degradatione* agendum est in iure poenali. *Chelodi*, Ius poen. 53.

[3] can. 132 § 2, 136 § 3, 141 § 2.

[4] cf. *Chelodi*, Ius matrim. 171 ss.

tribunali loci ordinationis (can. 1993). Ius agendi competit *tum* ordinato *tum* Ordinario eius proprio *tum* Ordinario dioecesis in qua ordinatus est (can. 1994 § 1). Durante utroque processu clericus ab exercitio ordinum prohibetur (can. 1997).

124. Quid efficiat. Reductio ad statum laicalem efficit ut clericus *iuridice* clericus amplius non sit, quare *statum* ei adimit tum quoad iura tum quoad obligationes.

a) Unde imprimis quemlibet actum potestatis *ordinis* licite exercere ei nefas est, quamvis si ponat validus sit. Porro eo ipso amittit officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia, et proinde etiam omnem *iurisdictionem,* et vetatur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre (can. 213 § 1).

Obligationes clericorum propriae pariter cessant. Unica exceptio quoad *coelibatum,* cuius onus remanet clericis maioribus reductis ad statum laicalem per rescriptum vel per degradationem, non autem iis qui obtinuerunt in processu metus causa instituto (can. 213 § 2, 214 § 1). Eo magis liberantur subdiaconi et diaconi qui in casibus extraordinariis[1] ab *impedimento* ordinis dispensati fuerint, qui simul implicite ad statum laicalem reducti esse videntur.[2]

b) Clericus qui ad statum laicalem reductus denuo in clerum admitti optat, si *minor* est indiget licentia *Ordinarii* dioecesis cui per ordinationem incardinatus erat. Quae non est concedenda nisi post diligens examen super vita et moribus et congruum, iudicio ipsius Ordinarii, experimentum (can. 212 § 1). Si *maior* est, indiget licentia S. Sedis.

Nulla autem *reordinatio* fit; sed degradatus per caeremoniam symbolicam in ordinem restituitur.

Regressus *voluntarius* inter laicos, etiam clericorum minorum, antiquiore iure non permittebatur. Conc. Chalced. 451, c. 7 (= c. 2, C. 20, q. 3) enim statuerat, ut qui semel in clerum adlectus esset, eidem perpetuo alligatus maneret, anathemate quoque, si opus esset, coactus. Quod ius servatum est usque ad saec. XIII; exinde minores libere ad vitam et vincula saecularia transire potuerunt. At vel a primaeva aetate consuevit Ecclesia clericos indignos et delictorum reos *deponere* atque honore ac iuribus clericatus privare. Qui dein ad *communionem laicam* reducti a quolibet exercitio ordinis interdicebantur. Interdum, poena remissa, suum locum denuo aecipiebant, quin plerumque reordinatio fieret.

---

[1] can. 1043-1045.

[2] Attamen cum hoc certum non sit, petenda esset a S. Sede dispensatio ab aliis obligationibus (praesertim breviarii) saltem *ad cautelam.* Vicissim cum subdiaconus vel diaconus reducitur per rescriptum ad statum laicalem concedi solet expresse dispensatio etiam a lege coelibatus.

CAPUT III.

DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS

I. IURISDICTIO ORDINARIA ET DELEGATA.

125. Iurisdictio. Ordo ad sanctificandos homines spectat, iurisdictio ad regendos. *Haec* igitur est «potestas publica circa regimen aliorum». *Publica* dicitur ut a dominativa (patria, maritali, herili), *circa regimen* ut a potestate ordinis distinguatur. Quae notio iurisdictioni cuiusvis societatis perfectae convenit: prout autem, ex divina institutione, in Ecclesia est (can. 196) definiri potest: «*Potestas publica regendi fideles in ordinem ad salutem aeternam*». Continet legiferam, iudicialem et coactivam, confertur vel a Christo immediate vel ab Ecclesia canonica missione (can. 109) et ordinarie nonnisi a clericis exercetur (can. 118).

a) Iurisdictio alia est *fori externi* alia *fori interni. Illa* directe ad bonum commune refertur, relationes sociales ordinat et cum effectibus iuridicis publicis exercetur; *haec* primario tendit in utilitatem singuli fidelis, huius relationes ad Deum ordinat et *per se* in occulto ac cum effectibus moralibus tantum exercetur. Vocatur proinde etiam *fori conscientiae* et si in actu confessionis solummodo adhiberi potest, *sacramentalis,* si citra illum quoque, *extra-sacramentalis* (can. 196).

Porro *ordinaria* est aut *delegata.* Ordinaria intelligitur quae *ipso iure* adnexa est officio; delegata quae commissa est personae. *Illa* diducitur in propriam et vicariam. *Propria,* quam quis, nedum officio, sed nomine suo exercet, *vicaria,* quam officio suo sed nomine alieno (can. 197). Quodsi Ecclesiam ipsam respicias et potestatem eius universam, propria est quae ei competit naturaliter, utpote societati perfectae, ideoque nomine suo et *in suo foro* exercenda (leges ferre, poenas statuere etc.); vicaria ea quam ex speciali divina commissione obtinet, in *Dei foro* eiusque nomine exercet (dogmata definire, peccata remittere, vota dispensare etc.).[1]

Dipescitur demum in *contentiosam* et *voluntariam.* Illa in iudicio, causa agitata, in *invitos* quoque adhibetur, *haec* in volentes et petentes, qui ad magistratum recurrunt ut fa-

[1] cf. *Wernz,* II, 4.

vorem iuris assequantur. Quae divisio tamen non adaequate totam iurisdictionem partitur, cum legislativa, quae certe contentiosa non est, ad voluntariam improprie omnino reducatur.[1]

b) Principia generalia quoad iurisdictionem:

1. Iurisdictio sine determinatione data intelligitur pro *utroque foro,* nisi ipsa rei natura obstet (can. 202 § 3).
2. Si collata pro *foro externo,* actus quidem in hoc poni debet, sed positus valet etiam pro foro interno, non autem vicissim (c. c. § 1).[2]
3. Collata pro *foro interno* tantum uti licet, pro regula, etiam extra sacramentum poenitentiae, quoties expresse ad forum sacramentale limitata non fuerit (c. c. § 2).
4. Iurisdictio in solos *subditos* directe exerceri potest (can. 201 § 1).
5. *Contentiosa* exerceri nequit in causa propria, aut extra territorium (c. c. § 2). At iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus potest in territorio alieno, loci Ordinario certiore facto, ius dicere.[3]
6. *Non contentiosa,* ad quam etiam tota potestas fori interni pertinet,[4] quis exercere potest *tum* in proprium commodum,[5] *tum* extra territorium existens, *tum* in subditum e territorio absentem (c. c. § 3).
7. Validus usus iurisdictionis *voluntariae* non impeditur in inferiore eo quod quis superiorem adivit. At quidem *licitus,* nisi excuset gravis urgensque causa. In casu de facta concessione statim superior monendus est (can. 204).[6]

Iurisdictio erat apud Romanos sola potestas iuris dicendi in causis civilibus. Leges ferre easque vel sententias exequi, poenas infligere ad *imperium* pertinebat. Iurisdictionem cum modica coercitione coniunctam *mixtum imperium* vocabant. Cum autem magistratus etiam ad nonnullos

---

[1] *Wernz,* II, 4, d. not. 37; *Lega,* I, 43. Adaequata esset divisio in *contentiosam* et *non contentiosam,* huius subdivisio in legislativam, gubernativam (seu administrativam) et gratiosam (seu voluntariam).

[2] His verbis forte innuitur, sed extra omne dubium non ponitur, usum potestatis fori externi in *solo* foro interno esse invalidum. Nec ex allegatis fontibus solutio haberi potest. cf. *Wernz,* IV, 609 not. 10 aliosque ibi citatos.

[3] can. 1637.

[4] can. 401 § 1, 881 § 2.

[5] Quaedam exceptiones expresse in iure statuuntur: can. 170, 1437.

[6] Ex textu canonis elucet agi de re *fori externi.* Doctrina erat hucusque controversa, nunc definita. In negotiis *fori interni* facilius admittitur libertas adeundi inferiorem post recursum ad superiorem. Imo *in hoc foro* videtur concedi posse valide ab inferiore gratia a superiore denegata. cf. can. 43 et *D'Annibale,* I, 77 not. 63.

actus legitimos, qui partibus non contendentibus ponebantur (adoptio, manumissio) adhiberetur, praeter contentiosam, *voluntariam* iurisdictionem habere dicebatur.[1]

Ius canonicum, nomine retento, conceptum iurisdictionis ad universam potestatem regiminis, legiferam iudicialem executivam, ampliavit. Unde in fontibus antiquioribus *iudex* est omnis Ecclesiae praelatus et in C. vox *iurisdictio* quamcumque, tum fori externi tum fori interni, potestatem, quae ad ordinem non spectat, designat. Imo omnia munera et officia, etiam quae veram iurisdictionem non continent, ad *huius* hierarchiam referuntur, quoniam omnia pertinent ad optimum Ecclesiae regimen, quo hierarchia tendit.

126. Ordinaria. *a)* Cum ordinaria dicatur iurisdictio «quae ipso iure adnexa est officio» (can. 197 § 1), *duas* esse eiusdem conditiones elucet. Prima *officium:* idest munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica *stabiliter* constitutum (can. 145 § 1), in quo certa summa potestatis continetur. *Altera,* ut adnexa sit *ipso iure.* Requiritur igitur lex vel saltem consuetudo; non sufficit privilegium, licet hoc concessum fuerit in perpetuum, intuitu *sedis* non personae quae eam tenet. Nihil refert autem utrum in primitiva constitutione officii an serius potestas tributa sit, dummodo lege; unde ordinariae hodie censendae sunt omnes quae a C. statuuntur, etiam quae olim «a Sede Apostolica delegatae» dicebantur, item ordinaria est potestas *vicaria,* quia munus vicarii, in variis suis speciebus, a iure est definitum et determinata competentia praeditum.

b) Ex iis qui ordinariam habent iurisdictionem quidam in iure specifice *Ordinarii* dicuntur. Et imprimis R. Pontifex, qui ea pollet «tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles (can. 218 § 2). Plerumque negotia ei reservata expedire solet per Congregationes, Tribunalia et Officia, quae proinde communis nominis *Sedis Apostolicae* participant (can. 7) et ordinariam pariter sed vicariam iurisdictionem obtinent.

c) Frequentius appellatio *Ordinarii* usurpatur pro iis qui episcopali vel aequiparata potestate, in utroque foro, utuntur: episcopus residentialis, abbas et praelatus *nullius*, eorum vicarius generalis, administrator, vicarius et praefectus apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex

[1] Etiam in *modernis legibus* ad hoc limitatur iurisdictio voluntaria, quam aliqui praeterea distinguunt ab *honoraria,* qua iudex sollemnitatem confert certis actibus et ad imperium pertinet. *Gargiullo,* Corso di diritto giudiz. civile, Napoli 1888, 263.

iuris praescripto aut ex *probatis constitutionibus*[1] succedunt in regimine (can. 198 § 1). Qui omnes veniunt nomine *Ordinarii loci,* cum territorialem habeant iurisdictionem.

d) Ordinarii simpliciter, pro suis subditis tantum et cum iurisdictione personali, sunt et vocantur *superiores* maiores[2] in religionibus clericalibus exemptis (c. c. § 2). His et Ordinariis loci convenit in propria acceptione etiam nomen *Praelati,* quamvis honoris causa alii quoque clerici eodem donentur (can. 110).

e) Iurisdictio ordinaria *acquiritur* acquisitione officii, eo actu et momento quod a iure peculiariter determinatur. Eius ambitus a lege *antecedenter* circumscribitur, in dubio est *latae* interpretationis (can. 200 § 1). *Cessat* autem amisso officio, non vero resoluto iure superioris qui officium contulit, nisi id fecerit clausula «ad beneplacitum nostrum» (can. 183 § 2) aut lex aliud caveat.[3] *Silet* interposita legitima appellatione in suspensivo aut incursa a potestatem habente excommunicatione vel suspensione ab iurisdictione, postquam de poena per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam constiterit[4] (can. 208).

Ordinariam esse potestatem *vicariam*, nullum amplius dubium est. Antiquior doctrina in contrariam potius sententiam inclinabat.[5] Tertiam insuper iurisdictionis speciem addiderat, *mandatam,* medium locum inter ordinariam et delegatam tenentem et utriusque participantem *(quasi-ordinariam),* qua explicabat potestatem *vicarii generalis.* Essentiale discrimen in eo quaerebatur, quod delegantis et delegati distincta esset iurisdictio, non item mandatis et mandati: unde ad delegantem non autem ad mandantem fieri posset appellatio. At haec iurisdictio mandata numquam bene definita fuit, imo complures eam respuebant. In fontibus profecto mandata et delegata convertuntur.[6] Theoria autem, ex nimio studio aptandi iuri canonico instituta iuris Romani derivata, non satis perspexerat delegationes in Ecclesia magis ex necessitatibus practicis ortas esse, quam ex theoreticis considerationibus.

127. Delegata. Magistratus interdum iurisdictionem suo officio adnexam non exercet personaliter, sed alium sibi substituit, qui eius nomine et iure agat. Haec dicitur *delegatio;*

---

[1] Alterutrum est *necessarium.* Iuris praescriptum: can. 309, 317, 327 § 1, 366 § 3, 427, 429, 431. De probatis constitutionibus cf. can. 327 § 1, 432 § 3.

[2] can. 488 n. 8.

[3] Ex. gr. potestas *vicarii generalis* cessat cessante potestate episcopi (can. 371), non item *officialis* (can. 1573 §§ 5 et 6).

[4] can. 2264, 2284.

[5] cf. *Wernz,* II, 545.

[6] *Lega,* I, 44; *Scherer,* I, p. 421; *Wernz,* II, 4.

potestas alteri commissa *delegata*. Quae igitur est: *iurisdictio ex commissione nomine iureque alieno exercenda*. Idcirco propria eius nota est ut non cum officio cohaereat sed cum persona (can. 197 § 1), et regulariter ut ex actu peculiari superioris non ex lege derivetur.

Tamen alterum non est perpetuum: unde distinguimus delegatam *a iure* et delegatam *ab homine*. Illa hodie rarissima,[1] haec communis. Deinde delegatam aut *officio* aut *personae*. Adhuc enim cum officio coniugi potest aliqua potestas, quae omnibus qui in illo succedunt competat et tamen maneat delegata; in casu censetur in singulas *personas* transire occasione officii, non in officio contineri.[2] Demum aliam *specialem* ad unam vel alteram causam, aliam *ad universitatem negotiorum* delegatam. Quae universitas et tempore et ambitu limitata esse potest.

Cum autem de delegatione loquimur, eam communiter intelligimus quae *ab homine* et *personae* fit. Quae in *facto* consistit; unde qui delegatum se asserit *onus* habet *probandae* delegationis (can. 200 § 2).

Institutum delegationis ius canonicum amplissime admittit. Et re vera:

1. Quilibet iurisdictionem *ordinariam* habens potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare,[3] nisi aliud expresse iure caveatur[4] (can. 199 § 1).
2. *Delegatus* potest iterum delegare *(subdelegatio)*: *a)* tum ad singularem actum tum habitualiter, si delegatus est ab Apostolica Sede, nisi electa fuerit industria personae[5] aut subdelegatio prohibita (c. c. § 2); *b)* ad actum singularem tantum si delegatus est, a superiore infra R. Pontificem, ad universitatem causarum (c. c. § 3); *c)* in aliis casibus si subdelegatio fuit expresse permissa (c. c. § 4).

---

[1] Olim frequentes erant huiusmodi delegationes (multae ex Conc. Trid. episcopis) sed moderno quoque iure non videntur penitus exclusae. cf. can. 884, 1044 (excepto parocho) 2252, 2254.

[2] Non enim *omnibus* officiis illius generis *lege*, sed *singulis* privilegio conceditur. cf. supra n. 126 a.

[3] Si ex toto, cum aliqua limitatione in tempore vel in spatio, quia secus constitueret novum officium, id quod inconsulto superiore non licet. Doctrina communis. *Wernz*, II, 552.

[4] Ita parochus, qui *ordinaria* pollet iurisdictione fori interni (can. 873 § 1), nequit eam delegare ut patet ex can. 874 § 1 et 875 § 1. C. I. 16 oct. 1919 ad 3 (A. XI, 477). cf. *Bremer*, in Linzer Quartalschrift, 1920, 87 ss.

[5] Quod *non praesumitur*, sed aperte significari oportet, ut puta si delegatus iubeatur personaliter agere, si negotium sit arduum et difficile, si commissum nudum ministerium, idest executio sine cognitione. Non item si delegetur cum formulis «prudentiae tuae, de qua specialiter confidimus» vel «conscientiam tuam onerantes». *D'Annibale*, I, 72 not. 20.

3. *Subdelegatio subdelegationis* non permittitur; at quilibet delegatus potest alii committere articulum aliquem non iurisdictionalem[1] (c. c. §§ 4 et 5).

In potestate *ordinis* delegatio non intelligitur nisi quatenus ad illius actum *licite* aut interdum etiam *valide* ponendum superioris licentia vel mandatum requiratur.[2] Haec potestas, quae a iure *ecclesiastico* pendet et analogice in ordinariam et delegatam dividi potest, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum (can. 210).

Iurisdictionem delegandam esse *ab eo* qui eam expeditam habet *ei* qui accipiendae capax est, secundum principia generalia iuris canonici, et delegandam esse *actu* externe *manifestato,* ab *errore substantiali* immuni, ex natura rei tam evidens est ut ne animadverti quidem opus fuerit.[3] Optandum e contra esset ut C. claram normam contineret circa necessitatem *acceptationis* ex parte delegati. Doctrina communis hucusque erat delegationem sine expressa vel tacita acceptatione non valere, superiorem posse quidem *subditum* ad eam acceptandam cogere, at hanc specialem voluntatem non praesumi, eo ipso quod deleget, sed positive probandam esse. Et absenti non ante datam intelligi, quam *directe* a delegante delegato intimata fuerit.[4] Quae sane iuris principiis apprime convenire videntur, at extra omnem controversiam non erant.[5] Nec C. eam dirimit.

128. Quomodo exercenda. Potestas delegata ex mandato dimetitur; si ad universitatem causarum data *latae interpretationis* est, secus strictae; semper tamen delegato ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eam exercere non posset (can. 200 § 1). Quoties autem sive circa res sive circa personas *mandati* sui *fines* excedit, nihil agit. At excessisse non censetur si dumtaxat *quomodo* deleganti placebat non fecit, dummodo *quod* et *quibus* concessum erat fecerit, nisi ipse modus, ut conditio essentialis,[6] praescriptus fuerit (can. 203 §§ 1-2).

---

[1] Ex. gr. informationes assumere, facta investigare, uno verbo nudum aliquod ministerium exequi. *Reiffenstuel,* l. I, tit. 29, nn. 64-65.

[2] Potestas confirmandi vel consecrandi presbytero concessa.

[3] cf. *D'Annibale,* I, 74. *Metus* non officit validitati, quia voluntarium non tollit (can. 104). — Conditiones ad delegationem requisitas complectebantur versiculi:

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama,
Aetas, qui subsit: committitur huic bene causa.

[4] *Reiffenstuel,* l. c. nn. 66 ss.; *D'Annibale* l. c. et alii plurimi.

[5] *Gasparri,* Matrim. II, 1130; *Wernz,* IV, 180 III; R. 20 ian. 1911 (dec. II, 16 ss.).

[6] *Essentialis* dicitur, nam si delegans iusserit ea servari quae iure facienda sunt, ut puta absolvere a censura «imposita salutari poenitentia» «satisfacta parte laesa» etc. modus est quidem ad *liceitatem* non autem ad *validitatem.* cf. supra n. 77 et *D'Annibale,* I, 76.

Delegatio dari potest etiam *pluribus* pro eodem negotio. Tunc videndum utrum *in solidum* an *collegialiter* delegati sint. *Primum* habetur si unusquisque, ab aliis independenter, integram potestatem obtinet: idcirco locus est praeventioni et qui primus negotium occupavit solus illud perficere valet aliosque ab eodem excludit, quorum iurisdictio proinde sine obiecto manet; si autem posthac *aut* impediatur *aut* nolit ulterius in negotio procedere, alius e delegatis legitime succedit[1] (can. 205 § 2).

Si *alterum*, non singulis sed omnibus simul, quasi personae morali, iurisdictio competit, ideoque omnes, pro actorum validitate, in expediendo negotio concurrere debent; ubi autem opus sit aliquid decernere, id fit per vota maiora. In dubio delegatio *praesumitur* facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali (c. c. §§ 1 et 3).

Si vero plures *successive* delegati fuerint, ius expediendi negotium pertinet ad eum, cuius mandatum anterius est, nisi in rescripto posterioris praecedens delegatio expresse abrogata sit (can. 206).[2]

Appellatio vel recursus interponitur a delegato ad delegantem, a subdelegato ad subdelegantem. At delegatus totam suam iurisdictionem subdelegans se abdicat, ideoque in casu ad delegantem directe appellatur.[3]

129. Quando extinguatur. Delegati iurisdictio expirat: *a) expleto mandato*, nisi actum *irritum* posuerit, qui sane pro infecto habetur, ideoque potestatem non exhausit, qua iterum uti fas est (can. 59 § 1); *b) elapso tempore* aut *completo numero* casuum pro quo commissa fuit; sed ex positiva iuris dispositione (can. 207 § 2) actus potestatis fori *interni* per inadvertentiam positus validus est, in utroque casu; *c)* cessante *causa finali* delegationis, scilicet antequam ea delegatus usus sit; *d) revocatione* vel *renunciatione* mandati, sed illa delegato haec deleganti directe *intimata* esse debet, et altera a delegante *acceptata*. Ideo gesta medio tempore valent, licet is

---

[1] In hac dispositione unita est antiqua delegatio in solidum cum altera *conditionata*, qua unus delegatus procedere poterat postquam constitisset ceteros aut non potuisse aut noluisse intervenire.

[2] Est applicatio normae circa concursum rescriptorum (can. 48 § 2), ad quam etiam alii casus, forte occurrentes, definiendi esse videntur (c. c. § 3).

[3] Antiqua doctrina communis (cf. ex. gr. *Reiffenstuel*, l. c. nn. 155 ss.) a qua nulla ratio est discedendi.

cui mandata fuit iurisdictio aliunde sciat revocatam fuisse, aut vicissim si rinunciasse eum poenituerit; *e) resoluto iure* delegantis, in duobus casibus tantum, nempe si id in clausula mandati statuitur *aut* si potestas delegata est concedendi gratiam peculiaribus ac designatis personis, re adhuc integra.[1] *f)* Denique, *pluribus collegialiter delegatis*, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet[2] (c. c. § 3).

Delegante excommunicato vel suspenso nominatim, re integra, ipso iure iurisdictionem *suspendi*, communiter hucusque docebatur, et a nonnullis etiamnunc asseritur.[3] At nullibi *novo iure* hoc statuitur, imo logice excluditur dispositione can. 207 § 1, qua ne resoluto quidem iure delegantis, secus ac antea, potestas delegati cessat. Uterque effectus enim ab eadem norma regitur, uti patet ex can. 371. *Suspensio* e contra habetur ex praeventione, quando plures sunt delegati in solidum (can. 205 § 2).

130. Quando suppleat Ecclesia. Iurisdictio, tum fori externi tum fori interni, ordinaria vel delegata, secundum communes normas aut numquam acquisita aut amissa suppletur a *iure* (ab Ecclesia), ita ut actus positus validus sit, in *duobus* casibus: in *errore communi* et in *re dubia* (can. 209). Dummodo sane de iurisdictione agatur qũae concedi potest et solet.[4]

Error dicitur communis si eo loco, ubi quis iurisdictionem exercet, publice ea praeditus esse existimetur, moraliter ab omnibus, licet unus vel alter cognoscat re vera deficere. Imo ii quoque valide ab eo actum potestatis impetrant, quia non singulorum sed publicae utilitatis causa suppletur. Certissime tamen omnes qui sciunt *illicite* et petunt et concedunt, nisi necessitate excusentur. Nihil autem interest utrum iuris an facti error populi sit, titulo colorato an mere putativo innixus.

Sed nedum in errore, etiam in *dubio* Ecclesia supplet, sive iuris sive facti. Oportet autem ut dubium sit non mere negativum, sed *positivum* et *vere probabile*, idest ut seria argumenta in favorem sententiae, quae iurisdictionem in casu praesto esse affirmant, militent. Quodsi postea certo appa-

---

[1] can. 61, cf. supra n. 81 et *D'Annibale*, I, 77. Hucusque, re integra, in omnibus casibus.

[2] Per formulam «Si non omnes». At universim verum non est, re non amplius integra iurisdictionem firmari in reliquis (*Maroto*, I, 715), quia delegans saepe vult ut completum collegium negotium expediat, ut puta tres vel quinque iudices certam causam.

[3] cf. antiquo iure *D'Annibale*, I, 77 (recte), novo iure *Maroto*, I, 716.

[4] Quare v. c. nec *femina*, quae probabilius iurisdictionis incapax est, nec *laicus*, cui R. Pontifex eam concedere potest, vi huius canonis valide exercerent iurisdictionem.

ruerit eam defuisse, non ideo quae gesta sunt viribus carent. Iurisdictione dubia uti, quando certi fieri non possumus, nullibi prohibetur, ideo *licitum* est.

Utrumque principium nunc *authentice* confirmatum, in nullo textu antiqui iuris exprimebatur.[1] Tamen iam veteres canonistae, inde a Gratiano, lege quadam Romana ducti,[2] hanc doctrinam evolverant, quae praecipue *consuetudine* invaluit et receptissima erat. Attamen non absolute certa et definita. Disputabatur enim utrum necessario accedere deberet errori communi *titulus coloratus* necne, utrum in dubio iuris tantum an etiam facti Ecclesia suppleret.[3]

II. OFFICIUM ECCLESIASTICUM.

131. Notio. Hierarchia iurisdictionis variis gradibus constat; singuli ordinariam aliquam *potestatem* continent et certas obligationes inducunt: sunt scilicet *officia ecclesiastica*. Haec est notio maxime propria. Tamen nomen in alia quoque acceptione, latissima vel latiore, sumitur. *Officium* dicitur enim 1) quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur, ideo etiam sine potestate vel cum delegata tantum;[4] propius 2) munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica *stabiliter* constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive *ordinis* sive *iurisdictionis*, quo sensu vel horas canonicas recitare aut missam celebrare ad *officium* alicuius clerici pertinere potest; denique strictissime est 3) munus stabile secumferens ordinariam potestatem *iurisdictionis* (can. 145 § 1). In iure, ni aliud ex contextu appareat, officium accipitur in *altera* significatione (c. c. § 2), praesertim vero in *tertia*.

Unde officii *duo* sunt elementa praecipua: ordinaria potestas et obiectiva perpetuitas. *Illa*, sive ordinis sive, ut plurimum, iurisdictionis vel administrationis[5] sit, iam *a iure* est determinata et efformat veluti obiectum illius officii, quare a superiore nec augenda nec minuenda est, sed cuilibet officium obtinenti in eo gradu competit; *haec* etiam a iure statuitur

---

[1] Nec in c. 1, C. 3, q. 7 nec in c. 24, X. 2, 27 quidquam dicitur; sed ibi in *dicto Gratiani* hic in *glossa* doctrina innuitur.

[2] fr. 3, D. 1, 14 *(Barbarius)*.

[3] *D'Annibale*, I, 79-80; *Lega*, I, 355; *Wernz*, V, 119.

[4] Officium aeditui, organoedae, iudicis delegati, confessarii, concionatoris etc.

[5] Sunt enim officia, quae veram iuridictionem adnexam non habent: vicarii foranei.

quatenus officium in perpetuum duraturum intenditur *(obiectiva)* ideoque deficiente titulari non cessat sed *vacat,* non vero semper et necessario subiecto quoque convenit *(subiectiva),* nam officia habentur quae ad tempus vel ad nutum conferuntur.

Cum qui in officiis Ecclesiae inserviunt honestam sustentationem mereantur, plerumque cum officio coniunctum est ius percipiendi quosdam reditus. Quod merum *salarium* aut *honorarium* esse potest,[1] at saepius est ius ad fructus *dotis* stabili modo officio adnexae. Quo in casu, accedente ad elementum spirituale elemento temporali, officium fit *beneficium* (can. 1409).

Quamvis canonistae nomina *officium* et *beneficium* promiscue adhibere consueverint, imo ferme regula fuerit de *beneficiis* simpliciter loqui, sunt tamen duae res omnino *distinctae* et separabiles. Habemus enim officia quae non sunt beneficia. Cum autem beneficium detur propter officium,[2] imo ex utroque *unum* ens iuridicum exurgat, cum praeterea notio *dotis* hodie tam ampliata sit ut pleraque officia naturam beneficialem induant (can. 1410), manifestum est intimam inter duo instituta intercedere relationem. Quare normae iuridicae officiorum applicantur etiam officiis beneficialibus (can. 146, 1413 § 2). Nihilominus beneficium, stricte sumptum, est *res* temporalis fini spirituali destinata, ideoque aptius de eo agitur in tractatu *de rebus.*[3]

Sed ad *ius personarum* sine dubio pertinet statuere quomodo ministri Ecclesiae *officia* consequantur vel amittant, quaenam inde iis iura et obligationes deriventur.

132. Principia. Attentis principiis iuris publici, compertum est officia ecclesiastica nonnisi aut *divina* aut *canonica* ordinatione constitui posse. Quare, excepto supremo pontificatu et episcopatu in genere, qui iuris divini sunt (can. 108 § 3), ad *Ecclesiam* eamque *solam* pertinet, pro suo fine, officia erigere innovare supprimere. Quae in moderna disciplina recepta sint, quae eorum natura potestas limites in *abstracto,* ius commune determinat; in *concreto* autem unum vel aliud horum instituere vel exstinguere, territorium vel personas assignare est actus administrativus *competentis* superioris. Quis huiusmodi sit item in iure definitur. Provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas *nullius,* vicariatus vel praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere,

---

[1] Et non desunt officia sine ulla mercede, nam haec de ratione officii nullatenus est.
[2] c. 15 in VI. 1, 3.
[3] can. 1409 ss.

unire, supprimere ius est unius *Sedis Apostolicae* (can. 215 § 1). Et generaliore regula: ipsa exclusive decernit de omnibus *officiis maioribus*, idest praelatitiis in sensu proprio. Non ideo sequitur episcopum disponere posse de omnibus *officiis minoribus*. Habet quidem intentionem in iure fundatam exclusivae competentiae contra *tertios*, at haec multipliciter limitatur a iure communi, quod plura auctoritati S. Sedis reservat. Ceterum de iis suis locis.

Ad instituenda innovanda extinguenda officia ecclesiastica *iustam causam*, certas *sollemnitates*, congruas *provisiones* necessarias esse, ex natura rei sequitur. Tamen de his omnibus in C. nihil dicitur. At quatenus de *officiis beneficialibus* agatur, huc referendae sunt omnes normae quae in sede materiae traduntur (can. 1414 ss.), quatenus de ceteris, maiore quidem superioris libertate sed analogice, eaedem videntur applicandae. Peculiares autem quaedam de singulis officiis in diversis canonibus continentur.[1]

III. PROVISIO OFFICII ECCLESIASTICI.

133. Notio et formae. *Provisio canonica* dicitur «concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta» (can. 147 § 2). Quae *tribus* actibus perficitur: designatione personae, concessione tituli qua potestas committitur, introductione in possessionem. Prout omnes ab una aut alius ab alia persona ponitur variae distinguuntur provisionis *formae*. Discrimen est praecipue in designatione subiecti: si superior, qui titulum confert, ius habet etiam statuendi cui conferat, habetur *libera collatio;* si is a patrono vel a privilegiato offertur, *praesentatio* vel *nominatio*, cui respondet in superiore *institutio;* si a collegio ecclesiastico eligitur vel postulatur, *electio* vel *postulatio*, quae completur *confirmatione* vel *admissione*. Confirmatio interdum ipso iure electi acceptationi adnectitur[2] (can. 148 § 1). Primus actus tribuit *ius ad rem*, alter ius *in re*, tertius non est essentialis et interdum omittitur.[3]

Sub eodem respectu distinguitur etiam *provisio plena*, illi superiori competens qui omnes tres actus ipse ponere

---

[1] Agitur hic imprimis de officiis *saecularibus*, quamvis pleraeque normae in iis titulis statutae applicandae sint etiam officiis *religiosis*.

[2] can. 109, 219 (R. Pontif.); can. 176 § 2, 438 (Vic. capit.). Non indigent confirmatione etiam superiores maiores religionum.

[3] can. 1444 § 1. Habet tamen momentum processuale, quia per eum *proprietati* accedit *possessio*.

potest, et *minus plena* quae pertinet cuique ius habenti ad ad unum vel alterum; *illa* in superiore est simul *libera, haec,* quoties rationem habere debet iuris quaesiti ex electione, praesentatione, optione vel simili titulo, *necessaria.*

Quomodocumque autem fiat, *principium* fundamentale est: «officium ecclesiasticum *nequit* sine provisione canonica *valide* obtineri» (can. 147 § 1); quare saltem ille actus quo iurisdictio confertur semper ponatur oportet a *legitima* auctoritate et *intrusus* habetur quisquis sive proprio sive populi sive saecularis potestatis arbitrio, munus ecclesiasticum occupare praesumat (can. 109).

Principium non indiget peculiari demonstratione: quaelibet enim *societas perfecta* merito sibi vindicat ius libere et secundum suas leges magistratus constituendi atque huius iuris exercitium penes eos esse debet qui auctoritatem habent. Maxime autem in societate, quae ex sua constitutione hierarchica est.[1] Unde si facultas in hac re alicui competat, nonnisi ex *speciali titulo* derivari et ultimo in concessione Ecclesiae inniti potest. Quod tamen non perspexerunt omnes *caesaristae* – ab aevo byzantino usque ad saec. XX – qui reipublicae praepositis ius sese immiscendi in provisiones officiorum, maiorum et minorum, tribuerunt; nec magis modernae democratiae studiosi qui idem ius populo vindicare vellent.[2]

Ecclesia, quamvis primis saeculis *populi* electione et postea saltem testimonio ministros assumpserit, quamvis deinde saepe *potestati civili* non exiguam partem in designatione personae reliquerit, numquam *iuridice* admisit aliquam praeter suam competentiam iure nativo. Contra *intrudentes* et *intrusos* olim erat excommunicatio latae sententiae, novo iure complures poenae his abusibus cavent.[3].

134. Ut valida sit, provisio facienda est «ad normam sacrorum canonum» (can. 147 § 1). Hi autem postulant ut a superiore *competente,* personae *idoneae,* certis iuris *conditionibus* servatis, officium conferatur. Aliae conditiones ad *licitam* dumtaxat provisionem requiruntur.

a) Competentia in singulis casibus variis titulis inniti potest: attento solo iure communi *R. Pontifex* in universa Ecclesia omnia officia conferre valet et ad *maiora* conferenda exclusive competens est; *Episcopus* autem habet intentionem in iure fundatam ad eum pertinere provisionem, saltem in altero actu, omnium officiorum *minorum* in dioecesi, adeo ut eius exclusio probari debeat (can. 1431, 152).

---

[1] cf. *Wernz,* II, 286; R. I. 1 in VI; c. 2 in VI. 3, 4; Conc. Trid. sess. XXIII, c. 7.

[2] cf. supra n. 25; *Pius IX,* Syll. 50, 51; const. *Etsi multa,* 21 nov. 1873 (AS VII, 465); *Choupin,* 337 ss.

[3] can. 2390, 2393, 2394. *Chelodi,* Ius poen. 103, 105, 107.

Ex hoc capite distinguitur provisio *ordinaria* et *extraordinaria*. *Illa* habetur cum officium ab eo confertur qui iure communi et more recepto competens est, *haec* quando ab alio cui specialis titulus suffragatur *vel* a superiore qui in certis adiunctis competentiam ordinarii collatoris excludit. Huc faciunt praesertim reservatio et devolutio. *Reservatione,* vi supremae suae potestatis, utitur R. Pontifex generali modo in quibusdam officiis beneficialibus (can. 1435), singulariter si id expresse significaverit. *Devolutio* ipso iure sequitur in casibus a lege praevisis. Est «translatio iuris conferendi officium in superiorem, ob culpam vel negligentiam ordinarii collatoris, vel electorum, vel patroni».[1] *Triplex,* ex causa, distinguitur: ob lapsum temporis, ob indignitatem personae, ob nullitatem provisionis ex defectu formae. Et fit interdum ad immediatum superiorem,[2] interdum ad R. Pontificem.[3] Ubi autem nulla est aut negligentia aut culpa, devolutio non sequitur.[4]

Qui iure devolutivo, et universim extraordinaria provisione,[5] officium confert nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius iuridicus status perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset (can. 158).[6]

b) Idonea dicitur persona iis praedita qualitatibus, quae tum a iure communi tum a iure particulari aut lege fundationis ad *illud officium* quod conferendum est requiruntur (can. 153). Non enim ad omnia eaedem sunt. Et ad *licitam* provisionem omnes quidem necessariae censentur; haec tamen *invalida* est dumtaxat si deficiat qualitas, de qua sub expressa conditione nullitatis cavetur, secus *rescindibilis* per sententiam legitimi superioris (c. c. § 3). Iam vero, *iure communi,* ut quis officium assequatur, oportet:

1. ut sit *clericus* (c. c. § 1, 118), imo si de officio agatur quod curam animarum sive in foro externo sive in foro interno secumferat, ut sit *sacerdos* (can. 154);[7]
2. ut legitimam *aetatem* habeat;[8]

---

[1] *Wernz,* II, 324 at omisso verbo «immediatum» (superiorem), quod hodie non apte in definitionem assumi posse videtur.

[2] can. 178, 274 § 1, 432 § 2, 1458 § 1, 1465 § 1.

[3] can. 1432 § 3, 1435 § 1 n. 3.

[4] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573). Negligentiam aut culpam *decessoris* non nocere successori si superior iure devolutionis nondum usus est, docet *Gennari,* Quist. can.[2] Roma 1908, q. 388. Et si superior, cui ius devolutum est, consenserit, posse ordinarium collatorem sua potestate uti, recepta sententia est. *Gennari,* o. c. q. 389.

[5] Hoc alterum canon non dicit, sed paritas suadet rationis.

[6] Instituti devolutionis vestigia inveniuntur quidem iam saec. VII ineunte (*Greg. M.* 601 in c. 2, d. 89), at plena evolutio locum habet dumtaxat inde a saec. XII, postquam conditiones in officiis et beneficiis conferendis absolute firmatae sunt.

[7] cf. can. 232 § 1, 367 § 1, 372 § 1, 404 § 1, 423, 434 § 1, 445, 453 § 1, 479, 559 § 1, 1573 § 4, 1574 § 1, 1598 § 2 etc. Imo ad episcopatum requiritur *quinquennium* sacerdotii (can. 331 § 1 n. 3 et 320 § 2). Tantummodo ad supremum pontificatum potest etiam *laicus* assumi.

[8] can. 320 § 2, 331 § 1 n. 2, 367 § 1, 1573 § 4 etc.

3. ut debita *scientia* non careat;[1]
4. ut non sit *censura* innodatus, aut *infamis* sive iure sive facto, aut *inhabilitatis* poena vel *depositione* percussus.

Defectus tonsurae, ordinis, interdum aetatis officit *validae* provisioni, item infamia iuris, inhabilitas, depositio; censura vero tantummodo post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;[2] secus provisionem reddit *illicitam* et rescindibilem, prout etiam infamia *facti*[3] et carentia alius cuiusque qualitatis, nisi aliqua in peculiari officio, lege aut fundatione, expresse ad valorem exigatur.[4]

Cum S. Sedes officium confert, ipsa de idoneitate iudicat[5] aut forte ab aliqua qualitate dispensat; quoad reliqua officia vero ius est *Ordinarii* declarandi an aliquis electus praesentatus vel nominatus idoneus sit, de qua re ut se certiorem reddat illum etiam examini subiicere potest. Quod obtinet licet collatio *alteri* ex privilegio competat et a *quocumque* electio vel praesentatio procedat (can. 149).

c) Magis idoneus est clericus qui omnes qualitates ad officium necessarias nedum sufficienter sed prae aliis certo et notabiliter eminentius possidet. Is in provisione *praeferendus* est (can. 153 § 2). At eo neglecto, dummodo alius vere idoneus assumatur, illicita quidem, sed *nec* invalida *nec* rescindenda est provisio, nisi per concursum facta.[6] Idoneitas autem non aestimatur absolute, ex solis qualitatibus personalibus subiecti, sed *relative* ad officium conferendum ac ad conditiones in quibus exercendum est.[7]

135. Conditiones. Praeter eas quae forte iure particulari vel lege fundationis servandae sunt, iure communi cavetur ne ullius officii provisio fiat nisi vacantis, compatibilis, suo tempore, gratis, in scriptis.

---

[1] Ad nonnulla officia *gradus academicus* aut absolute exigitur aut saltem est ratio praeferendi eodem ornatum: can. 331 § 1 n. 5, 367 § 1, 396 § 3, 399 § 1, 404 § 2, 434 § 2, 1573 § 4, 1589 etc.

[2] can. 2294 § 1, 2298 n. 5, 2303 § 1, 2265 § 1 n. 2 et § 2.

[3] can. 2294 § 2.

[4] *Irregularitas* utrum invalidam an illicitam faceret provisionem veteres canonistae disputabant *(D'Annibale,* I, 401; *Gasparri,* Tract. can. de sacra ordin. Parisiis 1893, I, 173; *Wernz,* II, 303). Moderno iure certe non irritat, indirecte autem impedire licitam collationem officii quod exercitium ordinis secumfert, ex can. 991 § 3 colligitur. Ibi cavetur quoque expresse de aliquibus officiis maioribus.

[5] can. 330, 331 § 3. At si de officis minoribus agitur, investigatio delegatur Ordinario.

[6] Quo in casu *rescindibilis* est ad instantiam partis laesae. *Baller.-Palm.* IV, 282.

[7] *Poenae* in eligentes vel praesentantes indignum can. 2391.

a) Vacat officium quod *aut* titulari *aut* possessore caret. Si utroque, dicitur *plene* vacare seu *de iure et de facto;* si illo, dum tamen quis possessionem titulo colorato retinet, *de iure tantum* non de facto; si hoc, quia ius in re habens nondum possessionem adeptus est aut adepta privatus, *de facto tantum* non de iure. De iure autem officium vacare contingit dumtaxat cum ab eo, cui collatum fuerat, amittitur aut morte aut alia causa *canonice* efficaci (can. 183 § 1).

His praemissis: provisio officii *de iure* non vacantis est ipso facto *irrita,* nec subsequente vacatione convalescit (can. 150 § 1);[1] provisio autem officii *de facto tantum* non vacantis fieri quidem potest, sed certus ordo procedendi necessarius est. Contra possessorem enim instituatur oportet, ab eo qui officium postulat vel a promotore iustitiae,[2] causa in petitorio, et solummodo postquam haec ad normam iuris definita fuerit[3] ac *possessio illegitima declarata,* officium conferri potest, facta in litteris collationis mentione iudicialis declarationis (can. 151, 1447).[4] *Utraque* conditio ad valorem requiritur, sed si *notorium* est nullum titulum intruso suffragari neutram exigendi est ratio.[5]

Etiam mera *promissio* officii non vacantis, pro tempore quo vacaverit, sive determinata sive indeterminata, prohibita est, et a quocumque fiat, excepto R. Pontifice, nullum parit iuridicum effectum (can. 150 § 2).

Sequitur, *coadiutoriam* cum iure successionis a solo R. Pontifice concedi posse (can. 350 § 1). Imo in officiis beneficialibus, exceptis paroeciis, etiam sine hoc iure coadiutorem dare eidem est reservatum (can. 475, 476, 1433). A fortiori nemo vivens potest sibi *successorem,* cum iuridico effectu, designare. Olim autem usus *expectativae* late diffusus fuit. Et quamvis ab Alex. III et a Bonif. VIII severissime proscriptus,[6] toto medio aevo duravit. Ipsa S. Sedes, quae utique iure communi non ligatur, frequentissime tum expectativas tum *mandata de providendo* (clericum de

---

[1] Et qui *scienter* collationem acceptat ac patitur se in possessionem immitti, fit ipso facto *inhabilis* ad idem officium postea assequendum (can. 2395).

[2] can. 1696 § 2.

[3] can. 1693-1700.

[4] Etiam officiis applicandam esse normam can. 1447, quae respicit beneficia, certum videtur quia in can. 151 edicitur procedendum esse «rite secundum sacros canones».

[5] cf. can. 1747 n. 1. Et erat hucusque doctrina communis. *Wernz,* II, 315.

[6] c. 2, X. 3, 8 (Alex. III); c. 2, in VI. 3, 7 (Bonif. VIII). Eodem c. Bonif. VIII prohibuit quamcumque *promissionem,* etiam indeterminatam et cum facultas se obtulerit, beneficii, quia per hanc «mortis alienae votum ingeritur et ecclesiis ac praelatis et personis ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur».

officio vacanti vel primo vacaturo) concedebat,[1] quae non modica causa fuit querelarum et reclamationum ex parte praelatorum inferiorum. Tandem *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 19 et sess. XXV, c 7 de ref., salva autem auctoritate Sedis apostolicae (c. 21), omnes huiuscemodi provisiones interdixit, quin tamen penitus auferre posset.

b) Incompatibile dicitur officium quod simul cum alio ab una persona adimpleri nequit (can. 156 § 2). Quod *iure* constat si utrumque *curatum* aut *residentiale* sit aut uniforme *sub eodem tecto,* hoc est cui adnexum idem munus, eodem tempore, in eadem ecclesia obeundum. In aliis natura et quantitas obligationum aut specialis prohibitio[2] incompatibilitatem secumferre potest. In *beneficialibus* etiam si alterum ad honestam clerici sustentationem sufficiat alterum excludit (can. 1439 § 2). Incompatibilitas *cessat* si officia perpetuo uniantur.[3]

Duo officia incompatibilia cuiquam conferre nefas est (can. 156 § 1). Alterius provisio autem est *valida,* sed statim ac provisus pacificam possessionem obtinuerit, primum ipso facto et sine ulla declaratione amittit (can. 188 n. 3). Quodsi prius quoque retinere praesumpserit, utroque privatus ipso iure existit.[4]

Id iuris, si provisio a Praelato inferiore procedit. Si autem a *S. Sede,* nisi in supplici libello mentio prioris officii incompatibilis habeatur, concessio alterius censetur *subreptitia* ideoque invalida. Mentione facta, valet quidem provisio, sed hac perfecta vacat antiquum officium, nisi rescripto adiiciatur clausula derogatoria, qua dispensatio a lege incompatibilitatis continetur (can. 158 § 3).

Cavetur his normis a *cumulo officiorum* et *beneficiorum*, qui fuit ex gravissimis abusibus in Ecclesia per multa saecula. Antiquitati ignotus, mox ferme ac instituta sunt beneficia et distinctae praebendae incoepit. Subinde legitimis ex causis, haud raro ex cupiditate et avaritia, Quibus aliisque incommodis ut occurrerent, multae synodi et Pontifices, praecipue tempore reformationis gregorianae decreta ediderunt.[5] Amissio ipso iure

---

[1] Initio R. Pontifices *preces* episcopis mittebant (Innoc. III 1137, Eug. III 1152) sed paullo post *mandata* adhibuerunt. Recusante episcopo sequebantur *litterae monitoriae,* deinde *litt. praeceptoriae,* demum *litt. executoriae,* quibus executor mandati constituebatur. Contra mandata, quae maxime tempore sedis Avenoniensis et schismatis increbuerunt, episcopi, capitula et monasteria privilegia pontificia sibi comparare studebant. *Sägmüller,* I, 352 s.

[2] cf. can. 367 § 3.

[3] *Uniformia* et *sufficentia* etiam ex fundationum tabulis compatibilia fieri possunt. *D'Annibale,* III, 54.

[4] can. 2396.

[5] syn. Tolet. XVI, 693, c. 5 (= c. 3, C. 10, q. 3); syn. Nicaen. II, 787, c. 15 (= c. 1, C. 21, q. 1). syn. Paris. 829 c. 49; syn. Aquisgran. 836, c. 2; syn. Pictav. 1078, c. 2; syn. Placent. 1095, c. 15 (= c. 2, d. 70); syn. Claromont. 1095, cc. 12, 24.

prioris beneficii et in casu contumaciae utriusque iam a Conc. Later. IV (1215) pronunciata est. Cum autem idem concilium permisisset ut «circa sublimes et literatas personas, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari»[1] et Pontifices, praesertim durante exilio Avenionensi et schismate, sive ex necessitate sive ex nimia indulgentia, hac facultate amplissime usi sint, malum exeunte medio aevo potius auctum est quam imminutum. Inde iteratae et nervosae prohibitiones *Conc. Tridentini,*[2] quae maiorem quam praecedentes effectum obtinuerunt, quamvis abusus nonnisi post saecularizationem, initio saec. XIX, ubique sublatus sit.[3]

c) Regula generalis est ut officia ecclesiastica ultra *sex menses* vacare non debeant. Quare intra hoc *tempus* quaelibet provisio facienda est, nisi speciali lege alius terminus statuatur (can. 155).[4] Parociae excipiuntur, si locorum aut personarum peculiaria adiuncta Ordinario diferre suadeant (can. 458). Elapso tempore, quod *utile* supputatur ideoque ab habita *notitia* vacationis, ius providendi devolvitur.

d) Gratis provisio in omnibus suis tribus actibus fieri debet, nam pretio temporali accepto committitur *simonia,* ex qua provisio omni *vi caret,* licet delictum a tertia persona commissum fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem aut eo contradicente. Officium simoniace acceptum dimitti debet *ante* quamlibet iudicis sententiam, nec ulla praescriptio iuvat; provisus non facit fructus suos, et tantummodo quos bona fide iam perceperit potest, iusta intercedente causa, ut puta quia pauper est aut onera adimplevit, Ordinarius vel iudex eidem ex toto vel ex parte *condonare.*[5] Legitimae *taxae* cancellariae non sunt prohibitae.[6]

e) Cuiuslibet officii provisio *in scripto* consignetur (can. 159).

136. Libera collatio. Omnia officia ecclesiastica *liberae collationis,* seu provisione *plena* a legitimo superiore conferenda, praesumuntur, nisi contrarium probetur. Hoc enim apprime convenit principiis iuris nostri et constitutioni monarchicae Ecclesiae. Equidem *R. Pontificis* amplissima potestas

[1] Conc. Later. IV, c. 29 = c. 28, X. 3, 5.

[2] sess. VII, c. 4 de ref.; sess. XXIV, c. 17 de ref.

[3] Aevo moderno maxime in *Germania* cumulus beneficiorum, potissime maiorum, locum habuit, in favorem clericorum ex regiis vel principum familiis. *Sägmüller,* I, 300 s.

[4] can. 161, 432 § 1, 1457, 1467.

[5] can. 727, 729, 1446. Poenae in simoniae reos, can. 2392. *Chelodi,* Ius poen. 93, 104.

[6] can. 730.

valide conferendi, si velit, quodlibet officium in universa Ecclesia, nullo vinculo coarctari posse, exploratum est. *Episcopus* autem habet intentionem in iure fundatam nedum ad concessionem tituli, sed ad *liberam* collationem omnium offficiorum in suo territorio, quae non sint S. Sedi reservata (can. 152, 1432 § 1). Unde qui sibi vindicat ius eligendi praesentandi nominandi onus probationis in se suscipere tenetur, et si in hac deficiat, pro episcopo pronunciandum est.

De facto, *R. Pontifex* utitur suo iure liberae collationis in omnibus officiis maioribus,[1] in dignitatibus capitulorum,[2] in aliquibus beneficiis minoribus per reservationem,[3] in casibus devolutionis. Rariores sunt alii modi: *iure praeventionis* et *iure concursus;* ille hodie usurpatur solummodo in constitutione coadiutoris cum futura successione, hic videtur derelictus.

Episcopus, exceptis beneficiis iuris patronatus, libere confert omnia officia minora, etiam canonicatus. Quoad hos tenetur audire capitulum, quoad paroecias, in multis locis, limitatur lege concursus, sed utraque conditio non adimit provisioni naturam liberae collationis. Idem dicendum si quandoque immissio in possessionem ad alium pertineat.

Nequit autem episcopus *valide* conferre officium vacans per *renunciationem,* quam ipse acceptavit, suis vel resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive. Id statuitur ut cuivis fraudi occurratur.[4] Quodsi sententiam *privationis* tulerit, idem iuris est quoad *eius* necessarios non vero quoad necessarios *privati* (can. 157).

Eadem facultate, qua episcopi, gaudent ceteri *Ordinarii* locorum atque *Cardinales* in urbe residentes quoad officia sui tituli.[5] At nihil potest *vicarius generalis* sine mandato speciali,[6] nec *vicarius capitularis* nisi in paucis casibus a iure expressis pro paroeciis et nonnullis officiis Curiae[7].

---

[1] Cardinales (can. 233), episcopi (can. 329 § 2), abbates et praelati *nullius* (can. 320 § 1), vicarii et praef. apost. (can. 293 § 1), episcopus coadiutor (can. 350 § 1).

[2] can. 396 § 1.

[3] can. 1435 § 1.

[4] De hac prohibitione, quae inducta est per *Pii V* const. *Quanta Ecclesiae,* 1 apr. 1568, late agit *Ben. XIV,* de syn. l. XIII, c. 24, nn. 2 ss. Ad permutationes non extenditur.

[5] can. 240 § 2, 1432 § 1. Limitatio ad residentes desumitur ex stylo Curiae. cf. *Wernz,* II, 348.

[6] can. 152, 455 § 3, 1432 § 2, 1466 § 2.

[7] can. 455 § 3, 426 § 5, 1573 § 7.

IV. ELECTIO.

137. Electio est nomen quod haud raro promiscue ad quamcumque canonicam provisionem significandam usurpatur,[1] *sensu specifico* autem est actus legitimus quo *collegium* vel capitulum personam *idoneam* designat ad officium ecclesiasticum *vacans*. Natura sua non tribuit nisi *ius ad rem*, ideoque ut provisio perficiatur accedat oportet aut *confirmatio* superioris aut dispositio *iuris*, quae electi acceptationi hanc ipsam vim conferat (can. 148 § 1). Vera electio de *una* et determinata persona fieri debet; si plures proponantur, ex quibus superior quam velit assumat, *nominatio* proprie dicitur.[2] Forma electiva in magistratibus Ecclesiae constituendis, olim universalissima, hodie locum non habet nisi cum ius aut privilegium expresse eam admittit. Ita in designando R. Pontifice, vicario capitulari, oeconomo sede vacante, alicubi episcopis et praelatis *nullius*, superioribus religiosis.

Normas generales cuiusque provisionis etiam electionem afficere palam est. Praeterea autem regitur suis legibus, quae *aut* omnino peculiares sunt, ut quae pro electione R. Pontificis vigent vel pro aliis quoque officiis si adsint legitime statutae, *aut* iure communi definitae, quae ni aliud constet in reliquis omnibus servandae sunt (can. 160).

Electus debet esse persona *idonea*. Quodsi electores indignum designent nihil agunt et provisio *devolvitur* ad superiorem (can. 178); si dignum quidem sed qualitate aliqua carentem assumere velint, necesse est ut recurrant ad *postulationem*.

Electio cleri et populi fuit primitivus praepositos ecclesiarum constituendi modus, cui iam saec. IV substituta est pro episcopis electio episcoporum provinciae confirmata a metropolita.[3] Quod ius usque ad saec. XII, saltem theoretice, duravit. Per concordatum Wormatiense facultas eligendi concessa est capitulis, et etiam omnes magni ordines religiosi suas praelaturas hac forma conferre consueverunt. Haec ratio cur in Decretalibus tam late de electione agatur. Inde a saec. XIV, reservationibus pontificiis vel concordatis, ius capitulorum saecularium, paucis exceptis in Germania, Austria, Helvetia, sublatum est; mansit vero in statutis religiosis, quae saepe etiam normas iuri communi derogantes continent.

---

[1] Etiam in terminologia C. cf. can. 232 § 1, 399 § 1, 446 § 1, 1359 §§ 2-3, 1360 § 1, 1393 § 3, 1520 § 1, 1573 § 1 etc. Ex quibus textibus elucet praesertim pro libera collatione voces «electio, eligere» adhiberi.

[2] De alia acceptione vocis *nominationis* cf. infra n. 145.

[3] Conc. Nicaen. 325, c. 4.

138. Electores. *a)* Eligendi *ius* habent omnes qui de collegio sunt, et aut naturali aut positiva lege, in perpetuo vel ad tempus, eodem non sint privati. Ex alterutra causa suffragium ferre *nequeunt:* 1. incapaces actus humani, 2. impuberes, 3. censura vel infamia iuris affecti,[1] post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, 4. qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt, 5. carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi[2] aut particulari (can. 167 § 1). Nullus autem collegio *extraneus* admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis concessione apostolica aut legitima consuetudine quaesitis; secus electio est ipso facto *nulla* (can. 165). Non item universim si interveniat capitularis voto carens, sed dumtaxat eius *suffragii* nulla ratio habetur; quare electus non est qui tot vota retulit ut demum illius addito requisitum numerum assecutus sit. De qua re si constiterit et tempus adhuc suppetat, electio iteranda est, tempore elapso pro infecta habetur. Omnimode vero *nulla* est, licet unanimis, si scienter admissus fuerit excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (can. 167 § 2).

b) Iuris *exercitium* pertinet tantummodo ad *praesentes* in capitulo. Convocatione enim ad normam canonum secuta, absentes suo iuri ea vice renuntiasse censentur: itaque ordinarie, nisi exceptio in particulari statuto firmetur, nec per *epistolam* nec per *procuratorem* suffragium dare possunt (can. 163). Si quis autem in domo, in qua fit electio, praesens quidem est, sed ob infirmam valetudinem eidem interesse nequeat, eius suffragium scriptum a duobus scrutatoribus exquiritur et cum ceteris computatur (can. 168). Qui favor, aegrotis concessus, ob alias causas impeditis extendere non licet. Nemo plusquam *unum* suffragium ferre valet, etsi ex pluribus titulis competens est (can. 164).

c) Convocatio electorum peragitur a praeside collegii, qui opportunum locum et tempus determinat. Interdum fit per edictum, sed si *personalis* esse debet, valet sive fiat in loco

---

[1] Qui infamia *facti* laborant repellendi sunt ab actibus legitimis (can. 2294 § 2), inter quos recensetur etiam suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis (can. 2256 n. 2). Idcirco ab aliis electoribus excludi possunt, sed si, nullo contradicente, suffragium ferant hoc non est invalidum.

[2] cf. can. 181 § 2, 2331 § 2, 2335, 2336 § 1, 2342 n. 2, 2360, 2368, 2389; can. 2390 § 2, 2391 § 1, 2392 n. 2, 2393, 2394, n. 3; de religiosis, can. 578 n. 3, 629 § 2, 639, 640 § 1, 2385.

domicilii vel quasi-domicilii sive in loco commorationis. Neminem praeterire fas est; et si plures quam *tertia pars* neglecti fuerint electio est ipso iure *nulla*. Si autem unus vel alter tantum, valet quidem, at neglectus ius habet, intra *triduum* ab accepta notitia factae electionis, eamdem impugnandi, et superior debet eam, etsi forte iam confirmatam, *irritare* (actio de contemptu).[1] In utroque casu defectus convocationis sanatur si non invitati nihilominus intervenerint (can. 162 §§ 1-4).

Ceterum in his multum attenditur etiam ad ius particulare et probatas consuetudines, ex quibus statutum esse potest ut alius quam praeses ius convocationis habeat, qua forma haec facienda sit, quomodo desideriis et conditionibus electorum, quoad locum et tempus prospiciendum, et alia huiusmodi. Nam qui vocat tenetur non pro lubitu agere, sed ratione electoribus «convenienti» (c. c. § 1).

139. Electionis actus. *a)* Cum electio ad officium *vacans* fiat, de hac conditione imprimis constare oportet. Et quamdiu antecessor in munere durat, designatio successoris prorsus viribus caret (can. 150 § 1). Imo si agatur de officio quod quis ad vitam retinet, valde indecorum aestimatur vel *tractatus* de futura electione agere ante eius mortem;[2] convocatio electorum autem est irrita et nullum habet iuridicum effectum (can. 162 § 5). Vacatione secuta eiusque accepta notitia incipit tempus utile ad electionem, quae ordinarie intra *trimestre* expedienda est.[3] Hoc termino elapso officium *devolvitur* ad liberam collationem superioris cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit (can. 161, 178).[4]

Electio est actus collegialis, quem *collegialiter* et *capitulariter* ad normam iuris (can. 101, 105) absolvere necesse est, praemissa legitima convocatione, in loco opportuno, cum receptis sollemnitatibus[5] et praesertim in plena *libertate*. Cui

---

[1] Recursum tempore utili interpositum esse, debet *iuridice* constare, idest per testes, per scripturam publicam vel aliis modis, qui ad factum in iudicio probandum valent.

[2] Praesertim tractatus de eligendo *R. Pontifice*, eo vivente, severissime prohibiti sunt, poena excommunicationis et depositionis, iam a *Symmacho* in syn. Rom. 499 (= c. 2, d. 79), deinde a *Paulo IV*, const. *Cum secundum Apostolum*, 16 dec. 1558. Nunc *Pii X*, const. *Vacante Sede*, 25 dec. 1904, n. 80 (C. doc. I).

[3] Exceptiones *aut* iure communi (ex. gr. can. 432 § 1) *aut* iure speciali (ex. gr. constitutionibus religiosis) statuuntur.

[4] Idem iuris est, si collegium iure eligendi privetur in poenam.

[5] Etiam *accidentalibus*. Huc spectant celebratio missae de Spiritu sancto, communio electorum, protestatio contra eos qui ius eligendi non habent, absolutio a censuris, examen electorum, iuramentum de digniore eligendo, praevius tractatus, in quo candidati proponuntur. *Wernz*, II, 369.

quia maxime a laicis periculum imminere potest, ius singillatim cavet ut si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo se immiscuerint, eadem *invalida* sit (can. 166), electores autem qui immixtionem sollicitaverint vel *sponte* admiserint ea vice iure eligendi priventur, electus consentiens fiat inhabilis ad officium; haec omnia *ipso facto* sequuntur.[1]

Moderno iure *duplex* eligendi forma admittitur: per scrutinium et per compromissum.[2]

b) Scrutinium fit per scriptas schedulas.[3] Secretis suffragiis deputantur saltem duo *scrutatores,* qui una cum praeside[4] iusiurandum praestare debent de munere fideliter implendo et secreto, etiam expleta electione, servando. Scrutatores colligunt ab unoquoque electore secretum suffragium; omnibus collectis inspiciunt, coram praeside, primo an numerus votorum respondeat numero eligentium (nam si superet scrutinium nullum est), dein quot quisque voces retulerit, denique id palam faciunt (can. 171 §§ 1-3). *Ut* suffragium *valeat* debet esse liberum, secretum, certum, absolutum, determinatum, alii datum. Unde *invalidum* est si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte,[5] adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive:[6] si alta voce prolatum aut in schedula quidem sed nomine eligentis subscripto; si dubiae interpretationi obnoxium; si conditione aliqua limitatum; si alternativum; si ab electore sibimetipsi datum (can. 169 § 1, 170). Quodsi conditiones non in ipsa tessera scriptae sed ante suffragium declaratae sint, tamquam non adiectae censentur (can. 169 § 2).[7]

---

[1] can. 2390.

[2] Non amplius legitima est forma *quasi-inspirationis,* nisi in electione R. Pontificis *(Pius X,* const. *Vacante sede* n. 55). In eo consistebat quod omnes electores, nullo praevio tractatu, nullo contradicente, unanimiter convenirent in designanda certa persona.

[3] can. 171 § 4. Olim frequenter suffragium viva voce scrutatoribus manifestabatur. Qui modus non videtur hodie approbatus, sed si quis scribere nequeat eius suffragium erit statim in schedulam a scrutatoribus redigendum (cf. Const. cit. n. 69).

[4] Si aliquando praeses non est de gremio collegii, non iurat.

[5] Verbum recipit *duplicem* interpretationem: *indirecte* metus incutitur minas inferendo *aut* consanguineis, familiaribus electoris *aut* ipsi in alium finem non praecise in ordinem ad electionem, ita tamen ut suo suffragio elector se a molestia liberare possit. Neutra interpretatio est excludenda. Ceterum metus et dolus aestimandi sunt ad normam can. 103.

[6] Electio, si qui metum aut dolum causat non est laicus, valet, at *rescindi* potest. *Wernz,* II, 371, II.

[7] Hoc canone implicite reprobantur omnes *capitulationes electorales,* quae olim frequentes fuerunt in electionibus tum R. Pontificis tum episcoporum aliorumve praelatorum.

Omnia in scrutinio gesta ab actuario accurate describenda sunt in *instrumento*, quod saltem praeses, actuarius et scrutatores subscribunt et in collegii tabulario asservatur. Suffragia autem statim peracto scrutinio vel post sessionem comburenda sunt, ut secretum electionis tutius custodiatur (can. 171 §§ 4-5).

c) Per *compromissum* dicitur fieri electio si electores, *unanimi* et *scripto* consensu,[1] transferunt pro ea vice ius eligendi in unam vel plures personas, quae vi huius mandati eligunt. Qui modus iure communi permittitur, iure speciali vel statutario saepe scrutinium absolute exigitur et tunc haec forma est servanda. *Compromissarii* debent esse *idonei*, ideoque qualitatibus praediti ad actus legitimos in Ecclesia exercendos requisitis, insuper, si agatur de collegio clericorum, sacerdotes; secus electio est *invalida* (can. 172 §§ 1-2). Assumi possunt tum de gremio tum extranei. Sibi validum suffragium dare nequeunt. In suo munere procedant oportet ad normam iuris communis et mandati, conditiones huic *praeter* ius appositas observent, *contra* ius pro non appositis habeant. Aliter nihil agunt (c. c. §§ 3-4).

Compromissum *cessat* et ius eligendi ad collegium redit: *revocatione* a maiore parte compromittentium facta, re adhuc integra, idest cum compromissarii nondum de eligenda persona agere coeperunt;[2] non secuta *conditione* suspensiva aut non servata substantiali vel resolutiva compromisso apposita; *expleto mandato*, sive electio valida fuerit sed non acceptata sive nulla (can. 173). In *primo* casu electoribus competit adhuc tempus utile unius mensis (can. 176 § 1), non item in *altero*, sed iure uti possunt tantummodo termino nondum elapso et nisi electioni de indigno factae scienter consenserint.[3]

140. Proclamatio. Acceptatio. Confirmatio. *a)* Electione absoluta, praeses electum *proclamare* debet eum qui in scrutinio vota absolute vel relative maiora, secundum normas actuum collegialium (can. 101 § n. 1) retulit, in compromisso vero ad terminos mandati ab unico vel ab omnibus vel a

---

[1] « Quod omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet » can. 101 § 1 n. 1. Consensus *non necessario* exprimitur collegialiter, eo minus scrutinio.

[2] *Reiffenstuel*, l. I, tit. 6, n. 82.

[3] Et si alii consentientes alii dissentientes fuerint, in *iis* solidatur ius eligendi. Doctrina communis. *Reiffenstuel*, l. c. n. 88 ss.; *Wernz*, II, 377.

maiore parte compromissariorum designatus est (can. 174). Id illico *intimandum* est electo, cui *octiduum utile* competit a recepta intimatione ad declarandum acceptet necne. *Acceptatione,* aut plenum ius obtinet, si electio non indiget confirmatione, aut saltem ius ad rem; *renunciatione* omne ius quaesitum amittit (can. 175, 176 §§ 1-2). Nec refert quod postea poenitens renunciationem revocet; potest tamen rursus eligi, nam quasi nova vacatio contigisse censetur et collegium *mensem* pro nova electione habet (can. 176 § 1).

b) Si confirmatio necessaria, hanc electus intra *octiduum* ab acceptata electione, per se vel per alium, a competente superiore petere debet.[1] Negligens, sine iusto impedimento, iure quaesito cadit (can. 177 § 1); audens sine confirmatione officium occupare hac et aliis poenis plectitur.[2] Imo *usurpationis* reus convincitur et eisdem poenis subest etiam si praetextu electionis, quovis titulo, sese ingesserit administrationi vel regimini officii, sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo positi nulli sunt (can. 176 § 3). Capitula et collegia autem, ut complicitatis notam et sanctiones effugiant, ab omni eiusmodi actu eum repellere tenentur.[3]

Si electus idoneus reperitur (processu informativo) et electio ad normam iuris peracta est, superior *nequit* confirmationem denegare. In *scriptis* danda est, eaque obtenta et, si id statuitur, exhibita, electus pleno iure officio potitur (can. 177 §§ 2-4).[4]

V. POSTULATIO.

141. Quid sit. Postulatio est institutum electionis subsidiarium. Cum enim aliquis eligendus est, qui a collegio aptior ac praeferendus existimatur, at canonico laborat impedimento super quo dispensari *potest* et *solet,* electores eum eligere quidem nequeunt, sed a competente superiore postulare possunt, ut eum ab impedimento dispensans admittat. Idque etsi agitur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat (can. 179 § 1). At si quis est *absolute indignus,* iure naturali vel divino, aut impedimento irretitus in quo Ecclesia non

---

[1] Omnes termini: ad acceptationem, ad alteram electionem, ad petendam confirmationem, novo iure abbreviati sunt.

[2] can. 2394.

[3] can. 2394 n. 3. Ideo nec eligere eum possunt in vicarium capitularem (can. 434 § 1), si autem iam sit, tempore electionis, officium retinere et exercere potest (can. 334 § 2).

[4] *Poenae* in male eligentes, can. 2391 §§ 1-2.

solet dispensare, eius postulatio nedum inutilis est, sed invalidae electioni aequiparatur et iuris providendi devolutionem secumfert (can. 182 § 2). *Indulgeri solet* defectus aetatis, natalium si haec illegitima tantum non spuria vel adulterina sint, ordinis, sollemnis professionis, denique libertatis si episcopus etiam titularis tantum ad aliam sedem vocetur.[1]

Universim quivis potest postulare qui eligere. At compromissarii non possunt sine expresso mandato (can. 179 § 2),[2] et iure speciali interdum inter electionem et postulationem omne sublatum est discrimen.[3] Iure communi autem profecto differunt: nam *illa* iuri nititur, *haec* gratiae: unde electus ius ad rem acquirit et sine iustitia repelli non potest, postulatus nullum ius obtinet et superiori eum repellere licet. Ex eadem causa etiam electores *variare* aut postulationem *revocare* valent, antequam eam superiori praesentaverint, postea vero minime nisi superiore consentiente, ne ei illudere videantur (can. 181 §§ 3-4).

142. Quomodo fiat. Ceterum utriusque ferme eadem est ratio. Postulare debent electores «suis suffragiis», ideo in regulari scrutinio, in quo omnia procedant oportet prout in electione, sed formula adhibetur «*postulo*» vel aequivalens. Haec ad valorem actus, nam si qui postulandus est eligitur, nec electio nec postulatio habetur. Formula autem «*eligo vel postulo*» valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione, et apte usurpatur in casu dubio (can. 180 § 2).

Si omnes electores vel compromissarii postulant, *maior pars* sufficit ut postulatio vim habeat; si vero alii postulent alii eligant, saltem *duae tertiae partes* requiruntur (c. c. § 1), dum e contra praevalet *electio*,, si qui pro ea stant vel uno suffragio tertiam partem superent.[4]

Intra *octiduum* ipsi postulantes adire debent superiorem, cui ius est confirmandae electionis, si is dispensandi facultate pollet, secus R. Pontificem aut alium habentem facultatem. Si

[1] Ita doctrina hucusque communis, cf. *Wernz*, II, 393.

[2] Contrarium hucusque ex c. 30, X. 1, 6.

[3] cf. *Wernz*, II, 393.

[4] Interpretatia dubia. Aliter sentit *Maroto*, I, 668, qui putat ad electionem, etiam in hoc casu, necessaria esse suffragia absolute vel relative maiora (can. 174). Et forsan recte. Attamen quae in textu refertur est antiqua doctrina communis et ex verbis non apparet *evidenter* ius esse mutatum, eo magis quia canon fere ad litteram concordat cum summario c. 40, X. l. 6. Nec urget argumentum deductum ex can. 24 in VI. 1, 6, quia hoc caput exceptionem continet contra regulares.

sua culpa terminum neglexerint, postulatio nulla evadit et pro ea vice iure eligendi aut postulandi privantur (can. 181 §§ 1-2). Item si scienter non admittendum postulaverint; ex alia causa autem reiecta a superiore postulatione, ius eligendi ad collegium redit (can. 182 § 1).

Si vero admissa fuerit, *intimanda* est postulato,[1] qui secundum easdem normas ac electus respondere debet an acceptet, acceptans vero statim plenus ius in officium acquirit (c. c. §§ 2-3).

Ab hac postulatione, quae *sollemnis* dicitur, distinguunt canonistae postulationem *simplicem*. Cuius nomen est valde improprium: haec enim est mera petitio *licentiae* ut *eligi* possit qui nullo canonico impedimento detinetur, sed tantummodo non plena gaudet libertate acceptandi officium, ut puta Cardinalis qui stare debet mandatis R. Pontificis, religiosus qui subest suo Praelato, clericus alienae dioeceseos qui speciali titulo ei sit alligatus. Licentia sive ante sive post electionem impetrari potest, et nullimode ad hoc requiritur actus collegialis.

VI. PRAESENTATIO.

143. Ius patronatus. Quartus modus provisionis officii ecclesiastici est *praesentatio,* quae fit per exercitium iuris patronatus.[2] Cuius originaria acquisitio in posterum sane exclusa est (can. 1450 § 1), at cum iura existentia non sint abrogata amplam adhuc retinet applicationem. Patronatus est summa complurium privilegiorum et obligationum (can. 1448), sed prout hic respicitur definiri potest: «ius designandi et *praesentandi* ad *vacans* officium clericum *idoneum,* a superiore *instituendum*» (can. 1455 n. 1). Praesentatione acquiritur *ius ad rem,* provisio deinde completur per *institutionem,* quae a legitima auctoritate conceditur et potestatem confert.

Patronus esse potest quivis fidelis, sive vir sive mulier, imo etiam persona moralis. Ius autem afficit plerumque sola officia beneficialia minora, quamvis, si de privilegio apostolico constet, exclusi non sint etiam episcopatus aliaeve praelaturae.

---

[1] Iure antiquo intimatio facienda erat statim post publicatam postulationem, et exquirendus consensus *conditionalis*.

[2] De iure patronatus et praesentatione C. agit in libro de *rebus*. At in *systematica* expositione non videntur hoc loco omitti posse canones qui pressius de praesentatione, quae forma est provisionis officii, agunt; reliquis tamen, qui acquisitionem, amissionem, iura honorifica et utilia spectant, at tractatum de rebus amandatis.

Huc venit quoque consuetudo, alicubi vigens, qua *populos* ad beneficia simplicia vel curata clericum sibi gratum eligere ac praesentare valet; quod ius si forte proprie patronatus non est, huic proxime accedit et eisdem normis regitur, sed eo limitatur quod clericus seligendus est *inter tres* ab Ordinario loci designatos (can. 1459). [1]

Iam primis saeculis nomina fundatorum ecclesiarum in diptychis inscribebantur ut publice recitarentur. In *Oriente* leges imperiales eis ius concedebant constituendi administratorem ecclesiae a se conditae et offerendi episcopo clericum instituendum.[2] In *Occidente* eadem facultas agnita est primum episcopo qui in aliena dioecesi ecclesiam aedificavisset, serius etiam laicis.[3] Haec sunt prima vestigia iuris patronatus, quod tamen stricte *personale* erat.

Prout autem in classico iure canonico receptum est, institutum suum fundamentum habet in *iure germanico*, Hoc enim domino, qui in suo fundo ecclesiam aedificaverat, plenum et absolutum eiusdem dominium tribuebat, adeo ut de hac «ecclesia propria» aequali modo ac de bonis patrimonialibus libere disponere posset: eam alienare, donare, haereditate dare, destruere, pro lubitu clericum ad eius servitium assumere vel dimittere.[4] Idem ius vindicabant sibi laici in ecclesias quas in *feudum* acceperant vel suae *advocatiae* subdiderant. Et pari ratione ac nobiles in ecclesias minores et paroeciales, principes in maiores et cathedrales dominium exercebant: nulla ferme erat quae ex uno vel altero titulo non esset alicuius «propria».

Recuparandae libertati in constituendis Praelatis Ecclesia suscepta lucta de investituris studuit et initis pactis, quae eam concluserunt; in officiis minoribus simili modo per quandam transactionem utriusque partis iura conciliata sunt, invecto *iure patronatus*. Cuius verus auctor est Gratianus, quamvis nomen apud eum nondum occurrat,[5] a doctrina praeformatum institutum admissum est deinde et sancitum per decretales, praesertim Alexandri III.[6]

---

[1] Ubi autem in provisione paroeciarum viget *lex concursus*, electores ius habent seligendi *inter omnes* qui idonei renunciati fuerint. C. C. 14 febr. 1920 (A. XII, 163), nisi contraria consuetudo (prout in dioec. Tridentina) ferat ut tres tantum Ordinarius eis proponat.

[2] l. 15, C. 1, 2; l. 45, C. 1, 3; Nov. 57, c. 2; Nov. 123, c. 18.

[3] syn. Arausic. I, 441, c. 10 (= c. 1, C. 16, q. 5); syn. Tolet. IX, 655, c. 2 (= c. 32, C. 16, q. 7).

[4] *Eigenkirchenrecht*. Huius momentum in evolutione iuris canonici his ultimis annis illustratum et forte etiam exaggeratum est praesertim a *Stutz* eiusque schola (Die Eigenkirche als Element des mittelalterlich-germanischen Kirchenrechtes, Berlin, 1895; Geschichte des kirchl. Benefizialwesens von seinen Anfängen bis auf die die Zeit Alex. III, Stuttgart 1895). Ceterum fatendum est nova studia ostendisse maiorem quam hucusque credebatur fuisse influxum iuris germanici in ius nostrum. cf. *Koeniger*, Geschichte 27 ss.

[5] Terminus «patronus» legitur primum apud Ruffinum, «ius patronatus» inde a saec. XI exeunte. cf. *Stutz*, Gratian u. die Eigenkirche in Zeitschrift der Sav.-Stift. Kan. Abt. I (1911) 30 et *Dorn* in eadem VI (1916) 391 ss.

[6] *Stutz*, Gratian 17 ss. 27 ss. cf. Decretum C. 16, qq. 5 et 7.

144. Praesentatio. Fieri debet a patrono habili, de persona idonea, tempore utili.

a) Habilis est *patronus* qui et ius et iuris expeditum exercitium habet. *Nequeunt* enim eo uti censura vel infamia iuris innodati, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, usquedum censura vel infamia perdurant (can. 1470 § 4);[1] item *quiescit* ius si ecclesia patronata collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus aut si reditus beneficii defecerint, quoad patronus illam restauraverit, hos suppleverit (can. 1469 § 2). *Minores* nonnisi per parentes aut tutores praesentare possunt, quodsi hi acatholici sint ius interim *suspenditur*. Uxor autem per se ipsam illud exercet (can. 1456).

Cum autem *plures* sunt patroni, videndum utrum *collegialiter* an *singulariter* ius eis competat. Si primum, praesentatio decernitur per vota maiora (can. 101), at post secundum inutile scrutinium omnes qui *eumdem* numerum suffragiorum, maiorem prae ceteris, retulerunt praesentati censentur. Si alterum, unusquisque praesentare potest et sufficiunt vota *relative* maiora. Quodsi contingat ut plures aequalem numerum votorum obtineant, omnes ut praesentati habentur (can. 1460 §§ 1-2). Licet tamen patronis singularibus, tum pro se tum pro suis successoribus, de *alternis* praesentationibus pacto convenire, dummodo accedat scriptus Ordinarii consensus, qui semel praestitus nequit, illis invitis, valide revocari (can. 1459). Qui ex diversis titulis ius praesentandi obtinet, tot habet voces quot titulos (can. 1460 § 3).[2]

Cuilibet patrono, etiam ecclesiastico, integrum est *quot* velit praesentare, *tum* una simul *tum* successive, intra tempus praescriptum, dumne praecedentes excludat *(ius variandi* cumulativum, c. c. § 4). At nulla est obligatio superioris expectandi subsequentes praesentationes.[3]

b) Praesentatus debet esse idoneus, videlicet qualitatibus omnibus requisitis praeditus, saltem die acceptationis (can. 1463). Lege concursus extante, in hoc legitime probatus sit oportet (can. 1462). De idoneitate Ordinarius iudex est unicus, qui sive per inquisitiones, etiam secretas, sive per examen se certiorem reddere tenetur (can. 1464 § 2).

---

[1] Et ab eo exercendo *repelli possunt* qui ab actibus legitimis interdicuntur (can. 2256 n. 2), praesentatio autem valet si non excipiantur. Idem dicendum de censuratis ante sententiam.

[2] Secus ac in electione, cf. can. 164.

[3] *Wernz*, II, 424, 428. Hucusque ius *variandi* patrono ecclesiastico denegabatur.

Nemo *se ipsum* praesentare potest, nec compatronis accedere ut numerum necessarium suffragiorum pro se compleat (can. 1461); potest tamen a ceteris exhiberi aut officium a collatore sponte oblatum acceptare.

c) Tempus utile, intra quod praesentatio facienda est, salva lege fundationis aut legitima consuetudine quae *brevius* praescribat,[1] est *quadrimestre.* Ignoranti et impedito tempus non currit. Et legitime ignorat usque dum notitiam vacationis *atque,* si agatur de beneficio per concursum conferendo, nomina sacerdotum in concursu probatorum, superior, cui ius est instituendi, ei directe intimaverit (can. 1457). Termino ex negligentia patroni inutiliter elapso, officium fit ea vice liberae collationis (can. 1458 § 1).

Si *controversia* exoritur, sive de ipso *iure* inter Ordinarium et patronum aut inter ipsos patronos, sive de *praesentatione* inter plures praesentatos aut inter Ordinarium qui institutionem denegat et patronum vel praesentatum qui pro ea insistit et contra negantis decretum recursum interponit, collatio *suspenditur* quoad lis diremta sit. Causae de ipso iure, activo vel passivo, pertractantur plerumque ordine iudiciario, causae de idoneitate et meritis praesentati ordine administrativo. Interim Ordinarius, si opus sit, vicarium seu oeconomum constituit, tempus autem patrono prorogatur (can. 1458 § 2 et 1465 § 1).

145. Institutio. Praesentatio facienda est loci Ordinario (can. 1464 § 1). Qui si clericum *non idoneum* iudicet eum *repellere* debet, quin teneatur rationes patrono aperire (c. c. § 3). Hic autem, si quidem culpa sua aut negligentia ineptum exhibuerit intra ipsum quadrimestre alterum offerre valet, quia iure variandi fruitur; si absque culpa, *novum* quadrimestre ei conceditur, quia iuris privatio rationem poenae habet.[2] At *altero* quoque non idoneo reperto, locus est liberae collationi, salvo iure recursus, intra decendium, sive patroni sive praesentati, quo interposito provisio suspenditur (can. 1465 § 1).

---

[1] *Breviorem* terminum dumtaxat ius approbat; unde recte concluditur nulli patrono concessum esse hodie *semestre,* etiamsi id in tabulis fundationis scriptum esset. Hucusque iure communi in patronatu ecclesiastico et mixto.

[2] Textus legis non est perspicuus. Sed ex verbis «dummodo tempus utile ad praesentandum sua negligentia lapsum ne sit» *duo* casus videntur esse distinguendi, illius qui *culpa* et illius qui *sine culpa* non idoneum praesentavit. Secus enim sequentia «intra tempus de quo in can. 1457» essent mera tautologia. Huic interpretationi succurrit doctrina hucusque recepta.

Si autem legitime praesentatus *idoneus* sit, ius habet ad canonicam *institutionem*, intra duos menses nisi iustum obstet impedimentum, necessario dandam (can. 1466 § 1, 1467). Haec dicitur *collativa tituli*, nam actus est quo potestas officii pleno iure obtinetur. Inter plures idoneos Ordinarius libere eligit quem maluerit, et licet ex praecepto digniorem praeferre teneatur, is forte neglectus violati iuris conqueri nequit (can. 1466 § 3). Praesentato autem ante institutionem mortuo vel renunciante, patrono rursus integrum tempus praesentandi spectat (can. 1468).

Institutioni concedendae *competens* est Ordinarius loci, non excepto vicario capitulari, non autem vicarius generalis sine mandato speciali (can. 1466 § 2). Praemittenda esse *edicta*, ut si quis se laesum putet ius suum tueri possit, hodie nec ad validam nec ad licitam institutionem requiritur; *scripto* dandam institutionem lege praescribitur; *gratis* autem non opus est dicere, nam simonia tum praesentationem tum institutionem radicitus vitiari explorati iuris est (can. 1465 § 2).

Iuris praesentandi simile est *ius nominandi*, quod ex concessione Sedis Apostolicae principibus vel guberniis competit, praesertim in provisione officiorum maiorum. Quod privilegium, inde a fine saec. XV frequenter in concordatis interdum etiam extra concordata agnitum,[1] hodie alicubi adhuc viget. Illud reipublicae moderatores veluti nativum potestate propria non possidere compertum est,[2] sed nec titulo fundationis aut dotationis innititur, quare verum ius patronatus non est[3] et C. expresse cavet ne hoc deducatur ex eiusmodi indultis, quae *strictae* subduntur interpretationi (can. 1471). Utpote privilegium autem auferri aut limitari potest abutentibus, quamvis Ecclesia nisi necessitate salutis publicae coacta, id non faciat.

Ceterum eodem modo ac patronatus exercetur: nominatus ius ad rem acquirit et si idoneus a superiore est necessario instituendus. At tempus utile rigorose non urgetur, nec devolutio, si agatur de minoribus beneficiis, admitti solet.

Alia nominatio, quae potius *commendatio* dicenda esset, nunc usuvenit in pluribus regionibus, per quam candidati ad sedes episcopales R. Pontifici designantur. Sed haec nullum ius confert.[4]

---

[1] *Hinschius*, II, 597, 599, 609 ss.

[2] *Pius IX*, Syll. n. 50: «Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant».

[3] Licet hoc nomine saepe veniat (vel in concordatis pro Costarica, Venezuela, Nicaragua et S. Salvador) ex negligenti quodam usu loquendi, et licet antiqui principes saepe ex hoc titulo ius nominandi episcopos sibi vindicaverint.

[4] Vide infra n. 188.

VII. AMISSIO OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

146. Amissio officii est factum iuridicum, quo titulus et possessio, consequenter nomen iura obligationes magistratus cessant. Eam consequitur *plena* vacatio. At si quis sola possessione privatur, vere officium amittere non dicitur, sed quomodo *titulo* cadat hic profecto praecipue dispicitur. Quod interdum solo facto sine voluntate, plerumque facto voluntario, cui ius hunc effectum adnectit, evenit. Ex *primo* capite officium vacat morte, lapsu temporis praefiniti, resoluto iure superioris a quo fuerat concessum. De *morte* legitime constare debet, et in casu dubio vacatio pronunciari nequit nisi post iudicialem aut saltem administrativum processum.[1] *Lapsu temporis* amittuntur illa tantum officia quae aut legis aut superioris dispositione in diem conferuntur.[2] *Resoluto iure* concedentis, regula est ut nullum officium amittatur; quod proinde servandum quoties exceptio non probetur, sive quia ipsum ius aliud cavet, ut puta de vicario generali, sive quia concessio data est cum clausula «ad beneplacitum nostrum» vel alia aequipollenti (can. 183 § 2).

Ex *altero* autem capite, modi quibus officium aufertur sunt: renuntiatio, privatio, amotio, translatio (c. c. § 1).

147. Renuntiatio est «spontanea et legitima officii dimissio in manu superioris eam acceptantis». Diducitur in *expressam* et *tacitam*, *absolutam* et *conditionatam*. In tacita proprie renuntiatio non est sed a iure praesumitur ex facto quod per se alio tendit; conditionatae ius non favet, ideoque nonnisi per exceptionem in beneficialibus quandoque Ordinarius eam admittere potest, in reliquis officiis necessaria est venia Sedis Apostolicae.[3] Imprimis igitur agendum de expressa et absoluta.

a) Renunciare potest *quisquis* officium habet et non prohibetur (can. 184). Quare *nec* qui nondum acquisivit *nec* qui iam privatus est *nec* qui natura aut iure interdicitur *valide* ei valedicere potest. *Prohibetur* autem primum qui suae mentis compos non est, deinde novitius (can. 568), item pro-

---

[1] Qui instituendus erit analogice ad formam in probanda morte coniugis praescriptam. cf. C. C. 28 aug. 1841 *(Richter,* 39, n. 21).

[2] Eiusmodi complura esse officia in iure nostro, compertum est.

[3] can. 1486.

motus titulo illius officii ad ordines sacros, alio titulo non substituto,[1] denique qui aliunde ad honestam sustentationem necessaria non habet.[2]

b) Porro, cum publicis muneribus pro arbitrio se abdicare non liceat, opus est *acceptatione* superioris (can. 187 § 1). Eius scilicet cui de iure *ordinario* titulum conferre pertinet, sive libere sive per confirmationem vel institutionem, licet officium ab alio vi reservationis aut devolutionis acceptum fuerit. Unde practice aut in manu R. Pontificis aut Ordinarii (non tamen vicarii generalis) renunciandum est, alioquin nihil agitur (can. 187). Nec electores nec patronos in hoc negotio ullam partem habere posse palam est, eo minus auctoritatem civilem, et qui *laicis* resignare praesumeret delicti reus fieret.[3] Dantur autem renuntiationes quae acceptatione non egent, hae exhibendae sunt ei qui officium contulit vel qui eiusdem locum tenet (ex. gr. a vicario capitulari capitulo), excepta renuntiatione R. Pontificis.[4]

c) Nec sine *iusta causa* licite aut exhibenda aut admittenda est (can. 184, 189 § 1). In iure *demonstrative* sex enumerari solent: conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum populi, irregularitas.[5] Hae vel ad abdicandum episcopatum sufficientes censentur, a fortiori proportionatae sunt dimissioni officii minoris, imo leviores quoque et generatim omnes quae utilitatem Ecclesiae et fidelium aut bonum etiam renunciantis respiciunt, dummodo rationabiliter quaesitum.

d) Denique, ut valeat, *libera* sit oportet, non ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali procedens; nulla *simoniaca* labe infecta; *scripto* aut si oretenus coram *duobus testibus* expressa. Fieri etiam potest per procuratorem, speciali mandato munitum, qui eodem modo eam exhibere tenetur; in quolibet casu autem de legitima resignatione ex documento in tabulario Curiae assevando constare debet (can. 185, 186).[6]

---

[1] can. 1485.

[2] can. 1484.

[3] can. 2400.

[4] can. 221.

[5] Ex c. 10, X. 1, 9. *Reiffenstuel*, l. I, tit. 9, nn. 34 ss., *Devoti*, l. I, tit. 9. n. 10. Causas resignandi officii minoris recenset *Pius V* const. *Quanta Ecclesiae*, 1 apr. 1568.

[6] Unde si coram testibus viva voce fiat, conficiendum est authenticum instrumentum; si per procuratorem, etiam exemplar mandati est deponendum.

e) Renuntiationem legitime factam renuntians *revocare* nequit, quamvis si acceptatio requiratur possit a superiore petere ut eam reiiciat aut idem officium postea ex nova collatione consequi (can. 191 § 1).[1] Ordinarius loci autem intra *mensem* eam aut admittere aut reiicere necesse habet (can. 189 § 2). Et demum postquam acceptata fuerit et acceptatio *intimata*, valet. Unde interim, donec de hac re certum nuntium acceperit, renuntians officium deserere prohibetur (can. 190).

Hodie non amplius irrita est renuntiatio cuius praetermissa sit *publicatio*, nec urget necessitas conferendi officium intra mensem, sub poena devolutionis.[2] Nihilominus Ordinarius *praecepto* tenetur ut tempestive de secuta vacatione certiores faciat eos qui aliquod ius in officii provisione habent (can. 191 § 2).

148. Renuntiatio tacita. Haec, quamvis eius causa sit voluntaria, modo cum culpa modo sine culpa, potius quam a clerico fieri, *induci* intelligitur a *iure*, quod cum certa rerum conditione officium ecclesiasticum simul consistere non sinit. Unde locum habet solummodo in casibus *taxative* statutis, sed in iis *ipso facto* et sine ulla declaratione cum omnibus effectibus (can. 188).

Qui casus sunt: *a)* emissio *professionis* religiosae, etiam simplicis, quoad omnia officia, exceptis beneficialibus quae vacant demum post triennium et paroeciae post annum (can. 584); *b)* negligentia in *adeundo* officio intra tempus utile a iure aut, deficiente iure, ab Ordinario determinatum; *c)* assecutio pacificae *possessionis* alterius officii cum priore incompatibilis; *d)* a fide catholica *publica apostasia* aut adscriptio sectae acatholicae; *e) desertio status clericalis*, sive quis matrimonium, etiam civile tantum, contraxerit, dumne invalide ex defectu consensus, sive militiae saeculari sponte nomen dederit, sive habitum ecclesiasticum arbitrio suo dimiserit et monitus intra mensem non resumpserit; *f)* omissio *residentiae*, si haec praecepta sit, nulla iusta causa excuset, intimatae ab Ordinario

---

[1] Iure antiquo ante acceptationem dabatur poenitendi copia *(Reiffenstuel,* l. c. n. 40; *Devoti,* l. c. n. 8). Verba can. 191 § 1 «legitime *facta*» non videntur includere admissionem (cf. can. 190 § 1 «*facta* et *acceptata*»), inde interpretatio restrictiva in textu, cuius ceterum rationes congruentiae non desunt (cf. can. 181 § 4).

[2] Utrumque olim severissime servandum erat ex Greg. XIII const. *Humano vix iudicio*, 5 ian. 1584.

monitioni eiusdem instaurandae intra praefinitum tempus *nec* pareatur *nec* respondeatur. At si clericus causas absentiae afferat, licet illegitimas, ut officio privetur opus est instituere processum administrativum.[1]

Prioribus Ecclesiae saeculis vix ulla occurrunt exempla clericorum qui sua officia dimiserint, praesertim cum ordinatio et munus arcte cohaererent. At prorsus prohibitum non erat, quin episcopus de consensu synodi provinciae, clerici inferiores de venia episcopi a ministerio se abdicarent.[2]

Seiunctis officiis ab ordine, multiplicatis clericis, renuntiationes, inde a saec. XII et praesertim ab Alex. III, facilius admitti coeperunt, atque in iure Decretalium statutum est ut ab episcopis in manu R. Pontificis, a ceteris magistratibus in manu Ordinarii officia essent dimittenda.

149. Privatio. Ab ultronea officii amissione, vera vel praesumpta, distinguitur *coacta*, quae aut privatio aut amotio aut dimissio esse potest. *Privatio* si officium aufertur in poenam, *amotio* si praecipue ob causam boni publici etiam innoxio, *dimissio* si de munere agitur quod ad nutum concessum fuit. Ecclesiasticum magistratum autem ad abdicandum munus neminem legitime adigere posse, nisi competentem superiorem, et nec electorum nec patroni rem hanc esse, vix opus est dicere (can. 195).

a) Privatio, sensu proprio,[3] sine culpa non intelligitur, cum sit gravissima sanctio vindicativa; incurritur autem aut *ipso iure* aut *sententia* iudicis. Numquam vero nisi ob crimen expressum in iure et si inferenda sit nisi servato ordine iuris. Utrum processus stricte iudicialis an specialis et summarius adhibendus sit, a genere delicti pendet.[4] At semper *alteruter* necessarius est ut quis privetur officio inamovibili (can. 192 § 2), a ceteris delinquens aptius amovetur vel dimittitur.[5] In illo patet *appellatio* ad tribunal secundae instantiae in suspensivo, in hoc *recursus* ad S. Sedem cum effectu ut officium interim

[1] can. 2168-2171, 2381. cf. *Chelodi,* Ius poen. 98.

[2] cc. 13, 14, C. 7, q. 1 (Greg. M. 597, 602).

[3] Nam in ipso C. appellatio interdum usurpatur *generice,* pro quacumque remotione ab officio.

[4] Omissio residentiae, concubinatus clericorum, negligentia parochorum in gravissimis obligationibus adimplendis *extraordinaria* procedura (l. IV, tit. 30-32), reliqua delicta *ordinaria* puniuntur.

[5] Plerumque: nam *parochi* amovibiles etiam poenae privationis subduntur, quae sane gravior est quam amotio.

stabiliter alii conferri nequeat.[1] Quaenam sint delicta quibus aut latae aut ferendae sententiae privatio comminata est, in iure poenali dicendum; hic sufficit animadvertere in potestate Ordinarii non esse *nec* latae sententiae privationem remittere[2] *nec* ferendae, quoad beneficia, remedium iudicialis correptionis substituere.[3]

b) Amotio est peculiaris forma privationis quae *parochos* tantum spectat. Naturam habet oeconomicam, nullam aut leviorem culpam supponit, et imprimis ac directe ordinatur ad salutem fidelium. *Causae* in iure recensentur magis demonstrative quam taxative, nam tandem ad eam deveniri potest quoties parochi ministerium inefficax evaserit.[4] Applicare eam *fas* est et *oportet* tam contra amovibiles quam contra inamovibiles, in utroque casu similis sed specialis modus procedendi praescribitur, at *illi* facilius et expeditius, *hi* maturiore et iterata deliberatione amoventur.[5] Contra definitivum decretum datur recursus ad S. Sedem, quo pendente collatio officii suspenditur. Amotus autem convenienti provisioni ius habet.

c) Simplici *dimissioni* denique locus est in omnibus officiis amovibilibus, exceptis paroeciis. Haec decerni potest ab Ordinario, ex qualibet *iusta* causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum, nullo iuris ordine servato, solo *decreto administrativo.* At profecto naturalis *aequitatis* ratio habenda est: tum ne fama nomenque dimissi laedatur, tum ne notabile damnum ei inferatur, tum praesertim ne eius honesta sustentatio in discrimen adducatur. Effectum sortitur postquam fuerit a superiore *intimata;* adversus decretum datur recursus ad Sedem Apostolicam in devolutivo tantum (c. c. § 3).

150. Translatio est etiam modus quo officium amittitur, ac definitur: «ecclesiastici magistratus de una in aliam ecclesiam facta mutatio». Absolvitur itaque renuntiatione vel privatione et collatione alterius muneris. Quare distinguitur in *liberam* et *coactam.* Palam est nemini licere pro lubitu

---

[1] can. 2146 § 3.
[2] can. 2237 § 1.
[3] can. 1948 n. 1.
[4] can. 2147 § 1.
[5] can. 2147-2161.

ecclesiam mutare sed opus esse *superioris* auctoritate. Item ad eam perficiendam non alium competentem esse, quam qui *et* dimissionem prioris *et* provisionem alterius expedire potest, ex natura rei sequitur (can. 193 § 1). Unde Summus Pontifex tantum transferre valet episcopos aliosve praelatos immediate subiectos, Ordinarius inferiores magistratus in *suo* territorio.[1] Aliorum iussu vel proprio arbitrio migratio facta *irrita* plane est.

a) Ius translationibus non favet; proinde clericum etiam *consentientem* nonnisi ex *iusta* causa loco mutare fas est. Quae fere eadem erit ac pro renuntiatione, aut minor quoque, dummodo promotus novo officio aptus et utilis sit. Nec ulla certa forma requiritur, salvo iure quod forte patronis vel electoribus in provisione competat.

b) Clerici autem *inviti* translatio, cum secumferat officii *a quo* privationem, nec licite nec valide fieri potest nisi servato ordine iuris (c. c. § 2). Ideoque si de *amovibili* agitur, excepto parocho, satis erit dispositio administrativa, dumne aequitas violetur; si de *inamovibili*, necessarius erit processus in quo probetur crimen privatione dignum.[2] Exceptio est dumtaxat quoad paroecias. Si *amotioni* locus est, nihil prohibet Ordinarium quominus parochum amotum, qui ceterum idoneus sit, de alio officio etiam paroeciali provideat. Si amotio *excluditur*, quia nulla causa subest, sed tantummodo translatio optatur propter bonum animarum alterius paroeciae, parochum inamovibilem Ordinarius hortari quidem potest ut eam acceptet, at cogere nequit.[3] Amovibilem autem transferre quidem valet, ad paroeciam ordinis non nimio inferioris,[4] sed peculiari procedura utatur oportet.[5]

c) Effectus translationis est ut officium *a quo* vacet, id tamen evenit demum post captam alterius canonicam possessionem. Ideo usque ad hoc momentum translatus integros

---

[1] Si translatio fit ab una in alteram dioecesim, evidenter consensus *utriusque* Ordinarii requiritur; insuper ex iam dictis compertum est *vicarium generalem* sine mandato speciali nullam potestatem habere, *vicarium capitularem* limitatam, cum officia liberae collationis concedere nequeat.

[2] In iure recensetur «*translatio poenalis* ab officio vel beneficio obtento ad inferius» (can. 2298 n. 3), at haec infligi non posse videtur citra casus, in quibus privatio sit admissa (can. 2299 § 1), et praecise ut huius poenae mitigatio.

[3] can. 2167 § 1.

[4] Quia secus translatio non oeconomica sed poenalis esset, cuius in hypothesi nulla ratio.

[5] can. 2163-2167.

fructus prioris percipit (can. 194). Quod obtinet etiam in translatione episcopi, licet is ipsa intimatione officio suo cadat.[1] At inferior clericus qui sua culpa causam ponat, ob quam officium *a quo* vacet priusquam novum susceperit, sibi imputare debet si utriusque fructibus careat.

Translationes *episcoporum* antiquis canonibus improbantur, tum quod quasi spirituale *adulterium* habentur, propter matrimonium ab episcopo cum sua ecclesia initum, tum propter *ambitus* et *avaritiae* suspicionem.[2] Attamen quamvis prohibitio vehementer urgeretur, non desunt exempla, iam saec. IV et deinceps, concessae translationis ob necessitatem vel magnam utilitatem Ecclesiae. Utrum haec revera adesset *synodus provincialis* olim expendebat, at paullatim inde a saec. IX R. Pontifices hanc causam, veluti maiorem, sibi reservare coeperunt.[3] Quod aetate Innoc. III ius commune factum est. Mutationes sine iusta causa et invitis impositas, quae identidem medio aevo exeunte occurrerunt,[4] *Conc. Constantiense* (sess. XXXIX c. 4, 1417) et *Conc. Later. V.* (1514) interdixerunt.

Simili ratione translationes *inferiorum magistratuum* initio absolute prohibitae, serius consentiente episcopo permissae sunt;[5] imo hae facilius, cum illorum vinculum cum ecclesia non adeo arctum et firmum censeretur.

---

[1] can. 430 § 3.

[2] Conc. Nicaen. I, 325, c. 15 (= c. 19, C. 7, q. 1 sed in textu imperfecto, cf. *Galante*, Fontes, 66) districte prohibuit et irritavit translationes episcoporum, presbyterorum et diaconorum. De quo *Hieronymus* (ep. 69 ad Ocean.): «Et hoc in Nicaena quoque synodo a Patribus decretum, ne de alia in aliam ecclesiam episcopus transferatur, ne virginis pauperculae societate contempta *dilioris adulterae* quaerat amplexus». Multa alia concilia et Patrum effata ostendunt quam infensa fuerit translationibus antiquitas. Et tunc iam comparatio cum matrimonio recepta, unde eam nec ab Isidorianis decretalibus (in c. 11, C. 7, q. 1, *Pseudo-Evaristus*) nec eo minus ab Innoc. III inductam esse, uti quidam voluerunt, patet. At cum idem Pontifex vinculum hoc spirituale *fortius* dixerit quam *carnale* coniugium consummatum (c. 2, X. 1, 7, cf. cc. 3 et 4 eod.), antiquiores canonistae conclusiones deduxerunt, quae indubie abs re sunt, cum tandem nullum *ius divinum* legitimae translationi obstet. cf. *Devoti*, Ius can. l. I, tit. 7; *Reiffenstuel*, l. I, tit. 7, nn. 13 ss.

[3] cc. 34, 35, C. 7, q. 1 sunt pseudo-isidoriani, sed *practice* ius iampridem exercitum est, *theoretice* ab hoc tempore etiam in documentis authenticis affirmatum. cf. *Devoti*, o. c. p. 117; *Wernz*, II, 521.

[4] Serius abusus potius ex parte episcoporum fuerunt; v. *Bellarmini*, postulatum Clem. VIII exhibitum ap. *Ben. XIV*, De syn. l. XIII, c. 16, n. 5.

[5] c. 37, C. 7, q. 1 (= c. 27 Stat. Ecc. antiq.); syn. Epaon. 517 c. 5; c. 5, X 3, 19.

CAPUT IV.

DE SINGULIS GRADIBUS HIERARCHIAE IURISDICTIONIS

I. ROMANUS PONTIFEX.

151. Primatus. Ecclesiae constitutionem, *iure divino*, esse *monarchicam* ideoque perpetuo in ea esse oportere supremum auctoritatis caput, commune centrum unitatis, dogmatice definitum est.[1] Quare *primatus* est elementum essentiale et praecipuum in ordinatione Ecclesiae, est verum et omnium primum officium in hierarchia iurisdictionis.[2] Qui eum obtinet vocatur *Summus Pontifex* seu *Papa*. De iure et de facto haec dignitas coniuncta est cum episcopatu Romano,[3] ita ut qui huius urbis episcopus fit eo ipso etiam supremam in Ecclesia potestatem assequatur.

Primatialis potestas in eo consistit ut R. Pontifex habeat non solum praeeminentiam honoris, sed *supremam* et *plenam* potestatem *iurisdictionis* in universam Ecclesiam, tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen pertinent (can. 218 § 1). Haec potestas est *ordinaria*, quae non tantum in aliquibus extraordinariis adiunctis, non ex delegatione Ecclesiae aut pastorum aut fidelium, sed vi muneris divinitus commissi semper et ubique exerceri potest; est *immediata*, quae non solum certa negotia et causas complectatur sed quae directe omnes et singulas res ecclesiasticas, omnes et singulos fideles attingere valeat. Quocirca est vere *episcopalis* et in hoc sensu Summus Pontifex merito dicitur episcopus universalis, episcopus totius Ecclesiae: prout enim episcopus in tota sua dioecesi, ubi opus sit, auctoritatem exercendi et ius et obligationem habet, ita Papa quoties et ubicumque necessitas postulet auctoritatem suam interponere potest (c. c. § 2). Unde efficitur ut inferiores Praelati conqueri nequeant si aut ipse directe cum fidelibus communicet aut ii ad eum, praetermissis inferioribus, directe provocent.[4]

---

[1] Conc. Vatic. sess. IV, const. *De Ecclesia Christi* cc. 1, 2, 3 (de primatus institutione, perpetuitate, subiecto) *Denz*, 1821 ss.

[2] cf. supra n. 39.

[3] Quo iure controvertitur, v. supra n. 39.

[4] Eo minus id potest impedire *auctoritas saecularis*, cum Pontifex a quavis humana auctoritate independens sit. Conc. Vat. l. c. (*Denz.* 1829); *Pius IX*, Syll. n. 49 (*Denz.* 1749).

Nomen *papa* (*πάππας*, pater) initio proprium fuit omnium episcoporum, quin etiam saepe ad minores clericos translatum est. Inde autem a saec. V magis magisque haec appellatio Romano episcopo reservatur et a tempore Greg. VII exclusive.[1] Etiam alia nomina et tituli «apostolicus, vicarius Christi, summus sacerdos, summus pontifex, sanctus, sanctitas» olim omnibus episcopis communia fuerunt. Patres Conc. Chalcedonensis eum *episcopum universalem* nuncuparunt, sed cum eumdem titulum patriarcha Constantinopolitanus sibi tribuisset, Greg. I alium «*servum servorum Dei*» assumpsit, quo adhuc R. Pontifices utuntur. Sedes Romana vocatur *Sedes Apostolica* vel *S. Sedes*, quod nomen, praesertim in Occidente, iampridem exclusivum factum est, cum nulla alia esset ecclesia ab apostolis condita, significat autem non solum Pontificem sed dicasteria et officia Curiae (can. 7).

Praeterea Pontifici competunt specialia *insignia* et *honores:* vestis alba, triregnum seu tiara,[2] anulus piscatoris, pedum rectum,[3] in functionibus liturgicis pallium, quo *semper* et *ubique* uti potest,[4] succinctorium et orale (seu fanon),[5] adoratio,[6] praecedentia super omnibus regibus et principibus.

152. Potestas. Ex primatu profluit non solum potestas episcopalis cum aliorum pastorum potestate *concurrens*, qua Pontifex raro et prudenter utitur,[7] sed praesertim multa iura quae ei tantum sunt propria et ad unitatem Ecclesiae conservandam eamdemque regendam spectant. Haec *iura specifice primatialia* singillatim recensere superfluum est, nam cum R. Pontifex universa, extensive et intensive, ecclesiastica auctoritate polleat, cum ipse super ius canonicum sit,[8] brevius

---

[1] Non constat autem (quod Baronius narrat) Greg. VII *edicto* id sanxisse. At in *Dictatu* huic Pontifici tributo (falso?) dicitur, n. 11: «quod hoc unicum est nomen in mundo». (*Galante*, Fontes p. 168).

[2] Est mitra cum triplici corona, quarum prima a Greg. VII, altera a Bonif. VIII, tertia a Ben. XI addita est.

[3] Baculus in formam crucis desinens. Innoc. III in c. 1 § 8, X. 1. 15; «R. P. non utitur baculo pastorali tum propter *historiam* tum propter *mysticam* rationem»; historiam ipse Innocentius alibi (De sacr. altar. mysterio, 162) narrat: «beatus Petrus apostolus baculum suum misit Eucharío primo episcopo Treverorum, quem una cum Valerio et Materno ad praedicandum evangelium genti Teutonicae destinavit», mysticam rationem affert *glossa*, quod scilicet in Pontifice nulla recurvatio erga pastorale concedentem dari possit.

[4] Est signum plenitudinis potestatis; alii qui in *partem sollicitudinis* sunt vocati pallio a Pontifice accepto nonnisi cum limitatione uti possunt. Innoc. III in c. 4, X. 1, 8.

[5] *Succinctorium* simile est brevis manipuli et cingulo suspenditur, *orale* est sericum humerale quod post albam induitur.

[6] Osculum pedis, quod gradatim ab usu recedit: excepis functionibus liturgicis.

[7] Optime enim norunt Rom. Pontifices quod iam. *Greg. M.* monebat: «si unicuique episcopo iurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit, ordo confundatur? (Epist. l. XI, n. 37) et alibi: «mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo» (Ep. l. II, n. 52).

[8] *Ben. XIV*, const. *Magnae nobis*, 29 iun. 1748 (*Richter* 562) «Romanus Pontifex est supra ius canonicum, at quilibet episcopus eo iure inferior est»; *Innoc. III* in c. 4, X. 3, 8: «de iure possumus supra ius dispensare». — In eo praecise fuit error Gallicanorum quod volebant Primatum limitari decretis conciliorum et statutis Patrum. Declar. aa. 2 et 3 (*Denz.* 1323-1324).

dicimus quid facere *non* valeat, quam quid valeat. *Limites* enim ei signati non sunt nisi a iure naturali, a iure divino positivo, a fine societatis religiosae et spiritualis, cui praeest, quoad *validum;* a prudentia et obligatione agendi in aedificationem et non in destructionem, quoad *licitum* exercitium suae potestatis.

Negotia autem maioris momenti quae de facto uni R. Pontifici reservantur *causae maiores* appellantur.[1] Quae aut natura sua eiusmodi sunt aut positiva lege (can. 220), quia tandem ei integrum est quidquid velit inferioribus magistratibus subtrahere, et eo ipso haec causa maior fit. Quod re vera decursu temporum in pluribus evenit, quae olim aut episcopis aut metropolitis permittebantur, nunc iniussu Sedis Apostolicae perfici nequeunt.

Natura sua imprimis ad supremam potestatem referri necesse est quae pertinent ad *unitatem fidei,* et prae aliis quae infallibilitatem postulant, cum haec praerogativa sit stricte personalis et incommunicabilis.[2] Deinde quae *unitatem regiminis* spectant, quo veniunt *et* universalis legislatio, *et* ultimum ac inappellabile in omnibus controversiis iudicium, *et* facultas omnes cogendi ut mandatis obtemperent, *et* necessaria cunctorum pastorum et ovium subiectio, *et* suprema omnium ecclesiasticorum institutorum, bonorum, rerum dispositio. Denique cum legitimus usus potestatis ordinis sub iurisdictione sit oporteat, *unitas ritualis,* in cultu divino ac sacramentis, per primatum aut statuitur aut custoditur.

Ceterum quaenam sint etiam *positiva lege* causae maiores suis locis in sede materiae dicitur.[3]

Papa est praeterea *patriarcha* Occidentis, *primas* Italiae, *metropolita* provinciae Romanae, quae inter Pisanam et Capuanam extenditur,[4] *episcopus* urbis. Dioecesim administrat per Cardinalem Vicarium, cetera officia non sunt valde practici momenti, cum fere a primatu absorbeantur. At historice, quod unicus esset in Occidente patriarchatus non exigua causa fuit ut ubique disciplina, mos, liturgia Romana reciperetur.

---

[1] Nomen primum ap. *Innoc. I,* 404, epist. ad Victric. c. 4; deinde ap. *Leonem M.* 444, ep. ad Anastasium Thessalon. (in c. 12, C. 2, q. 6 ex Pseudoisidoro desumpto, qui eum interpollavit et Vigilio Papae adscripsit). Ipsa notio causae maioris ostendit *taxativam* enumerationem impossibilem esse.

[2] Conc. Vat. (Const. cit. c. 4). definivit magisterium infallibile contineri in primatu.

[3] Ita etiam C. duobus tantum canonibus, hoc loco, potestatem R. Pontificis describit.

[4] cf. *Ben. XVI,* De syn. l. II, c. 2, nn. 2 ss.

Omnia *acta* quibus R. Pontifex universali regimini providet *iuridice* reduci possunt ad leges, decreta (administrativa), rescripta et sententias. In fontibus leges generales appellantur *constitutiones*, dum *decretalis* (epistola) est potius decisio in casu particulari, quae tamen saepe vim universalem obtinuit.

Ratione *formae* autem alio modo distinguuntur. Secundum communem morem antiquorum, leges et decreta R. Pontificum iampridem in forma epistolae data sunt. Litterae erant patentes, in crassa membrana (usque ad medium saec. XI in papyro) amplo stylo scriptae, sigillo plumbeo munitae, inde nomen *bullae*. Sigillum in capsula pro varietate negotiorum funiculis diversae materiae et coloris suspendebatur, interdum, si ad principes directae, sigillum et funiculi erant ex auro *(b. aurea)*. Nunc, post recentiores mutationes,[1] nomen officiale est *apostolicae sub plumbo litterae*, inscriptio «Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam», dies datae apponitur secundum modernum calendarium, subscribuntur a Cardinali Cancellario, a Cardinali qui praeest Congregationi vel Officio a quo bulla paratur et a duobus Protonotariis apostolicis. Sollemniores clausulae non desunt, quamvis non ita amplae ut antiquitus. Sigillum non appenditur, nisi in quibusdam casibus exceptis, sed imprimitur in cera rubra,[2] exhibens capita apostolorum Petri et Pauli ac nomen Pontificis. Bullae ab ipso Pontifice et omnibus Cardinalibus in consistorio deliberatae et subscriptae dicuntur *consistoriales*.

Inde a saec. XV invecta est etiam minus sollemnis forma litterarum: *brevia*, quibus tamen haud raro, praesertim moderno tempore, negotia quoque gravissima expediuntur. Breve exaratur in tenui pergamena, magis lata quam longa, stylo simplici, fere sine clausulis. Inscribitur «Pius PP. XI», impressum habet sigillum anuli piscatoris,[3] expeditur a secretaria brevium, subscribitur a Cardinali a Secretis Status.

Recentiore aetate accesserunt *Motusproprii*, a formula qua incipiunt ita vocati. Non sunt ad instar litterarum sed decreti, ab ipso Pontifice, nullo suadente, dati censentur, eius nomine subscribuntur. Plerumque legem continent.

Expositiones doctrinales aut exhortationes complecti solent *litterae encyclicae*, quae ad urbem et orbem aut saltem ad multos episcopos et fideles diriguntur. *Epistolae* vocantur litterae ad privatas personas, de privatis potissimum negotiis agentes. *Chirographum* est appellatio generalis cuiusque documenti a Pontifice propria manu subscripti.

153. Electio. Romano Pontifici iurisdictio confertur immediate *a Deo* (can. 109), nullo autem iure divino definitus est modus, quo persona designetur. Ideo nonnisi iure *cano-*

---

[1] *Leo XIII*, Mp. 29 dec. 1878 (AS XI, 465 ss.) abolevit antiquam scripturam (litera S. Petri, bullaticum theutonicum, inde a Clem. VIII [1592-1605] in usu), quare cessavit necessitas transumpti; item plumbum, exceptis bullis erectionis, dismembrationis, collationis maiorum beneficiorum vel aliorum magni momenti negotiorum; *Pius X*, const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, plura mutavit, inter alia statuit ut dies apponeretur a calendis ianuarii (antea ab incarnatione Dmni) et omnes expedirentur per cancellariam.

[2] Vel etiam solo colore, in negotiis minoribus.

[3] Primus Clem. IV (1265-1268) hoc sigillo usus esse videtur. Exhibet Petrum in navicula sedentem et retia colligentem.

nico id fieri debet per electionem, aliudque medium, quod aptum sit, statuere non videtur excedere limites potestatis pontificiae. Iure vigenti certum est Summum Pontificem esse *eligendum*, et quidem *unice* sed adamussim servatis normis constitutionis Pii X, *Vacante Sede*, 25 dec. 1904, aliisque huic legi adnexis (can. 160).[1]

a) Electores sunt omnes et soli Cardinales, in consistorio creati et publicati, dummodo saltem in diaconatus ordine constituti, licet censura vel alio quovis canonico impedimento innodati. Qui nedum *ius* sed *obligationem* habent conveniendi ad electionem.[2] *Eligi* autem potest *valide* quilibet vir, qui rationis compos, acceptandi capax, membrum Ecclesiae sit, etiam laicus; *licite* qui omnibus dotibus praeditus, adeo ut inter omnes dignior existimetur.

b) Cardinales *convocantur* a Decano vel, ipso impedito, ab alio Cardinali. Expectantur per quindecim dies,[3] quibus durantibus exequiae pro defuncto Pontifice persolvuntur. Quibus elapsis, omnes praesentes[4] ingrediuntur *conclave clausum*, in quo electio perficienda est, ex praecepto non ad valorem actus. Serius advenientes admittuntur, at semel ingressi exire nequeunt nisi infirmitatis causa, quae si legitima agnita fuerit denuo redire possunt, si illegitima penitus excluduntur. Conclave regulariter Romae celebrandum est, nisi necessitas aliam sedem imposuerit, adiuncta loci et temporis autem validitati non officiunt.[5]

c) Triplex *forma electionis* valide et licite adhibetur: per scrutinium, per compromissum, per quasi-inspirationem. Ordinaria est per scrutinium, cui peculiares regulae et cautelae statutae sunt. Bis in die fit et qualibet vice, si post primum nemo requisitum numerum suffragiorum retulerit, statim ad alterum est procedendum.

---

[1] C. append. doc. I, II, III.

[2] Const. *Vacante Sede*, nn. 27, 29, 30, 31, 32, 35; can. 233.

[3] *Pius XI*, Mp. *Cum proxime*, 1 mart. 1922 (A. XIV, 145) hoc statuit, imo Cardinalibus potestatem fecit ingressus in conclave etiam per alios *duos tresve* dies proferendi, sed absolute non ultra decimum et octavum. Hucusque decem dies.

[4] *Maroto*, II, 782 censet *invalidam* esse electionem si maior pars Cardinalium existentium non conveniat. Quod profecto in Leonis XIII const. *Praedecessores* statuitur, at de hac nullitatis causa merito videtur dubitandum, quia nullibi in const. *Vacante Sede* innuitur, imo indirecte excluditur, et const. Leoniana integra manet dumtaxat quatenus ei per Pianam non derogatur. cf. *Vacante Sede*, proemium.

[5] Const. *Vacante Sede*, nn. 26, 33, 34, 36.

Ille demum electus habetur qui in scrutinio *duas tertias partes* vocum obtinuerit, dempto suffragio suo, quod nemini sibi dare licet, in quasi-inspiratione omnes, in compromisso quot requiruntur ad terminos mandati. Electio, ut valeat, *secreta* sit oportet et uno ex recensitis modis absoluta, errore vero, metu, simonia non irritatur.[1]

d) Post electionem *consensus* electi per Cardinalem Decanum nomine totius collegii requiritur; hoc praestito intra terminum, quatenus opus sit, a Cardinalibus per vota maiora determinandum, illico obtinet plenam et absolutam papalem iurisdictionem (can. 219). Mos est ut tunc novum nomen assumat,[2] sub quo a primo Diaconorum populo publicatur. Si nondum sacerdos aut episcopus est, ordinatur et consecratur a Cardinali Ostiensi. Tandem per Decanum Diaconorum coronatur.[3] Denique consueverunt Pontifices, sollemni pompa possessionem capere Basilicae Lateranensis, quae est eorum cathedralis, «mater et caput omnium ecclesiarum».

Antiqua et celebris est quaestio *an Papa valeat,* cum iuridico effectu, *successorem sibi nominare.* Cuius triplex solutio: illorum qui absolute *negant* (plurimi, inter quos eminet Fagnani), illorum qui sine limitatione *affirmant* (Victoria), illorum qui dumtaxat in *casu singulari* et *extraordinario,* propter necessitatem alio modo non obviandam, id admittunt (Suarez).[4] Nulla *authentica* decisio habetur.[5] Historice tra-

[1] Const. *Vacante Sede,* nn. 54-78.

[2] Primus fuit Ioannes XII (956-963), inde a Sergio IV (1009-1012) usus constanter servatus est.

[3] Const. *Vacante Sede,* nn. 87-91.

[4] Tota antiquitas est absolute contraria designationibus praedecessorum in genere (*Holder,* Die Designation der Nachfolger durch die Päpste kirchenrechtlich untersucht in AK LXXII (1894) 410 ss.) et compertum est eas fuisse etiam severissime prohibitas. Quaestio de R. Pontifice in specie expenditur inde a Gratiano. Sententia negans est receptissima inter omnes glossatores et canonistas usque ad saec. XVI (*Hollweck,* Kann der Papst seinen Nachfolger bestimmen? in AK LXXIV (1895) 334 ss.; *Gillmann,* Die Designation ...nach dem Urteil der Dekretglossatoren etc. in AK XC, 407 ss.); primus qui sententiam affirmativam protulit fuit iurista Decius († 1536), sed late et sine exceptionibus eam propugnavit praesertim theologus *Victoria* († 1546), quem alii non multi secuti sunt; *Suarez* deinde eam limitavit ad casus extraordinarios. Post dimidium saec. XVII, imprimis auctoritate Albani et Fagnani, prima sententia iterum fere communis facta est, demum his ultimis annis controversia denuo agitata est, et tum prima tum tertia opinio plures invenit defensores (cf. *Hollweck* l. c.; *Holder,* Die Designationsfrage nach der neustem Forschung in AK LXXXIII (1903) 73 ss.).

[5] Nam nec retractatio Bonifacii II (530-532), nec destructio libelli anathematis huius pontificis ab Agapito (535) facta, nec effata Clementis VII et Pauli III, nec decretum consistoriale a Pio IV (1561) redactum sed non publicatum hanc vim habent (cf. *Hollweck* l. c.; *Holder,* Zur Designation etc. in AK LXXVI (1896) 352 ss.; *Sägmüller,* Ein angebliches Dekret Pius IV über die Designation etc. in AK LXXV (1896) 417). At pondus huius constantis traditionis non est parvifaciendum. Ex actis consistorii a. 1565, in quo confirmata est decisio consist. a. 1561, constat Papam et Cardinales concordes fuisse in damnanda designatione tamquam «facinus pontificis perditae mentis», «atrox facinus», «tantum scelus».

ditur Felicem IV (526-530) archidiaconum Bonifacium suum successorem constituisse, et certum est hunc, post breve schisma, ut legitimum papam agnitum esse. Idem fecit Bonifacius (II) pro diacono Vigilio, sed postea designationem sollemniter retractavit.

Unico facto res sane non conficitur,[1] at cum extra dubium sit ius divinum positivum non obstare, ratio ex plenitudine potestatis pontificiae deducta videtur peremptoria. Argumenta enim a negantibus allata, ut intrinsecam impossibilitatem ostendant, ut puta quod papa vivente nulla sit designati potestas, papae mortui nulla voluntas,[2] non urgent; alia quibus probare volunt huiusmodi facultatem fore in destructionem ideoque non existere, valent quidem ad excludendum ius ordinarium et legem quae hunc modum pro omnibus casibus statueret, non valent autem supposita extraordinaria necessitate.

154. Historia. Quidquid sit, Papa semper electus est. Initio a clero et populo eodem modo ac omnes episcopi. At imperatores christiani facti in electiones sese immiscere coeperunt, praesertim si dubiae vel controversae.[3] Quorum exemplum secuti sunt Odoacer et reges Gothorum. Haec causa fuit ut *Symmachus* in synodis Rom. 499 et 502 *primam legem* ferret de electione R. Pontificis, qua laici penitus excludebantur.[4] At imperio occidentali restituto (555), Caesares byzantini imposuerunt ut electio a maioribus cleri et populi facta ab imperatore esset confirmanda, soluto tributo; demum post confirmationem electus consecrabatur. Constantinus IV Pogonatus tributum remisit (678) et confirmationem Ravennatensi exarchae delegavit (684).[5]

Reges Longobardici et primi Carolingii ab influxu in electiones exercendo abstinuerunt, quas e contra factiones nobilium Romanorum, toto hoc tempore, perturbarunt. Quare *Stephanus III* in syn. Lat. 769 novum decretum edidit, quo laici iterum ab eis interdicebantur et clericum Romanum eligendum esse statuebatur.[6] At nobiles non acquieverunt et discordiae ac tumultus adeo graves facti sunt, ut Romani cogerentur Lotario I (824) promittere ut electus non consecraretur ante quam misso imperiali *iuramentum fidelitatis* praestitisset. Quod Ioannes IX in synodo a. 898 confirmavit atque, translato imperio ad nationem teutonicam,

---

[1] Factum ipsum, quod ex documentis in codice saec. X-XI ab Amelli 1883 detectis innotuit (textus in AK LXXIV, 418 ss.) historici generatim admittunt, sed num revera ita evenerit aut saltem num perfecte sui compos et liber fuerit Felix IV, quando Bonifacium designavit, in dubium vocat haud spernendis rationibus *Péries*, L'intervention du Pape dans l'élection de son successeur, Paris 1902, 74 ss. quem sequitur *Cavagnis*, Inst. i. p. II, 64. Attamen, etsi verum sit, nullo modo concludere licet illud sufficere, quia involvat Felicis IV infallibilitatem (uti affirmat *Hollweck*, 421). Papa enim in hac re potuit errare. cf. quae communiter docent canonistae de concessione facultatis conferendi diaconatum (ex gr. *Wernz*, II, 27 not. 29) et *Péries* 77 ss.

[2] Omnia argumenta collegit et magna vi exposuit *Fagnani*, Comment. in V libr. Decret. Romae 1661, l. I, ad c. 5, X, 1. 35. Sequentes nihil novi afferre potuerunt.

[3] cc. 1, 2, d. 97 et c. 8, d. 79 (*Honorius* imper.).

[4] cc. 2, 10, d. 79 (499); c. 1, d. 96 (502). Electio fit per *vota maiora clericorum*.

[5] Haec forma electionis refertur in *Liber diurnus* 57 ss. (*Galante*, Fontes n. 183).

[6] cc. 3, 4, 5, d. 79. Concessionem autem ab Hadriano I Carolo M. factam eligendi pontificem (c. 22, d. 63) esse apocrypham, iam *Hinschius*, I, 229 probavit.

Ioannes XII, 962, in favorem Ottonis I iterum sanxit.[1] Sed cum iam proximo anno novae turbae excitatae essent, imperator ius nominandi pontificem sibi attribuit, quod ius tum ipse tum eius successores, usque ad Henricum III, exercuerunt, dignos viros designantes (qui pro forma a clero et populo eligebantur) et multos abusus praecaventes.[2]

Nihilominus defensoribus perfectae libertatis Ecclesiae, qui nunc temporis iam praevalebant (reformatores gregoriani) haec rerum conditio placere non potuit, quare, mortuo Henrico III, *Nicolaus II* in conc. Lat. 1059 celebre decretum «In nomine Domini» promulgavit, quo totum negotium electionis *Cardinalibus* reservabantur, clero et populo nonnisi ius subsequentis approbationis, imperatori accipiendae notitiae tribuebatur.[3] Quod decretum statim quidem servatum non est, tamen paullatim clerus, populus et imperator a qualibet parte in electione exclusi sunt et *Alex. III* in conc. Lat. III 1179, definite statuere potuit, ut omnes et soli cardinales, *duabus partibus* suffragiorum, Pontificem designare valerent.[4]

Posteriores iuris mutationes frequentes sed accidentales tantum fuerunt.[5] Greg. X iussit ut electio fieret in *conclavi*,[6] Iulius II irritavit *simoniacam*,[7] Paulus IV prohibuit *pacta* et tractatus papa sospite inita,[8] Greg. XV invexit *scrutinium* secretum et *accessum*,[9] Pius IX et Leo XIII normas peculiares in extraordinariis adiunctis servandas dederunt, Pius X totam hanc materiam ad unitatem redegit, quaedam sustulit vel reformavit, cetera perspicuo ordine proposuit.[10]

Exclusiva. Inde a saec. XVI, ob politicas rationes, tres maiores respubblicae catholicae (Imperium [Austria], Hispania, Gallia) studuerunt *negativum* influxum in electionem Pontificis exercere, dum candidatum sibi non gratum excluderent.[11] Primo id factum est collectis inter cardinales tot suffragiis, ut duas tertias partes non obtineret, ineunte saec. XVII autem, in conclavibus Leonis XI et Pauli V (1605), Hispania vindicavit sibi ius directe intercedendi, ante absolutam electionem, contra

---

[1] cc. 28, 31, 32, 33, d. 63. Imperator, sua vice, Pontifici fidelitatem iurabat.

[2] At bulla, qua Leo VIII Ottoni I ius eligendi Pontificem tribuisset (c. 23, d. 63) est spuria. *Hinschius*, I, 240.

[3] Textus Gratiani in c. 1, d. 23 (cf. *Galante*, n. 184), cui olim opponebatur alius textus imperialis, est authenticus.

[4] Const. *Licet de vitanda* in c. 6, X. 1, 6.

[5] Constitutio Innoc. IV, *Quia frequenter* numquam viguit. *Singer*, in Z. der Sav. Stift. Kan. Abt. VI, 1-140.

[6] Conc. Lugd. II, 1274, c. 3 in VI. 1, 6. Quam legem Bonif. VIII confirmavit, Clem. IV mitigavit.

[7] Const. *Cum tam divino*, 14 ian. 1506. Haec bulla Iulii II multis controversiis occasionem dedit. At certum est simoniam, ut electionem irritaret, esse oportuisse aut notoriam aut saltem iudicialiter probatam, cf. *Wernz*, II, 573 not. 47 et 580 not. 62. A Pio X haec nullitas est abrogata.

[8] Const. *Cum secundum Apostolum*, 16 dec. 1558.

[9] Const. *Aeternis patris filius*, 15 nov. 1621 (*Galante*, n. 190). Antea electio pluries facta fuerat *per adorationem*. Accessus abolitus est a Pio X.

[10] Const. Pii IX, *Consulturi*, 10 oct. 1877 (*Galante*, n. 192); Leonis XIII et Pii X in app. C.

[11] Origines iuris exclusivae in medio aevo ponere non est historicum. *Sägmüller* Das Recht der Exclusive in der Papstwahl in AK LXXIII (1895), 193 ss.

certum cardinalem. Quod *ius exclusivae*, a duabus aliis rebuspublicis sibi quoque vindicatum, ab Ecclesia numquam admissum imo pluries indirecte reprobatum, quod proinde *nec* legitima *consuetudine* inniti potuit,[1] quousque ditio temporalis duravit toleratum est, certis regulis et una tantum vice exercebatur. Sed post a. 1870 nulla prorsus ratio erat amplius illud patiendi, et cum in conclavi Pii X card. Puzyna, nomine imperatoris Austriae at iussu Germaniae, ultimum «*veto*» interposuisset, hic Pontifex, const. *Commissum nobis*, 20 ian. 1904,[2] excommunicatione latae sententiae cardinalibus comminata, abusum omnino abrogavit.

155. Cessatio. R. Pontificis potestas amittitur: *a)* Per *mortem*, quae omnia solvit. Sede vacante administratio universalis Ecclesiae pertinet ad collegium Cardinalium et Congregationes, sed multis limitationibus et solummodo quatenus negotia moram non patiantur (can. 241). Vicarius Urbis iurisdictionem suam retinet.[3] *b)* Per *renuntiationem*. R. Pontificem se munere abdicare posse, valide etiam sine causa, certum est, licite tamen nonnisi ex causa gravissima. Quod si contingat, cum nullum habeat in terris superiorem, nullius acceptatio necessaria est (can. 221). *c)* Per lapsum in certam et insanabilem *amentiam*. Haec enim iuridice aequivalet morti. At, quia in maximam ruinam Ecclesiae cederet si iurisdictio pontificia dubia esset, merito affirmatur Deum, qui in necessariis non deficit, *aut* amentiam non esse permissurum *aut*, si permiserit, provisurum ut de ea certo constare possit. *d)* Per lapsum notorium in *haeresim*. Quam hypothesim negant sane quidam a priori, at nulla ratio est speculativa quae eam absolute excludat. Papa enim infallibilitate non donatur qua doctor privatus. Et si perfracte ac publice veritatem dogmaticam deneget, non est amplius membrum Ecclesiae, ideoque nec eius caput esse potest, et *ipso facto* iurisdictionem amittit. Quod iure divino fit; quare sententia, quam in casu proferret Ecclesia, non esset depositionis sed merae *declarationis*. Cum autem nec ex natura rei nec ex positiva divina lege ullum *aliud crimen* privationem pontificiae potestatis secumferat, manifestum est R. Pontificem, cuiuscumque reus fiat, usquam et a quoquam iudicari vel deponi nequi (can. 1556).

---

[1] Hoc probare voluit *Wahrmund*, Die Bulle «Aeterni patris filius» u. der staatl. Einfluss auf die Papstw. in AK LXXII (1894) 305 ss. Contra *Sägmüller* l. c. 250 ss.

[2] Cf. append. doc. II.

[3] Const. *Vacante Sede* n. 19.

Veteres canonistae disputarunt *an Papa posset renuntiare*, et non solum adversarii Bonif. VIII, sed etiam alii (ex gr. Ioannes Andreae) id negabant, ea potissimum ex causa quod de acceptatione Dei non constet. At necessitas explicitae et externae acceptationis gratis asseritur et nullo iure probatur. Quaestio iam a Bonif. VIII authentice resoluta est,[1] practice autem a Coelestino V et Greg. XII.

Altera controversia est de *Pontifice haeretico*. Innoc. III aperte concedit casum dari posse.[2] Quo admisso, canonistae in varias abierunt sententias, quarum duae extremae sunt: altera affirmantium vel ob haeresim mere *occultam* Papam iurisdictione excidere, altera contendentium ne ob publicam quidem ea privatum existere aut privari posse. *Utraque* improbabilis hodie censetur. Et idem iudicium ferendum est de tertia, quam olim complures etiam magni nominis doctores (Caietanus, Suarez) tenuerunt, secundum quos Papa publice haereticus non ipso facto depositus sed ab Ecclesia *deponendus* esset. Contradicit enim certo iuris principio: papam legitimum nulli humanae potestati subesse.[3]

Multum disputatum est quoque, praesertim medio aevo exeunte, de *Pontifice dubio*. Axioma «Papa dubius, papa nullus» rectam exprimit canonicam doctrinam, si dubium positivum et insolubile versetur circa legitimitatem electionis. Nam hic numquam acquisivit potestatem, cum iurisdictio, natura sua, requirat subditos qui obtemperare debeant, nemo autem teneatur incerto superiori se submittere. At si semel de canonica electione constiterit et Pontifex potestatem obtinuerit, etiamsi ob serius motas exceptiones *de facto* dubius fiat, *de iure* numquam ea excidit. Iudicium de dubie electo non est iudicium de Pontifice, proinde ab Ecclesia fieri potest.

II. CARDINALES.

156. Officium et dignitas. Exercendae potestatis causa Pontifex habet *senatum*, quem constituunt S. R. E. Cardinales, ei in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores (can. 230). Qui in *tres ordines* distribuuntur: episcopalem ad quem *sex* pertinent Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi; presbyteralem cui accensentur *quinquaginta*, omnes consecratione episcopi; diaconalem cui *quattuordecim*, plerumque sacerdotes tantum. Unicuique presbyterorum assignatur in Urbe *titulus*, diaconorum *diaconia*, hae sunt ecclesiae quae eorum propriae esse censentur et in quibus de facto etiam certa iura exercent (can. 231).

---

[1] c. 1 in VI. 1, 7.

[2] *Innoc. III*, sermo IV in cons. Pontif.: «Potest ab hominibus iudicari vel potius *iudicatus ostendi*, si videlicet evanescit in haeresim, quoniam qui non credit iam iudicatus est».

[3] Auctores haeresi equiparare solent *schisma* (*Wernz*, II, 616). At quomodo Papa fieri possit schismaticus non bene intelligitur: aut enim primatum negat et iam est haereticus, aut non negat, et ubi ipse est vera Ecclesia est (cf. can. 1325 § 2).

Omnes septuaginta in coetum coalescunt, *Sacrum Collegium* nuncupatum, cui iuridica personalitas, peculiaria iura et bona competunt. Eidem praeest *Decanus*, idest antiquior promotione in ordine episcoporum, qui, ut primus inter pares, non quidem iurisdictione sed honore aliis praeeminet; eo deficiente ipso iure succedit Subdecanus, licet absit a Curia quia in sua dioecesi commoratur aut ad tempus alibi munus a Pontifice commissum adimpleat (can. 237). Collegium habet praeterea *Camerarium* e gremio, communium bonorum administrationi ad annum electum, *Secretarium* inter Praelatos assumptum aliosque officiales.

Cardinalium amplissima et post S. Pontificem *maxima* est in Ecclesia *dignitas*, proinde omnibus et ubique praecedunt (can. 239, n. 21).[1]

Cardinalis initio dictus est quilibet clericus incardinatus, deinde qui ecclesiae principali, imprimis episcopali («cardini») esset adscriptus.[2] Itaque omnes ecclesiae suos cardinales habuerunt, qui senatum episcopi constituebant. Eo magis ecclesia Romana quae omnium ecclesiarum cardo et caput est, et cuius presbyterii, Summo Pontifici in gravissimis negotiis assistentis, iam in remota antiquitate mentio fit.

Inde a saec. V huic pertinuerunt solummodo *presbyteri* qui XXV titulis in Urbe erectis praeerant, liturgiam in quattuor basilicis (S. Petri, S. Pauli, S. Mariae M. et S. Laurentii) persolvebant et R. Pontifici divina litanti adsistebant.[3] In quo officio aderant etiam septem *diaconi regionarii*, curae pauperum praepositi, his serius ad duodecim auctis et accedentibus sex palatinis, diaconi cardinales duodeviginti numerati sunt. Denique viciniores *episcopi*, qui iam pridem ad consilium dandum et sacra perficienda a Romano Antistite acciti erant, et lege Stephani III (769) alternatim ad servitium in basilica Lateranensi per hebdomadam absolvendum adstricti sunt, in presbyterio locum obtinuerunt. Qui *Cardinales episcopi hebdomadarii* exinde septem numero fuerunt, a saec. XII autem sex cum duae sedes coniunctae essent, et ex hoc tempore demum probari potest eas fuisse Ostiensem, Veliternam, Portuensem (et S. Ruffinae), Albanensem, Praenestinam, Sabinam, Tusculanam.

---

[1] Unde quoque graviores *poenae* in eos qui Cardinalibus iniuriam inferunt (can. 2341, 2343 § 2). In aula pontificia principibus *non* regnantibus praecedunt; etiam in rebuspublicis catholicis iis aequiparari vel alicubi praeponi consueverant. cf. *Scherer*, I, 484.

[2] cf. can. 3, d. 24 (Gelas. I, 492-496); c. 5, d. 71 (Greg. M. 595); c. 6, d. 84 (Greg. M. 603); c. 42, C. 7, q. 1 (Greg. M. 592); c. 5, C. 21, q. 1 (Greg. M.). Quo sensu episcopus residentialis dicitur cardinalis in oppositione ad visitatorem, presbyter stabilis in oppositione ad illum qui ut auxiliaris est addictus. *Devoti*, Inst. I, tit. 3, sect. 2. Demum saec. VIII occurrit *altera* significatio, qua *cardo* est cathedra episcop. cardinales clerici huic addicti. *Kreutzwald* in Kirchenlex. II, 1948.

[3] *Ioannes Diaconus* (saec. XII), De eccles. Later. c. 16 refert eos fuisse in unaquaque basilica septem, unde omnes 28. Quando autem hunc numerum attigerint, non constat. Certe iam in syn. Rom. a. 499 tituli enumeratur 27-29.

Cardinalium dignitas maxime aucta est postquam a Nic. II et Alex. III ius exclusivum eligendi Pontificem obtinuerunt et, cessantibus synodis Romanis, praecipui eius consiliarii in consistorio ac ministri in officiis Curiae facti sunt. Unde paulatim venit ut episcopis, archiepiscopis, saec XIV etiam patriarchis praecederent, atque episcopi residentiales ambirent fieri cardinales presbyteri, imo diaconi.[1] Et per plura saecula collegium tam potens fuit ut haud raro ipsis Pontificibus suam voluntatem imponeret aut molestias facesseret.[2] Ingentibus bonis et reditibus quoque praeditum erat, e quibus Camerarius singulis Cardinalibus in Curia residentibus «rotulum cardinalicium» distribuebat.[3]

Medio aevo *numerus* Cardinalium incertus et varius fuit, septuaginta eos esse, exemplo septuaginta seniorum Israel, et ut hodie sunt distributos, iussit Sixtus V.[4] Iam Pius V eis solis *nomen* reservaverat, Innoc. IV *galerum rubrum*, quo ab omnibus distinguerentur, Paulus II *purpureum pallium* dederant. Serius Urbanus VIII eos titulo *Eminentissimi* ornavit.[5]

157. Creatio. Cardinales «creantur». R. Pontifex libere eos assumit ex toto orbe terrarum. In eis eligendis, nulla quidem iuridica obligatione, sed ex traditione et convenientia, nationum, ordinum religiosorum, meritorum ratio haberi solet.[6]

a) Cardinales esse debent saltem sacerdotes, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes. A dignitate arcentur: *illegitimi*, etsi per subsequens legitimati, et omnes qui quolibet tempore *irregulares* vel canonice impediti fuerint; qui *prolem* vel nepotem *etiam* ex legitimo matrimonio sospitem habeant; qui alius Cardinalis viventis in primo vel secundo gradu *consanguinei* sint (can. 232). A quibus inhabilitatibus potest profecto R. Pontifex dispensare, et identidem praesertim a tertia dispensat, at notandum est dispensationem a prima et ab altera ad suscipiendos ordines vel dignitates vel episcopatum concessam, pro cardinalatu non suffragari.

---

[1] Quod olim sub anathematis poena interdictum fuit. c. 5, d. 79 (syn. Rom. 769).

[2] *Sägmüller*, Die oligarchischen Tendenzen des Kardinalkoll. bis Bonif. VIII in Tub. Quartalschrift LXXXIII (1901) 45 ss.

[3] Hodie profecto rotulus valde tenuis est. Pensio Card. (*piatto*, 4000 scut.) a S. Sede integratur.

[4] Const. *Postquam verus*, 3 dec. 1586; *Religiosa*, 13 apr. 1587 (*Galante*, n. 201 a et b).

[5] *Pius V*, const. 17 febr. 1567; *Innoc. IV*, 1245 galerum rubrum saecularibus concessit, demum *Greg. XIV*, 1591, regularibus; utrum purpura a *Paulo II*, 1464, data sit an iam a *Bonif. VIII* disputatur; *Urbanus VIII*, decr. 10 iun. 1630.

[6] Austria, Gallia, Hispania, Lusitania habuerunt privilegium *commendandi* unum episcopum sui territorii, ut ad purpuram promoveretur *(Cardinalis Coronae)*. Iuris quod sibi olim (saec. XII et seq.) Cardinales tribuerunt limitandi suo consilio vel consensu liberam creationem ex parte Pontificis, mansit in ordine Consistorii mera formula caeremonialis: «Quid vobis videtur?».

b) Cardinalium promotio duplici actu absolvitur, *creatione* et *publicatione;* uterque plerumque in eodem consistorio secreto fit. Sed haud raro, ex peculiaribus rationibus, alicuius Cardinalis creatio a R. Pontifice decernitur et enunciatur sed tecto nomine, seu uti dicitur «*reservato in pectore*».[1] Cum autem demum per publicationem iura et privilegia obtineantur, hic nullis interim fruitur, ne iure quidem ad rem, et si publicatio ex quacumque causa omittatur, creatio pro infecta habetur. Si vero postea publicatur, quod de more in alio consistorio et sollemniter fit, licet diversus modus non sit plane exclusus,[2] promotio *retrotrahitur,* quoad praecedentiam, ad diem reservationis (can. 233).

Reliquae caeremoniae accidentales sunt: in consistorio publico Pontifex imponit neo-creatis *galerum* rubrum et os claudit, in secreto illud eis aperit et titulum vel diaconiam assignat. Promoto absenti a Curia mittitur *biretum* rubrum per ablegatum, cui ille iurare debet, sub poena perpetuae amissionis dignitatis,[3] se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum (can. 234). Qua occasione galerum accipit et *iuramentum fidelitatis,* quod omnes Cardinales praestare debent, emittit.[4]

Elevatio ad sacram purpuram efficit ut *ipso facto,* nisi specialis provisio S. Sedis intercedat, *vacent* omnes dignitates, ecclesiae, beneficia hactenus possessa, et pensiones ecclesiasticae amittantur (can. 235).

c) In Sacro Collegio viget *ius optionis,* quo Cardinales, secuta aliqua vacatione, titulum mutare aut ad superiorem ordinem ascendere possunt. Exercendum est in consistorio, Summo Pontifice approbante et servata praecedentia promotionis. *Presbyteris* transire licet ad alium titulum, *diaconis* ad aliam diaconiam. Diaconus qui per integrum decennium in suo ordine permanserit optare potest *ad ordinem presbyteralem,* quo obtento praecedit omnibus Cardinalibus presbyteris qui

[1] Primus qui Cardinales creavit sed non publicavit fuit Martinus V, 23 iul. 1423. Usque ad saec. XVI autem eorum nomina aperiebantur S. Collegio in consistorio et saepe Pontifex statuebat ut si moreretur antequam eos publicasset, qua publicati haberentur. Serius vero mos invaluit ut nullo modo manifestarentur et exinde dicti sunt reservati *in petto.* cf. *Kirsch,* Die reservatio in petto bei der Cardinalcreation in AK. LXXXI (1901) 421 ss.

[2] *Pius IX* in casu particulari per *codicillum* disposuit (AS VIII, 304). Quod canonistis non placuit. cf. *Wernz,* II, 628; *Scherer,* I, 478.

[3] can. 2397.

[4] Formula ap. *Galante,* n. 202.

post eum sacra purpura ornati sunt. Optio *ad sedem suburbicariam* vacantem competit solis Presbyteris momento vacationis praesentibus in Curia vel ab ea ad tempus ob causam publicam et de mandato Pontificis absentibus. Inter Episcopos nulla datur optio, sed cum Cardinalis gradum Decani attigerit, dioecesim quam hucusque habuit Ostiensi cumulat, quae proinde semper a Decano regitur, at modo cum una modo cum altera ex reliquis suburbicariis, unione personali, coniungitur (can. 236).

Nulla est optandi obligatio, sed si quis suo iuri renunciaverit, succedit sequens.

158. Iura et obligationes. *a) Sede plena* munus est Cardinalium iuvare Pontificem in omnibus quae eis mandaverit ad regimen Ecclesiae. Quod munus explent in Consistorio, in Congregationibus, in legationibus. De his et istis alibi. *Consistorium* est consessus omnium Cardinalium qui in Urbe sunt, coram Pontifice. Distinguitur *publicum* (extraordinarium) et *secretum* (ordinarium). In illo nonnisi sollemnes caeremoniae, aliis quoque personis admissis, celebrantur; in hoc cui soli Cardinales cum Pontifice intersunt, graviora negotia decernuntur et expediuntur, quae tamen iam parata sunt a Congregatione Consistoriali.[1]

b) Cardinales *episcopi* sunt veri Ordinarii suarum dioeceseon, quas plena potestate episcopali regunt, Cardinales *presbyteri* et *diaconi* autem, postquam canonicam possessionem ceperint ecclesiarum, quas assignatas obtinent in Urbe, omnia in eisdem possunt quae locorum Ordinarii, praesertim quoad officia, beneficia, disciplinam, servitium, cultum divinum. At qualibet *carent* iurisdictione in fideles et iudiciaria ac poenali etiam in clericos, contra quos nonnisi correctionem adhibere possunt (can. 240 §§ 1-2).

c) Amplissimis praeterea cumulantur *privilegiis* (can. 239), inter quae memoranda sunt, utpote etiam Diaconis competentia: ius suffragii deliberativi in concilio oecumenico can. 223 § 1), ius eligendi sibi et suis familiaribus confessarium, qui ipso facto obtinet iurisdictionem ad omnes casus

[1] Consistorium est succedaneum antiqui presbyterii. Medioaevo plurima negotia etiam iudicialia in eo expediebantur, unde qualibet hebdomada aut saepius quoque habebatur. Adhuc saec. XVII semel in mense. Nunc valde rarius.

et censuras non specialissime reservatas, iūs utendi mitra et baculo pastorali, gestandi crucem ante pectus ac peragendi pontificalia in omnibus ecclesiis extra Urbem (in Urbe autem Presbyteri in suo titulo; Diaconi in sua diaconia pontificaliter assistendi, can. 240 § 3), consecrandi ecclesias et altaria, excepta oleorum consecratione, si episcopali charactere careant, conferendi tonsuram et ordines minores, ministrandi sacramentum confirmationis.

d) Patrum purpuratorum *obligationes* pleraeque ex ipsis eorum muneribus profluunt. Peculiariter, cum personae Pontificis addicti esse censeantur, omnes lege *residendi* in Curia pro regula tenentur. A qua eximuntur sane episcopi dioecesi non suburbicariae praepositi, sed, ut eluceat hanc esse exceptionem, debent cum Romam venerint Pontificem adire et sine eius licentia discedere nequeunt. Ceteri vero etiam de facto in Urbe commorari debent et si abire ad tempus cupiant venia indigent, exceptis Cardinalibus suburbicariis, qui libere in suas dioeceses, quoties opportunum iudicaverint, se conferre possunt (can. 238).

159. Sede vacante potissimum *ius* et *officium* Cardinalium est novum Pontificem eligere. Collegio committitur autem ad interim etiam procuratio universalis Ecclesiae, *non* ita tamen ut in suprema iurisdictione et potestate succedat (can. 241). Imo ea est regula, ut in iis quae ad Pontificem maximum dum viveret pertinebant, neque gratiam neque iustitiam facere, aut per defunctum factam exequi, nec legem ullam corrigere vel immutare valeat, sed omnia eligendo reservare teneatur.[1] Nihilominus, cum negotia contingere possint quae moram non patiantur, provisum est quomodo haec sive a Collegio sive a Congregationibus expediantur.

a) Integrum *Collegium* (Congregatio *generalis)*, per vota maiora, authentice interpretatur leges circa electionem; opportuna remedia in casu urgentis negotii decernit; eligit eos qui vices suppleant Camerarii vel Poenitentiarii maioris, si horum alteruter moriatur. Pariter ad illud deferenda sunt omnia quae gravioris momenti occurrant. Res leviores expediuntur a *Commissione* (seu Congregatione *particulari)*, quam

[1] Const. *Vacante Sede*, nn. 1-3.

efformant Card. Camerarius[1] et tres Cardinales, unus ex quolibet ordine, per turnos trium dierum, ab antiquioribus incipiendo, alii aliis succedentes *(Capita Ordinum)*.[2]

b) Congregationes Curiae, mortuo Pontifice, quiescere dicuntur. Et revera nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi «facto verbo cum SS^{mo}» vel «ex audientia SS^{mi}» vel «vigore specialium et extraordinariarum facultatum». Et quamvis facultates *ordinariae* non extinguantur, etiam iis libere uti nequeunt nisi in gratiis minoribus concedendis. Maiora vel controversa vero, si quidem dilationem admittant futuro Pontifici reservanda sunt, si non admittant a Sacro Collegio discutienda committuntur nonnullis Cardinalibus, qui dumtaxat provisionem ad interim decernere possunt.[3]

c) Poenitentiarius maior in munere manet, suasque facultates, quae ad forum internum nunc coarctantur, integras conservat.[4]

III. CURIA ROMANA.

160. Ordinatio. Praeter Senatum, R. Pontifex habet *Curiam* seu «complexum dicasteriorum et personarum, quibus utitur in exercenda suprema sua et universali potestate». Constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis (can. 242). Quae inter se ratione competentiae distinguuntur: *Congregationes* habent administrativam, *Tribunalia* iudicialem, *Officia* praecipue ministerialem.

a) Uniuscuiusque iurisdictio, ex materia aut ex territorio aut ex personis, accurate lege definita est, sublata qualibet cumulatione; controversias de competentia, si quae oriantur, dirimit specialis coetus Cardinalium, quos R. Pontifex singulis vicibus designat (can. 245). Omnia autem dicasteria nomine et auctoritate Pontificis agunt, unde communi appellatione *S. Sedis* veniunt (can. 7) ac eorum potestas est suprema et universalis, nisi aliud expresse caveatur, atque ordinaria sed vicaria. Non ideo tamen infallibilitatem aut plenitudinem

[1] Hic est Camerarius S. R. E. a Camerario S. Collegii distinguendus.
[2] Const. *Vacante Sede*, nn. 4, 5, 6, 7, 8, 13, 14.
[3] Const. cit. nn. 22-25.
[4] Ibid. nn. 12, 16. Limitatio quae hic innuitur respicit antiquiorem competentiam. cf. *Ben. XIV*, const. *Pastor bonus*, 13 apr. 1744, nn. 51-55 (*Galante*, n. 212).

potestatis participant; quare actus quos ponunt, nisi confirmati fuerint in forma specifica, eisdem non Pontifici tribuuntur et reformabiles sunt.

b) Singulorum dicasteriorum constitutio, ordinatio, modus procedendi propriis normis determinata sunt (can. 243 § 1). Praeter Cardinales qui, excepta Rota, in omnibus praecipuum locum tenent, habentur in unoquoque administri *maiores* (Praelati), administri *minores* et deservientes: illi libere nominantur a Pontifice, isti per concursum, hi prudenti arbitrio ab eo qui officio praeest. Apud Congregationes sunt praeterea *consultores*, pariter a S. Pontifice nominati, tum apud Congregationes tum apud tribunalia *advocati*. Curiae aliquo modo pertinent denique *procuratores* seu *agentes*, qui negotia sive privatorum sive dioeceseon curant et acta transmittunt. Quamvis enim fideli cuique aditus ad S. Sedem et facultas per se agendi pateat, ministerium procuratoris praefertur.[1] Omnes autem Curiae addicti tenentur ad *secretum* servandum, inter fines et secundum modum ex disciplina unicuique peculiari determinatum [secretum S. O. secr. Pontificium, secr. officii ex iuramento] (can. 243 § 2).

c) Quoad modum procedendi duplex principium generale viget: 1. Nihil *grave* aut *extraordinarium* in quolibet dicasterio agere fas est, nisi ab eiusdem moderatore fuerit *antea* R. Pontifici significatum. 2. Gratiae quaevis ac resolutiones indigent *pontificia approbatione*, exceptis iis pro quibus iam moderatoribus speciales facultates tributae sint,[2] exceptisque sententiis Rotae et Signaturae (can. 244).

a) Per plura saecula R. Pontifices in expediendis negotiis usi sunt consilio et opera sui *presbyterii* et, si res maioris momenti essent, *synodorum* quae frequenter in Urbe celebrabantur, intervenientibus episcopis ex provincia Romana, ex tota Italia, aliisque qui forte Romae aderant. Inde a saec. XII presbyterio et synodis substituta sunt *consistoria* Cardinalium. Sed cum causae iudiciales, quae adhuc tempore Innoc. III in consistorio definiebantur, in dies numero augerentur, coeperunt Pontifices suis cappellanis prius earum cognitionem («auditores») deinde etiam decisionem committere. Hinc origo distincti *tribunalis*, pro foro externo,

---

[1] cf. *Pius X*, const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908 (A. I. 7 ss.), Ordo servandus, pars I; *Oietti*, De Rom. Curia, Romae 1910, 6 ss.

[2] Quae quidem in parte sunt ordinariae et constituunt praecise ambitum competentiae Congregationis vel Officii. In const. *Sapienti consilio* dicebatur: «*Sententiae* quaevis, sive gratiae sive iustitiae». Et revera etiam hodie ad audientiam SSmi deferuntur omnes resolutiones, necnon dispensationes et gratiae difficiliores et insolitae, reliquae conceduntur sine relatione.

Rotae, cuius certa existentia saltem saec. XIII probatur. Ex hoc saeculo est quoque constitutio peculiaris officii *Poenitentiariae,* quamvis Cardinalis Poenitentiarius iam superiore aetate haberetur. Antiquiores sunt *Cancellaria, Dataria* et *Camera apostolica,* quarum prima vix non ab incunabulis Ecclesiae, altera a saeç. XIII, tertia a XI incoepit.

Institutis tribunalibus, sola negotia regimen et administrationem spectantia in consistorio agebantur. Sed ut expeditius procederetur, Pontifices iam medioaevo commissiones seu congregationes extraordinarias Cardinalium identidem deputare consueverunt. Saec. XVI hae *Congregationes* factae sunt ordinariae ac perpetuae (prima S. O. 1542) et tandem *Sistus V,* const. *Immensa* 22 ian. 1587, organica ordinatione *quindecim* Congregationes instituit, eas inter omnes causas et negotia non iudicialia distribuens.

Sequentibus saeculis Curia multas vicissitudines et mutationes subiit, nec omnimode modernis necessitatibus respondebat. Quare *Pius X,* const. *Sapienti consilio,* 29 iun. 1908, eam funditus reformavit, novasque ei dedit leges, tribus praesertim adhibitis principiis: ut de medio tolleret iurisdictionem cumulativam, ut iudicialem ab administrativa seiungeret; ut negotia aptius distribueret, quo celerius expedirentur. Haec nova ordinatio est in C. recepta.

b) A Curia distinguenda est aula seu **domus pontificia,** cui pertinent ii qui *personae* Pontificis sunt addicti. Hi vocantur *Familiares* et sua privilegia, regulas et traditiones habent, quae a C. non tanguntur (can. 328). Inter familiares eminent *Praelati.* Nomen dignitatem et auctoritatem aliquam innuit: sensu proprio in iure eo veniunt qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent (can. 110), ideo imprimis episcopi aliique episcopali vel quasi-episcopalis potestate aucti, in Congregationibus autem qui primi post Cardinales sunt, in Rota Auditores, in Officiis alii non multi. Reliqui qui hoc titulo ornantur, tum in Curia tum extra Curiam, sunt *honorarii:* ad hos pertinent *Protonotari apostolici* sive de numero sive supranumerarii sive ad instar participantium (titulares non sunt praelati) et *Praelati domestici.*[1] Iure familiaritatis gaudent praeterea: *cubicularii secreti, cubicularii honoris* et *cappellani secreti* vel *honoris.* Omnibus competit peculiaris titulus (Praelatis: Ill^mus^ et R^mus^ D^nus^, ceteris: R^mus^ D^nus^, communis: monsignore) vestis (violacei coloris) et quaedam privilegia liturgica (non omnibus eadem).[2]

A. SACRAE CONGREGATIONES.

161. Normae communes. *a)* Congregationes, quarum *undecim* numerantur, sunt collegia plurium Cardinalium, stabili modo instituta, ad certum genus negotiorum non iudicialium expediendum. Cardinales cuique adscribit Pontifex, qui etiam tribus (S. O., Consistoriali, Orientali) ipse praeest, ceteris singulis Cardinalis *Praefectus.* In illis proinde primus Cardinalis

[1] *Pius X,* Mp. *Inter multiplices,* 21 febr. 1905 (AS XXXVII, 491).
[2] Annuario Pontificio 1921, 429 et 649 ss.

habet titulum secretarii; sed sub alterutro nomine is est qui Congregationem dirigit, in qua cura adiuvatur a praelato, qui secretarius respective subsecretarius dicitur et proximam moderationem secretariae, protocolli et tabularii commissam habet. Sunt praeterea alii necessarii administri (can. 246).

b) Haec dicasteria duplici modo procedunt, pro causarum natura et gravitate: maiores et insuetae vel quae formalem resolutionem iuridicam postulant reservantur *plenae Congregationi* seu communi iudicio omnium Cardinalium, qui rem expendunt et per vota maiora decernunt; minores et ordinariae expediuntur a *Congressu*, qui est commissio Cardinalis Praefecti cum maioribus officialibus (Secretariis et Subsecretariis), cuius etiam est ea parare quae plenae Congregationi submittenda.

c) Competentia est administrativa et disciplinaris. Unde, excepto S. O. quod in sua materia proprias et peculiares normas sequitur, si deferatur ad Congregationem aliqua causa quae disceptationem et definitionem stricte *iudicialem* requirat, eam remittere debet ad tribunal competens (can. 249 § 3, 250 § 5, 251 § 3).[1] Ordinarium earum munus e contra est *curare* ut iuris praescripta religiose serventur, *instructiones* edere quae iisdem praeceptis maiorem lucem et efficentiam pariant, canones casibus particularibus *practice applicare*, *facultates* secundum vel praeter ius aut *dispensationes* concedere, *remedia disciplinaria* adhibere. Possunt etiam novas *leges proponere*, sed vera potestate legislativa carent. Nam ius vigens nec abrogare, nec ei derogare aut abrogare valent. *Legislatio* reservata est uni *S. Pontifici;* interpretatio authentica et generalis peculiari Commissioni, cui competit quoque novas leges, cuius materia profecto etiam a Congregatione vel ab alio Officio parari potest, in canones redigere et C. suis locis inserere.[2]

Inde elucet quaenam sit vis actorum S. Congregationum. *Decreta generalia*, quae hucusque identidem edebantur et a canonistis fere eiusdem vis ac pontificiae leges censebantur, in posterum pro regula prohi-

[1] Speciali rigore divisionem potestatis administrativae a iudiciali statuerat Pius X (cf. *Oietti*, 12 ss.), quae in C. videtur potius attenuata.

[2] *Ben. XV*, Mp. *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917, C. praepositus. Quae canonistae, etiam post reformationem Pianam, de potestate legislativa S. C. disseruerunt, per hoc documentum, quod in re decisivum est, sunt antiquata. Etiam quae *Maroto*, I, 340 ad eam potestatem probandam affert tandem contrarium evincunt. Questio fieri posset tantummodo de C. R. cuius provincia a C. directe non attingitur et quae iampridem leges liturgicas ferre potuit. Ceterum *practice* quoties aliqua S. C. notabile quodpiam iubet vel decernit, semper accedit expressa approbatio pontificia (can. 244).

bentur et si quando prodibunt erunt verae leges Pontificis ab eo expresse approbatae.[1] *Instructiones* habent sane magnam auctoritatem sed leges non sunt et secundum ius esse debent.[2] *Resolutiones* interpretantur canones authentice quidem, sed pro partibus et in casu particulari dumtaxat (can. 17 § 3), nisi iteratae et conformes transeant in stylum Curiae. Cetera acta sunt specifice administrativa.

Contra decisiones non datur verus *recursus,* cum sint supremae, sed petitur *beneficium novae audientiae,* quod si decisio lata fuerit a Congregatione plena, impetrandum est intra decem dies. Si autem confirmata a S. Pontifice necesse est ut impetretur *aperitio oris.*

Causas et quaestiones sibi delatas S. C. proponere solent in brevi formula *(dubio),* cui plerumque respondetur: *affirmative* vel *negative.* Notandum tamen nec semper dubium perfecte respondere quaestioni *(d. reformatum),* nec rationes decisionis necessario eas esse quas vel partes vel secretarius in suis deductionibus aut animadversionibus protulerunt.[3] Interdum alio modo respondetur: ad *mentem,* si aliqua limitatio, conditio, praeceptum vel consilium responso additur; *dilata,* si responsio differtur; *reponatur,* si acta sine decisione ad tabularium mittuntur; *(standum) in decretis, in decisis,* idest priori sententiae; *et amplius,* scilicet non proponatur; *lectum,* si petitio nec disceptationem mereri visa est.

162. Sanctum Officium. Est Congregatio *suprema* et pro munere habet tueri *doctrinam* fidei et morum. Eius decreta et responsa sunt igitur imprimis doctrinalia et maximae auctoritatis ac interno quoque assensu recipienda, licet non infallibilia. *Delicta* prosequitur et punit *haeresis* vel suspicionem haeresis afferentia, tum in gradu appellationis tum in prima instantia; cognoscit in iure et in facto de *privilegio Paulino* ac de impedimentis *disparitatis cultus* et *mixtae religionis.* Quare ad eam pertinent sive dispensationes sive causae matrimoniales ex hoc capite, quas tamen ad aliam Congregationem vel ad Tribunalia remittere potest.[4] Ipsa una competens est circa *ieiunium eucharisticum sacerdotum* missam celebrantium.

S. O. adnexa est sectio *libris* excutiendis et, si opus sit, interdicendis, a qua etiam licentia legendi prohibitos petenda est (can. 247).

Nec ratione personarum[5] nec territorii limitatur. Ei praeest R. Pontifex, Cardinalis est *secretarius,* primus praelatus vo-

---

[1] Mp. cit. nn. II et III.

[2] *Regolamenti.* De instructionibus v. *Wernz,* I, 146 III

[3] Quod omnes quidem docent, sed non omnes servant, non exceptis auctoribus et periodicis iuris canonici.

[4] In hac parte iterum ampliata est competentia S. O. quae a Pio X coarctata fuerat. cf. *Oietti,* n. 33.

[5] *Cardinalibus* exceptis, in criminalibus. cf. can. 1557 § 1.

catur *assessor*, qui proxime sequitur *commissarius* (O. Praed.), plures alii adsunt officiales, consultores et censores. *Secretum S. O.* quo hi omnes tenentur, aliive quibus imponatur, sub poena excommunicationis l. s. specialissime reservatae, est gravissimum post sacramentale.[1]

Sacra *Universalis Inquisitionis* Congregatio, ut pridem vocabatur S. Officium, instituta est a Paulo III, const. *Licet ab initio,* 21 iul. 1542, et a Sixto V confirmata. Eius praecipuum munus olim fuit haereticos quaerere, convertere vel innoxios reddere et populos christianos ab eorum doctrinis praeservare. In reformatione Piana ei adiuncta est sectio de *Indulgentiis,* quae antea peculiari Congregationi et ab a. 1904 C. R. commissae erant, sed Ben. XV, Mp. *Alloquentes,* 25 mart. 1917, hanc materiam ad Poenitentiariam transtulit, S. O. vero demandavit censuram librorum, cui hucusque praeposita erat *Congr. Indicis.* Quam Congregationem, nunc abolitam, iam Pius V, 1571, instituerat.

163. C. Consistorialis, ut nomen indicat, parat agenda in *consistorio;* sed praeterea ac praecipue ea omnia curat quae, in territoriis iuris communis, ad *constitutionem, conservationem* et *statum dioeceseon* pertinent. Itaque eius est provincias et dioeceses erigere, dividere, delimitare; capitula tum cathedralia tum collegialia constituere, episcopos, administratores apostolicos, coadiutores et auxiliares nominandos proponere, eorumque processus informativos et examen instituere. Deinde in *ecclesiarum regimen* invigilare, relationes episcoporum excipere et expendere, visitationes apostolicas indicere et absolutas examinare, transmissis ad alias Congregationes iis negotiis, quae eorum competentiae subsunt.

Ratione territorii *limitatur* a C. P. F. et in parte saltem a C. pro negotiis extraordinariis. Ei praeest R. Pontifex, nonnulli Cardinales et Praelati ad eam pertinent ratione officii. Praelatus qui primus a Cardinali secretario est vocatur *assessor,* duo sunt *substituti,* quorum alter moderatur sectionem pro *emigratione* (can. 248).

Erecta est a Sixto V, sed dumtaxat «pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus». Amplam potestatem quoad regimen dioeceseon demum a Pio X accepit. Sectio pro emigratione addita est ab eodem Pontifice, Mp. *Cum omnes,* 15 aug. 1912 (A. IV, 526). Etiam controversias de *competentia* inter dicasteria Curiae hucusque dirimebat. Eius iurisdictio in C. paullulo diminuta est.

---

[1] *Pius X,* Mp. *Romanis Pontificibus,* 17 dec. 1908; *Gennari,* Cons. morali[3], II, 88 ss.; *Oietti,* 85.

164. C. de Sacramentis. Ei pertinent omnia quae ad *disciplinam sacramentorum* spectant. Proinde limitatur a S. O. quoad quaestiones doctrinales, a C. R. quoad ritus et caeremonias,[1] a Rota quoad causas stricte iudiciales; sui iuris est e contra leges statutas urgere vel in iis dispensare. Quare imprimis videt et decernit *de matrimonio,* cui deputatae sunt duae sectiones, altera pro dispensationibus, altera pro ceteris negotiis matrimonialibus. Inter quae est privativa cognitio causarum ex capite *inconsummationis;* sed etiam causas nullitatis dirimere valet, si hae ordine procedendi administrativo definiri posse videantur.[2] In tertia sectione pertractantur negotia circa alia sacramenta: ut puta dispensationes et indulta quoad locum, tempus, conditiones *eucharistiae* sumendae vel asservandae et sacri litandi; irregularitates et impedimenta ad *ordines,*[3] aliaque id genus. Etiam causae de invalida vel coacta ordinatione in hac Congregatione sunt introducendae, salvo iure S. O. si agatur de defectu substantiali ritus, eaque decernit utrum iudiciario an disciplinari tramite sint definiendae (can. 249).

C. de disciplina Sacramentorum ex novo instituta est a Pio X, dum antea negotia quae expedit per varias Congregationes et Officia dispersa erant. Eius competentia mansit in C. immutata. *Tres* habet *subsecretarios.*

165. C. Concilii eam partem negotiorum commissam habet, quae ad *universam disciplinam cleri saecularis* et *populi* refertur. Omnes igitur leges quae vitam christianam ordinant, nec aliqua ratione ad provinciam aliarum Congregationum pertinent, ipsa curat vel ab eis dispensat: praecepta Ecclesiae communia et *laicorum* associationes, nullis exceptis,[4] moderatur; leges peculiares *clericorum* sive quoad privilegia et praecedentiam, sive quoad obligationes status, sive quoad obligationes parochorum et canonicorum, sive quoad officia et beneficia urget vel remittit.

---

[1] Ad tollendas ambiguitates, praesertim circa fines inter C. S. et C. R. in const. *Sapienti consilio,* norm. pecul. c. VII, a. 3 singillatim recensentur facultates, quae ab ea petendae sunt. Aliae limitationes sequuntur ex can. 247 § 3 et 251 § 3.

[2] At vide quae scite animadvertit *Oietti,* 50. Tamen C. magis adhuc explicite quam const. *Sapienti consilio* hanc competentiam agnoscit.

[3] At C. Cons. 28 nov. 1911 (A. II, 658) facultatem dispensandi *sacerdotes* ab irregularitate ex *delicto* C. C. reservavit.

[4] Etiamsi dependeant a religiosis vel erectae sint in eorum ecclesiis seu domibus. At *tertii ordines* non veniunt nomine associationum et subsunt C. Rel.

Pertinet quoque ad Concilium quidquid *bona ecclesiastica* et *res oeconomicas* attingit: bonorum administratio et alienatio, compositiones super usurpatis vel licentia ea acquirendi, pia legata, pia opera, missarum stipes, tributa dioecesana, taxae Curiarum episcopalium aliaque huiusmodi.[1]

Eius sunt denique quae spectant ad celebranda *concilia* et conferentias episcopales in territoriis iuris communis atque conciliorum recognitio.

Limitatur in sua competentia praesertim a C. Religiosorum, Caeremoniali et Prop. F. Controversias, quae ad eam deferuntur, tum de iuribus tum de obligationibus tum de violatis legibus, si in prima instantia non sint iudiciario ordine pertractatae et in linea disciplinari definiri posse videantur, ipsa dirimit, ceteras ad tribunalia remittit (can. 250).

Pius IV, Mp. *Alias nos*, 2 aug. 1564, congregationem octo Cardinalium deputavit «super executione et observantia S. Concilii Tridentini».[2] Interpretationem autem decretorum idem Pontifex omnibus severissime prohibuerat,[3] ita ut ne huic Congregationi quidem liceret, sed in singulis casibus solutio dubiorum a Summo Antistite petenda esset. Postea vero Pius V et Greg. XIII indulserunt facultatem decidendi casus in quibus omnes Cardinales essent *de iure certi* et demum Sixtus V generalem interpretandi competentiam eidem confirmavit, mutato etiam nomine in «*Congregationem pro executione et interpretatione Conc. Tridentini*».

Cum Concilium Trid. de omnibus fere capitibus canonici iuris aliquid statuerit, haec Congregatio amplissimam consecuta est provinciam, et vix erat negotium in quo competens non censeretur, saltem cumulative cum aliis. Praesertim postquam Rota siluit, omnis generis causae contentiosae ad eam deferebantur, peculiariter omnes matrimoniales. Quas tamen non ordine iudiciali sed secundum suum proprium stylum dirimebat. Vicissim cum ea in pluribus concurrebat C. Episcoporum et Regularium.

Reformatio Pii X hanc rerum conditionem plene mutavit. Sublata exclusiva facultate interpretandi Conc. Trid. (C. Cons. 11 febr. 1911, A. III, 99), translatis multis negotiis ad C. Consistorialem et C. Sacramentorum, suppressa C. Episc. et Reg., moderna C. Concilii novam et bene circumscriptam competentiam obtinuit, quam nunc quoque habet.[4]

---

[1] Index facultatum, quae huic Congr. privative competunt, est in const. *Sap. cons.* norm. pecul. c. VII, a. 4.

[2] De initiis C. C. vide *Sägmüller*, Die Geschichte der C. C. vor dem Mp. *Alias nos nonnullas* in AK LXXX (1900) 3 ss.

[3] Const. *Benedictus Deus*, 26 ian. 1564, imitatus Iustinianum, qui Digesta commentari interdixerat. Sed iampridem haec norma violata est (unde quaedam opera antiquorum canonistarum in Indicem relata) et a longo tempore obsoleverat. cf. *Oietti*, 54; *Lingen* et *Reuss*, Causae selectae, V ss.

[4] Ex audentia SSmi 28 oct. 1919 restitutum est «*Studium*» apud C. C. in quo lecti sacerdotes, iuris can. doctores, praxim et modum procedendi addiscunt. C. C. 11 nov. 1919 (A. XI, 463).

166. C. de Religiosis ea sibi *exclusive* vindicat quae respiciunt *regimen, disciplinam, studia, bona* et *privilegia religiosorum,* salvo iure C. Prop. Fide in religiosos qua missionarios. Huic subsunt Ordines, Congregationes, Societates vitae communis, Tertii Ordines, atque *sodales* omnes, utriusque sexus, *institutorum,* sive sint iuris pontificii sive dioecesani.

Itaque ad eam pertinent non solum, ea omnia quae ad definitivam constitutionem et approbationem, ad exemptionem, ad internam institutorum vitam et regimen, ad mutuam inter religiones relationes, ad iura et obligationes quae ex votis vel regulis profluunt, referuntur, sed *negotia* quoque *personalia* sodalium,[1] gratiae et dispensationes quibus indigent etiam a iure communi,[2] causae quas cum alio religioso vel cum instituto habeant, et cum laico si non sint iudiciales.[3] Quaestiones enim dirimit via disciplinari, dum contentiosae ad tribunalia remittuntur (can. 251).

Sunt tamen plura, in quibus religiosi ab aliis Congregationibus pendent: ut puta quae S. O. propria sunt, quae sodalitates laicorum et bona ecclesiastica usurpata (C. C.), instituta et seminaria missionum etiam in Europa (C. P. F.), universitates vel seminaria dioecesana (C. Sem. et Univ.) spectant.[4] Praeterea etiam quaestiones administrativae, in quibus una tantum pars sit religiosa, ab hac Congregatione remitti possunt, et interdum aptius remittuntur, ad aliud dicasterium.[5]

In ordinatione Curiae Sixti V erat Congregatio super consultationibus regularium (1586) et altera super consultationibus episcoporum (1576). Sed iam a. 1601 in unam coniunctae sunt.[6] Huic accesserunt decursu temporis tres aliae, super statu vel super disciplina regularium vocatae, quarum duas usque ad hos annos superstites Pius X, 1906, extinxit. Deinde in sua magna reformatione negotia episcoporum ab antiqua Congregatione distraxit et propriam solis religiosis assignavit.

167. C. de Propaganda Fide. Praeposita est *locis* et *negotiis missionum.* Distinguuntur enim territoria *iuris communis,* ubi ecclesiae et hierarchia iam stabili modo constitutae sunt,

[1] Ex ipso textu legis patet hos non esse sodales tertiarios.

[2] Coetus specialis Card. a Pontifice designatus (can. 245) die 24 mart. 1919 latissime hanc facultatem circumscripsit (A. XI, 251).

[3] cf. can. 1579 § 3, 1594 § 4; dec. in superiore nota all. ad 1; *Oietti,* 65 s.

[4] C. Cons. 9 dec. 1909 (A. I, 815), 14 mart. 1910 (A. II, 229), 5 iul. 1915 (A. VII, 327).

[5] Qua norma mitigatus est rigor const. *Sapienti consilio.*

[6] Congr. Episcop. et Reg. cf. *Bizzarri,* Collectanea, VII ss.

et territoria *missionum*, quae aut nullam habent hierarchiam aut, si habent, adhuc inchoatum aliquod praeseferunt. Sunt universim regiones in quibus extant Vicariatus vel Praefecturae apostolicae et aliae nonnullae, licet regulares dioeceses habeant. Haec est propria provincia C. de Propaganda, quae extra illam pro regula nihil potest, in illa plurima quae alibi a ceteris Congregationibus expediuntur.

Exceptis enim negotiis quae *fidem* attingunt, causis *matrimonialibus* etiam gratiosis, generalibus normis circa res *liturgicas*, quae ipsa deferre debet ad S. O. aut ad C. Sacram. aut ad C. R. aut ad R. Rotam, haec Congregatio facultatem habet tractandi, agendi et exequendi omnia quae ad catholicam doctrinam, vitam et disciplinam propagandam conservandamque, sive quoad res sive quoad personas, necessaria et opportuna videantur. At missionarii qui alicui *religioni* sunt adscripti, qua tales tum singuli tum simul sumpti, suae Congregationi subduntur.

Peculiariter ad C. de Propaganda pertinet etiam celebratio et recognitio *conciliorum* in locis sibi subiectis et moderatio societatum ecclesiasticorum ac seminariorum, quae exclusive instituendis missionariis fundata sunt.[1]

Greg. XIII et Clem. VIII peculiares commissiones Cardinalium constituerunt qui fidem inter Orientales conservandam, schismaticos ad unitatem revocandos et evangelium infidelibus praedicandum curarent, sed vera Congregatio erecta est demum a Greg. XV, const. *Inscrutabili*, 22 iun. 1622. Cum usque ad recentiora tempora territorium iuris communis fere dumtaxat terras Europae centralis et meridionalis ac Americae latinae complecteretur et C. de P. F. in locis suis omnia posset quae ceterae simul, latissima erat eius iurisdictio. Quam Pius X dupliciter *limitavit*: tum multas regiones (Angliam, Scotiam, Hiberniam, Hollandiam, Lucemburgum, ditionem Canadensem, Terram novam, Status foeder. Amer. sept.) ad ius commune reducens, tum etiam quaedam negotia, ut unitati regiminis consuleretur, aliis Congregationibus reservans. Ei attribuit autem aliquos Vicariatus, qui antea subiiciebantur C. pro negotiis extraordinariis et administrationem Rev. Camerae spoliorum.

168. C. Rituum sibi demandatam habet curam *cultus divini* in Ecclesia latina. Cui muneri explendo, *duplex* causarum genus, in duabus sectionibus, diverso procedendi modo, agit. *Primum* est causarum quae ad *liturgiam* referuntur, nam ius

[1] cf. Cons. 12 nov. 1908 (A. I, 148), 6 aug. 1909 (A. I, 678), 10 dec. 1909 (A. I, 814), 15 mart. 1910 (A. II, 230).

habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias proxime spectant; unde eius est invigilare ut diligenter serventur in missa celebranda, in sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, concedere dispensationes vel privilegia tum personalia et ad tempus tum localia et perpetua, cavere ne absus irrepant. His providet, in Congregatione *ordinaria*, legislative [1] et administrative, dum nova decreta edit aut antiqua abrogat vel mutat, dubia etiam generalia dirimit, libros liturgicos officia calendaria inspicit corrigit approbat, gratias concedit, reliquias recognoscit permittit vel prohibet. At si quid in ritibus occurrat quod doctrinam attingat deferendum est ad S. O.; quaestiones de praecedentia etiam in functionibus sacris ad C. C.; caeremoniae in sacello et aula pontificia ad propriam Congregationem.

Alterum, et maximi momenti, est causarum beatificationis et canonizationis servorum Dei. Hae aguntur in Congregatione *extraordinaria*, quae ut tribunal et iudiciario modo procedit, at secundum peculiares normas, de quibus suo loco dicendum est [2] (can. 253).

Instituta a Sixto V, in reformatione Piana eius competentia est restricta. Ei addicti erant tres coetus: ***liturgicus*** (Leo XIII, 1891), ***historico-liturgicus*** (Leo XIII, 1892) et pro ***sacro concentu*** (Pius X, 1904) quos omnes suppressit Pius X, Mp. *Quanta semper,* 16 ian. 1914 (A. VI, 25). Officiales proprii huius Congregationis sunt: Promotor generalis fidei, assessor seu subpromotor, qui in causis sanctorum opponere debent, hymnographus, qui nova officia videt et corrigit. Duplex est ordo consultorum.

169. C. Caeremonialis habet competentiam partim *liturgicam* et partim proprie *caeremonialem.*[3] Ex illa moderatur functiones sacras quae fiunt in *sacello* papali aut a Cardinalibus in Urbe, ex altera ad eam pertinet ordinare caeremoniale in *aula* pontificia observandum, praecipue in receptionibus sollemnibus et diplomaticis, instructiones dare Legatis a latere et Cardinalibus neo-creatis quomodo se gerere debeant in relationibus cum principibus, dirimere controversias de praecedentia tum inter Cardinales tum inter Legatos a rebuspublicis ad S. Sedem missos (can. 254).

[1] Quod unicum est huius Congr. et per verbum «*statuendi*» in C. confirmatur.
[2] cf. can. 1999-2141.
[3] Di *protocollo*, uti aiunt.

Erecta dicitur a Sixto V, sed uti videtur iam tempore Greg. XIII existebat. Eius Praefectus est semper Cardinalis Decanus, consultores sunt omnes et soli magistri caeremoniarum pontificii.

170. C. pro negotiis eccl. extraordinariis in ea incumbit negotia, quae cum *legibus civilibus* coniunctum aliquid habent aut ad *pacta conventa* cum variis nationibus referuntur. Quaenam haec sint ex adiunctis pendet et a voluntate S. Pontificis, qui per Secretarium Status ea eius examini subiicit. Peculiariter, C. Consistorialem excludens, competens est ad constituendas, dividendas, circumscribendas dioeceses et ad nominandos episcopos, quotiens his de rebus cum civilibus guberniis agendum sit (can. 255).

Erecta a Pio VII, 18 iun. 1814, qui congregationem extraordinariam a Pio VI institutam (1793) super negotiis Galliae stabilem reddidit, immutata deinde mansit. Non habet Praefectum, cuius munus explet Cardinalis a Secretis Status, nec propriam cancellariam, cum eam suppleat prima sectio Secretariae Status.

171. C. de Seminariis et Universitatibus curat omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia *Seminariorum* pertinent, exceptis seminariis missionariorum. Eidem pariter commissa est moderatio regiminis et studiorum *Universitatum* et Facultatum quae ab Ecclesia pendent, etiam si a religiosis dirigantur. Huc veniunt non solum quae dicuntur universitates catholicae, sed facultates quoque theologiae in athenaeis publicis. Novas institutiones perpendit approbatque, facultatem concedit *academicos gradus* conferendi normasque tradit quibus conferantur, rationem studiorum decernit. Nulla in statum horum institutorum gravior immutatio induci potest sine eius assensu. Viros doctrina eximios potest etiam ipsa gradibus academicis decorare (can. 256 § 1).

Sixtus V instituerat Congregationem «pro universitate Studii Romani», cui tamen commiserat curam etiam collegiorum orientalium in Urbe et omnium Universitatum quae sub protectione S. Sedis erant. Leo XII eam fere abolitam restituit, ut promoveret et invigilaret studia in omnibus scholis ditionis pontificiae. In reformatione Piana conservata est sed solummodo pro universitatibus catholicis, dum seminaria C. Cons. subdebantur. Ben. XV, Mp. *Seminaria clericorum*, 4 nov. 1915 (A. VII, 493) novam Congregationem erexit, tum seminariis tum universitatibus praepositam; ut autem aliquo nexu cum Consistoriali coniungeretur iussit ut huius secretarius inter Cardinales, assessor inter consultores perpetuo numerarentur (c. c. § 2).

172. C. pro Ecclesia orientali. Huic reservantur omnia cuiusque generis negotia, quae sive ad *personas* sive ad *disciplinam*, sive ad *ritus* Ecclesiarum *orientalium* referuntur, etiam mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant. Quare pro Orientalibus unitis potitur omnibus facultatibus, quas aliae congregationes pro latinis obtinent, et omnes supplet praeter S. O. Procedit via disciplinari et administrativa; controversias quas iudiciario ordine dirimendas iudicaverit, remittit ad tribunal quod ipsa designat.

Et praeest R. Pontifex, secretarii munere fungitur Cardinalis, praelatus qui alter ab eo est vocatur *assessor*, habet praeter officiales et interpretes coetum consultorum (can. 257).

1. Particulares congregationes «super dubiis orientalium» et «super correctione euchologii graecorum» (Urb. VIII, 1631) et alia «super correctione librorum graecorum» cum proprio Praefecto et secretario (Clem. XI) olim fuerant. Sed Pius IX, const. *Romani Pontifices,* 6 ian. 1862, ampliore provisione, erexerat sectionem in C. P. F. quae *omnia* negotia rituum orientalium curaret et distinctos haberet officiales ac consultores. Haec in reformatione Pii X integra mansit. Ben. XV autem, Mp. *Dei providentis,* 1 maii 1917 (A. IX, 529) eam extinxit et plane novam esse Congregationem pro Ecclesia orientali iussit. Mox Mp. *Orientis catholici,* 15 oct. 1917 (A. IX, 531) *Institutum* pontificium studiis rerum orientalium provehendis, quod nedum catholicis sed orthodoxis patere voluit, erexit eidemque commisit.

2. **Orientales** cum Sede Apostolica uniti in plures ritus distribuuntur. I. *Ritus armenus* in Asia minore et anteriore (Patriarch. Ciliciae Armen. 4 archiep. 11 ep.), in Polonia (1 archiep.), in Russia (1 ep.), in Persia (1 ep.) et in Aegypto (1 ep.). II. *Ritus coptus,* qui subdividitur in coptum *purum* (Patr. Alex. Copt. et 2 ep.) et coptum *aethiopicum* (sine hierarchia). III. *Ritus graecus*, qui dispescitur in graecum *purum* (1 ep. in Hungaria, alibi sine hierarchia), graecum *rumaenum* (1 metrop. et 3 ep. in Hungaria), graecum *ruthenum* (1 metrop. et 2 ep. in Polonia, 1 ep. in Croatia, 3 in Russia - praeterea tum in Stat. foeder. Am sept. tum in ditione Canad. est episc. Ruthenorum), graecum *bulgaricum* (archiep. tit. in Turchia, vic. ap. in Macedonia), graecum *Melchitarum* (Patr. Antioch. Melchit. 3 archiep. 8 ep.). IV. *Ritus syrus,* iterum subdivisus in syrum *purum* (Patr. Antioch. Syr. 5 archiep. 3 ep.), syrum *chaldaicum* (Patr. Babylonen. Chald. 2 archiep. 10 ep.), syrum *Maronitarum* (Patr. Antioch. Maronit. 7 archiep. 2 ep.) et syrum *malabaricum* (3 vic. apost.).[1]

[1] Annuario Pontificio 1921, pag. 762 ss.

B. TRIBUNALIA.

Potestas *iudicialis* in Curia Rom. exercetur a tribunalibus, exceptis causis criminalibus reservatis S. O. (can. 247 § 2) et causis beatificationis et canonizationis in quibus competens est C. R. (can. 253 § 3). Quia autem duplex est in Ecclesia iurisdictio, fori externi et fori interni, duplex etiam genus tribunalium. Pro foro *externo* adsunt R. Rota et Signatura, cuius utriusque constitutio, competentia et modus precedendi describitur in l. IV C. (can. 259), pro foro *interno* est S. Poenitentiaria.

173. S. Poenitentiaria. Est tribunal gratiae, in qua tota iurisdictio est pro regula penes Cardinalem praepositum, qui nuncupatur *Poenitentiarius maior*. Tamen quaedam ne is quidem potest, sed recurrere debet ad S. Pontificem; quaedam minora et communia expedire valet *Regens*, qui est primus officialis. Alii maiores administri sunt *theologus* (S. J.), *datarius, corrector, sigillator,* et *canonista*, qui cum Cardinali convenientes efformant *signaturam.*

Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad forum *internum*, etiam non sacramentale, quare ea quae concedit non suffragantur pro externo foro nisi per exceptionem;[1] inter suos fines autem est fere illimitata. Gratias largitur omnis generis: *absolutiones* a quibusvis peccatis et censuris,[2] *dispensationes* a votis, iuramentis, irregularitatibus, impedimentis matrimonialibus, *commutationes* sive votorum sive aliarum quarumlibet obligationum, *sanationes* invalide assecuti beneficii, officii, celebrati matrimonii, *condonationes* fructuum indebite perceptorum, bonorum male acquisitorum etc.[3] Excutit praeterea *quaestiones conscientiae* easque dirimit. Eius responsa eatenus sunt interpretationes authenticae iuris divini vel ecclesiastici, quatenus aut singuli quibus data aut etiam omnes, si generalia et publicata sint, ea tuta conscientia sequi possunt (can. 258 § 1).

In multis rescriptis S. Poenitentiariae apponitur *clausula* «dummodo res sit occulta», quae essentialis est. Secundum eius stylum *occultum* est quod, in loco ubi quis commoratur,

---

[1] cf. can. 1047.

[2] Excepta censura ex violatione secreti S. O. contracta.

[3] Catalogus facultatum S. P. exhibetur in *Ben. XIV* const. *Pastor bonus,* 13 apr. 1744.

adeo pauci et prudentes sciunt, ut reputari possit quasi nemo sciret, nec periculum previdetur ne notum evadat, sive quia homines illud pluribus patefaciant sive quia notitia ex alio loco illuc facile perveniat. Et sufficit ut res sit occulta vel *materialiter* vel *formaliter* tantum, saltem ex errore facti.[1] Imo quod olim publicum, sed a longo tempore obliteratum, pro occulto haberi potest. Si autem requiritur ut res sit *omnino occulta*, talis non habetur si duo, qui testes esse possint, sciverint. Et si dicatur «dummodo non deducta ad *forum contentiosum*», hoc factum intelligitur cum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit.[2]

In Poenitentiaria est insuper altera sectio *de indulgentiis*. Eius est iudicare et decernere ea omnia quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. O. quoad quaestiones, novas orationes et devotiones *dogmaticam* doctrinam attingentes (c. c. § 2).

Presbyter *poenitentiarius* qui episcopum adiuvaret aut suppleret in administranda poenitentia publica et serius etiam privata, iam primaevis saeculis in multis ecclesiis constitutus legitur. Romae saec. XIII hoc munere Cardinalis fungebatur et eodem tempore, cum casus in quibus ad S. Pontificem pro absolutione vel dispensatione recurrebatur valde aucti essent, *officium Poenitentiariae* erectum esse videtur. Illud deinde ordinavit Ben. XII const. *In agro dominico*, 8 apr. 1338, eius competentiam vero pressius definierunt Pius IV (1562), Pius V (1569), Urbanus VIII (1634) et praesertim Ben. XIV (1744) cuius constitutiones adhuc fere immutatae vigent.

Facultatibus fori interni iampridem complures accesserunt *fori externi*, quas Sixtus IV (1484) confirmavit. Decursu temporis tamen adeo multae factae sunt, ut Pius V necessarium censuerit Poenitentiariam iterum ad suum forum reducere, quod etiam praestitit (const. *Ut bonus paterfamilias*, 18 maii 1569) quamvis non complete. Toto saec. XIX autem et usque ad const. *Sapienti consilio* dispensationes matrimoniales pro foro externo pauperibus et quasi-pauperibus concessit. Tandem Pius X eam ad merum forum conscientiae coarctavit, Ben. XV ei praeterea commisit curam indulgentiarum.

---

[1] *Materialiter*, quando factum latet; *formaliter*, quando factum quidem scitur, sed aut culpa quae facto, aut poena quae culpae forte cohaeret, ignoratur. Ut puta: Osius clericum occidit; sed is creditur fato suo obiisse, factum erit *materialiter* occultum. Si scitur fuisse occisum ab Osio, sed vel occidisse fertur iustae defensionis causa, vel ignoratur homicidam incurrere excommunicationem, erit occultum *formaliter*, nempe illinc errore facti, hinc iuris errore. Hunc alterum errorem multi non admittunt, et recte, uti videtur, praesertim novo iure. cf. *D'Annibale*, I, 242.

[2] *D'Annibale*, l. c. De aliis clausulis in rescriptis Sacrae Poenitentiariae v. *Chelodi*, Ius matr. 50.

A Poenitentiaria pendent et iurisdictionem accipiunt *Poenitentiarii minores* in basilicis urbanis et in aede Lauretana. Ipsa concedit quoque facultates pro foro interno tum Ordinariis (vulgo *triennales,* nunc ad quinquennium) tum confessariis *(pagella* Poenit.).

Quivis fidelis, in quolibet idiomate, recurrere potest ad Poenitentiariam et mature ac gratis petitam gratiam obtinere.[1] Si confessarius litteras mittit, tectis nominibus casum exponat necesse est. Diligenter autem notandum est cui et quo responsio sit mittenda.

C. OFFICIA.

174. Cancellaria apostolica. Est hodie officium conficiendis et expediendis *bullis apostolicis* limitatum. Pleraque negotia Curiae scilicet a singulis dicasteriis expediuntur, de quibusdam autem statutum est ut id per bullam fiat, quo in casu Cancellaria suo munere fungitur. Huiusmodi sunt, ex dispositione iuris, negotia *consistorialia* pro beneficiorum et officiorum provisione, novarum provinciarum, dioecesium et capitulorum institutione ac dioecesium unione. Administri maiores C. Cons. debent exhibere Cancellariae opportunas significationes ad bullam parandam, quae confecta ad officium a secretis Congregationis remittitur. Circa *alia graviora negotia* Ecclesiae bulla non fit nisi ex mandato Pontificis, qui etiam terminos servandos definit (can. 260).

Officio praesidet Cardinalis *Cancellarius S. R. E.* qui ex pervetusta consuetudine in consistoriis notarii munere fungitur. Eum adiuvant *Regens* et *Substitutus* cum quibusdam officialibus, inter quos *plumbatores.* Bullae subscribuntur etiam a duobus *Protonotariis* apostolicis de numero.

Officium, quo R. Pontifices utebantur in litteris et actis conficiendis et expediendis antiquissimum est et pridem cum *archivo* et *bibliotheca,* ubi receptae litterae et expeditarum exemplaria asservabantur, coniunctum fuit. Serius divisum, iam saec. XII praepositum habuit Cardinalem, titulo Cancellarii, saec. XIII autem praelatus qui *Vice-cancellarius* vocatus est, quod nomen mansit etiam cum, post exilium Avenionense, iterum Cardinali munus est commissum. Pius X priorem titulum restituit, at Cancellariam, quae olim maximum erat inter Romana dicasteria et centenos officiales, in varia collegia distributos, numerabat, sed ultimo saeculo iam multum antiquae amplitudinis amiserat, ad praesentes angustos limites coarctavit.[2]

---

[1] Epistolae *superscriptio:* Alla Sacra Penitenziaria *aut* A Sua Em. il Card. Penitenziere maggiore, Roma, Palazzo del S. Officio.

[2] Antiquitates iuris circa Cancell. apost. legi possunt ex. gr. in *Oietti,* 157 ss.

175. Dataria. Huius officii, cui praeest Cardinalis *Datarius S. R. E.*, a *Regente* in eo moderando adiutus, unicum munus est hodie conferre *beneficia non consistorialia* S. Sedi reservata. In quo explendo videt etiam de idoneitate promovendorum (plerumque quidem ex relatione Ordinarii), dispensat, si opus sit, a conditionibus requisitis, conficit et expedit litteras collationis, curat ut solvantur pensiones et onera quae R. Pontifex in iis beneficiis conferendis imposuerit (can. 261).

Dataria, cuius nomen a *datando* est, quia gratiae a Pontifice signatae quousque datatae non essent nullius roboris censebantur, saec. XIII coepit. Olim praeter beneficia plurimas gratias fori externi, praesertim dispensationes matrimoniales concedebat, implicatissimo stylo ita ut magnus numerus officialium requireretur. Ad moderniorem formam eam Leo XIII redegit, Pius X autem penitus reformavit, omnibus inutilibus organis resecatis et pluribus quoque negotiis ad Congregationes amandatis. Idem Pontifex Cardinali praesidi nomen Datarii tribuit; antea vocabatur *Prodatarius*, quia eius munus antiquitus praelatitius tantum censebatur.

176. Camera apostolica, cui praesidet Cardinalis *Camerarius S. R. E.* et addicti sunt Vice-camerarius, auditor generalis, thesaurarius et clerici Camerae, omnes praelati, *sede plena* est officium quod fere nullam competentiam habet. Ei commissa est quidem cura bonorum et iurium temporalium S. Sedis, sed cum administrandis bonis deputatus sit peculiaris coetus Cardinalium cum propria secretaria et officialibus,[1] vix aliquid remanet quod Camerae reservetur. At *sede vacante* in Card. Camerarium transit tota administratio temporalis, regimen palatii apostolici et moderatio conclavis, quod munus exercet simul cum Capitibus ordinum et, in gravioribus negotiis, cum consensu ceterorum Cardinalium[2] (can. 262).

Camerae et Camerarii (Camerlengo), qui in officio archidiaconi successit, mentio fit iam saec. XI. In medio aevo Camera non solum aerarii curam sed totum regimen temporale ditionis pontificiae habuit, negotia politica, administrativa et iudicialia expediebat. *Vice-camerarius* erat gubernator Urbis, tum is tum auditor generalis et thesaurarius sua tribunalia habebant, a quibus appellatio dabatur ad *plenam Cameram*, quam clerici praelati constituebant. Inde a saec. XV Camerarius fuit Cardinalis, at eius auctoritas potius honoris quam realis, cum officiales maiores independenter suam iurisdictionem exercerent.

[1] Amministrazione dei beni della S. Sede.
[2] Const. *Vacante Sede*, n 14. cf. supra n. 159.

177. Secretaria Status. Hoc officio utitur R. Pontifex *tum* in negotiis diplomaticis quae cum rebuspublicis plerumque per earum vel per pontificios legatos aguntur, *tum* in multis aliis negotiis ecclesiasticis, quae S. Pontifex motu proprio suscipit et directe promovet. Regitur a Cardinali *Secretario Status* et constat triplici ordine seu sectione: *prima*, pro negotiis *extraordinariis*, ea parat quae Congregationi eiusdem nominis examinanda subiici debent, eaque expedit, eius moderator est *secretarius*, qui primus etiam habetur in officio praelatus; *altera*, pro negotiis *ordinariis*, iis incumbit et insuper competens est ad concedenda omnia insignia honoris, ecclesiastica et civilia, nonnullis exceptis,[1] ei praeest *substitutus*, qui alter est praelatus; *tertia* dicitur *Cancellaria brevium* et vacat expeditioni brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, regitur a *Cancellario brevium* (can. 263).

Secretaria Status orta est ex officio Cardinalis nepotis. Huic inde a fine medii aevi consueverunt Pontifices committere negotia politica et diplomatica, aliaque in quibus peculiaris fides et prudentia requireretur. Abolito nepotismo, praesertim post Innoc. XII const. *Romanum decet Pontificem*, 21 iun. 1692, alius Cardinalis in hoc munere successit. Praesens ordinatio Secretariae eiusque divisio in tres partes a Pio X inducta est.

Duae aliae secretariae adsunt praeterea: *Secretaria brevium ad Principes* et *Secretaria epistolarum latinarum*, utrique praesunt praelati in latinis litteris apprime exculti, quibus Pontifex utitur non solum in conscribendis actis, a quibus nomen eorum officiorum est, sed etiam ad alia documenta (allocutiones, encyclicas etc.) exaranda (can. 264).

VI. LEGATI ROMANI PONTIFICIS.

178. Ius legationis. In *primatu* R. Pontificis evidenter continetur ius directe communicandi cum omnibus pastoribus et fidelibus et ubique exercendi immediate suam iurisdictionem. Unde etiam *ius mittendi* in quamlibet mundi partem *legatos*, cum potestate quae nullo modo a consensu episcoporum aut civilis auctoritatis pendet. Nam nec illorum nec huius iura laedit: non *illorum*, quia supremi Ecclesiae principis, qui in qualibet dioecesi episcopus est, vices agunt et ceterum Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium, ex praecepto, relinquere debent (can. 269 § 1); non *huius*, quia

[1] Quaedam conferuntur per Praefectum palatii apostolici (Maggiordomo); ordo S. Sepulcri a Patriarcha Hierosolymitano.

Ecclesia, utpote societas perfecta et universalis, in toto orbe in *suo* territorio versatur et iure proprio ac nativo *suas* res procurat (can. 265).

Quapropter omnes criminationes et oppositiones contra legatos pontificios fundamento iuridico carent, uti saepe S. Sedes authentice declaravit.[1]

1. Hoc iure Romani Pontifices amplissime usi sunt et utuntur. Initio legatos miserunt ad synodos. Iam saec. IV autem (tempore Damasi) constitutus est, in Illyrico, primus stabilis *vicarius* Sedis Apostolicae, episcopus *Thessalonicensis,* cui pertinebat totam administrationem ecclesiasticam illius provinciae inspicere et dirigere. Saec. V (P. Zosimus, 417) accessit pro Gallia vicariatus *Arelatensis,* serius multi alii episcopi sive personaliter sive perpetuo pro sua sede hanc praerogativam obtinuerunt.[2] Hi vocati sunt *Legati nati* et satis latam habuerunt iurisdictionem (exceptis plerumque causis maioribus), temporis decursu autem eam penitus amiserunt, adeo ut hodie nonnisi titulum honoris retineant (can. 270).

Leo I (453) primum deputavit *apocrisiarium* seu responsalem apud aulam Constantinopolitanam, Iulianum ep. Coensem, quod munus usque ad saec. VIII duravit et tanti fuit momenti ut diaconi Romani qui eo functi erant saepe ad supremum pontificatum assumerentur.[3] Apocrisiarii etiam apud exarcham Ravennatensem nominabantur, deleto in Italia Byzantino dominio identidem legati ad Carolingios missi sunt. Sed legationes pontificiae praesertim inde a reformatione gregoriana frequentes factae sunt, imo inter validissima media eiusdem perficiendae merito accensentur. Hac aetate huic officio imprimis Cardinales eligebantur, qui, utpote immediate cum persona Pontificis coniuncti, *legati a latere* ab exeunte saec. XII constanter appellantur.[4] Eorum potestas maxima fuit et cum ordinaria episcoporum iurisdictione in multis concurrens, nec ab omnibus moderate exercita. Unde graves querelae, donec Conc. Trid. (sess. XXIV, c. 20 de ref.) eos a perturbanda competentia episcopali prohibuit.

Moderna aetate legati a latere rarius missi sunt, eisque successerunt stabiles *nuntii apostolici* apud varias nationes constituti (Venetiis 1500,

---

[1] *Greg. VII,* ad Manassem Remen. (Reg. VI, ep. 2); c. 1 Extrav. com. 1, 1; *Pius VI,* respons. ad metropol. 14 nov. 1789; *Leo XIII,* alloc. *Summi Pontificis,* 20 aug. 1880, epist. *Longinqua Oceani,* 6 ian. 1895.

[2] Non de omnibus, qui hoc ius sibi tribuerunt, constat utrum legitimo titulo inniterentur vel utrum veri vicarii essent. Haud raro usurpationes locum habuerunt et apocrypha documenta ad eas fulciendas allata sunt. Huc spectant: Metensis, Senonensis, Lugdunensis, Viennensis, Remensis in Gallia; Tarraconensis, Hispalensis et Toletanus in Hispania; Salisburgensis, Trevirensis, Moguntinus, Lundensis, Coloniensis, Pragensis in Germania; Cantuariensis et Eboracensis in Anglia; Armacanus in Hibernia; Gnesensis in Polonia; denique Strigoniensis in Hungaria, qui unus adhuc aliquam potestatem ex privilegio exercet. cf. *Scherer,* I, 522 s.

[3] Ex. gr. Vigilius, Pelagius I, Greg. I, Sabinianus, Bonif. III, Martinus I.

[4] Nomen, in singulis casibus, occurrit iam a. 343 (syn. Sardic. c. 7), a. 419 (syn. Carthag.), a. 880 (Nicol. I).

Vindobonae 1513, paullo post Parisiis, Matriti et Ulissiponae, Bruxellis 1597), quibus autem non omnibus idem officium commissum erat, nam alicubi praecipue ecclesiastica negotia, ad instar antiquorum vicariorum, alibi diplomatica, prout in iure internationali a saec. XV usuvenerat, curaverunt.[1] Denique recentioribus temporibus distinctio inter utrumque mandatum clarius firmata est.

Medio aevo etiam *principes* potestatem legati sibi tribuerunt. Huc venit prae primis *Monarchia Sicula,* de qua v. supra n. 36 et privilegium regis *Hungariae,* quod tamen numquam nisi praerogativa honoris fuit.[2]

2. Limites et obstacula legatis pontificiis *principes,* ex rationibus politicis, iam medio aevo et saepe deinceps opposuerunt. Theoretice autem ipsum ius legationis negabant *Gallicani* et *Febroniani,* quasi esset violatio divini iuris episcoporum et usurpatum exercitium potestatis in territorio alieno. His principiis innixi metropolitae Germanici, in punctatione Emsensi, contra erectionem nuntiaturae Monacensis (1785) remonstraverunt. Quibus Pius VI optimis argumentis respondit (1789).[3]

179. Legati sunt igitur «Praelati in certam provinciam missi, cum potestate administrandi negotia ecclesiastica, nomine et mandato R. Pontificis». Eorum potestas est ordinaria, quia a iure determinata et officio adnexa. Hodie *triplicis* ordinis distinguuntur. *Cardinales* interdum mittuntur uti *legati a latere,* ut personam S. Pontificis gerant («alter ego») sed tantummodo in quibusdam sollemnioribus negotiis et ad unum actum, quo expleto eorum munus cessat. Tantum possunt quantum eis singulis vicibus demandatum est (can. 266). Reliqui omnes, qui stabili modo legatione funguntur, *aut* diplomaticum characterem habent *aut* religiosum dumtaxat.[4]

a) Illis duplex munus commissum: *fovent* secundum normas a S. Sede receptas *relationes* cum civili gubernio atque in territorio sibi assignato *advigilare* debent Ecclesiarum statum et R. Pontificem de eodem certiorem reddere. Nomen habent aut *Nuntii,* in sedibus maioribus, aut *Internuntii,* in minoribus, archiepiscopi titulares de more sunt, Excellentissimi nuncupantur et decani coetus diplomatici censentur. Si ad s. purpuram promoveantur, ut consuetudo est pro iis qui per aliquod tempus maximas nuntiaturas rexerunt, interim titulum *Pronuntii* accipiunt.

---

[1] Origo nuntiorum, praeterquam a novo more diplomatico italico saec. XV, a quibusdam derivatur etiam a *collectoriis* Cam. apost. quae apud varias nationes extabant. cf. *Richard,* Origines des nonciatures permanentes in *Revue d' hist. eccl.* VII (1906) 52 ss. 317 ss.

[2] *Silvester II* Stephano regi, 27 mart. 1000 (*Galante,* 214). Documenti integritas est suspecta. Vide etiam *Scherer,* I, 107 s.

[3] *Singer,* Die Nuntiaturenstreitigkeiten in *Staatslex.* III, 1405 ss.

[4] Secr. Status, 8 maii 1916, ex audientia SSmi (A. VIII, 213).

b) Alii, qui diplomatici non sunt, vocantur *Delegati apostolici* et solummodo *alterum* munus exercent. Quorum aliqui pendent a Congregatione Cons., aliqui a C. P. F., sed qui in regionibus orientalibus versantur etiam, quoad certa negotia, a C. pro Ecclesia orientali.

Universi praeter recensitas ordinarias potestates alias plerumque facultates obtinent, gratiis largiendis, quae tamen sunt omnes *delegatae* [1] (can. 267). Etiamsi forte episcopi non sint, praecedunt omnibus Ordinariis, exceptis Cardinalibus, si autem episcopi, possunt, nulla petita licentia, in omnibus ecclesiis, praeter cathedralem, populo benedicere et pontificalia peragere, adhibito quoque throno et baldachino (can. 269).

Legatorum munus non expirat vacante Sede Apostolica, nisi constituti fuerint «ad beneplacitum Nostrum». *Cessat* autem expleto mandato, revocatione intimata, renunciatione a R. Pontifice acceptata (can. 268).

V. PATRIARCHAE, PRIMATES, METROPOLITAE.

180. Evolutio historica. 1. Primae ecclesiae christianae ortae sunt in urbibus. Cum deinde evangelium etiam ruri diffunderetur necesse fuit earum fines determinare. E re esse videbatur circumscriptio municipalis fere ubique in imperio inducta, et ita re vera factum est: cuiusque civitatis territorium constituit unam «*paroeciam*» cum suo episcopo. Inter has ecclesias locales nonnullae, quae aut apostolicae erant aut situ et amplitudine quasi centrum naturale regionis constituebant, praeeminentiam super aliis a remotissima antiquitate habuerunt, imprimis Romana, quae praeter universalem primatum etiam peculiarem auctoritatem in ecclesias Italiae centralis et meridionalis exercebat, Carthaginiensis in Africanas, Alexandrina in Aegyptiacas, Libicas et Pentapolis, Antiochena in Asiaticas, aliae quoque alibi.

Paullatim autem distributio *civilis* provinciarum recepta est etiam in circumscriptione ecclesiastica. In Oriente iam saec. III, in Occidente non multo post Episcopi cuiusque provinciae *(eparchiae)* subsunt auctoritati unius qui plerumque est episcopus metropolis civilis,[2] ab eo ordinantur et ad synodum vocantur. Haec *constitutio metropolitica* in conc. Nicaen. cc. 4 et 6 ut antiqua agnoscitur et approbatur.[3] Et ex hoc tempore regula fuit ut circumscriptio ecclesiastica aptaretur civili, quamvis exceptiones admitterentur.[4]

---

[1] Novissimus index harum facultatum, quae satis amplae sunt, et certo ampliores quam quae Ordinariis in *quinquennalibus* concedebantur, legi potest in ME XXXII (1920) 137 ss.

[2] In Africa autem, et forte etiam in Hispania, episcopus ordinatione *senior*.

[3] cc. 1, 8, d. 64; c. 6, d. 65.

[4] *Innoc. I* ad Alex. Antioch. (415) = c. 1, d. 10; conc. Chalc. 451, c. 12 = c. 1, d. 101. cf. *Savio*, Il papa Zosimo, Roma 1906, 10 ss.

In sexto canone Nicaeno confirmata fuerant antiqua iura episcopi Romani, Alexandrini et Antiocheni et decretum ut etiam aliis ecclesiis, non nominatis, privilegia in suis provinciis conservarentur. Hae probabiliter erant Ephesus, Caesarea in Cappadocia et Heraclea, quae potestatem in metropolitas politicarum dioecesium Asiae procons. Ponti et Thraciae obtinebant et serius *exarchiae* dictae sunt (autocephalae) Translata autem Constantinopolim imperii sede, planum erat ut huius urbis episcopi altiorem dignitatem assequerentur. Et reapse iam conc. Constantinop. I, 381, c. 3 eis primatum honoris post Romanum antistitem tribuit, et mox etiam iurisdictionem in tres exarchias sibi usurpaverunt, quam conc. Chalced. 451, c. 28 ratam habuit. R. Pontifices initio quidem inviti, postea acquieverunt. Circa idem tempus Hierosolymitanus episcopus, cui Nicaeni Patres solum honorem concesserant, auctoritatem in tribus provinciis Palestinae obtinuit Itaque medio saec. V totus Oriens in quattuor *Patriarchatus* divisus est.[1] Patriarcha confirmabat et ordinabat metropolitas aut etiam omnes episcopos (Alexandr.), pallium metropolitis dabat, synodum convocabat, episcopos coercebat, appellationes a sententiis metropolitanorum vel conciliorum provincialium iudicabat.

2. In *Occidente* primis saeculis duo tantum sedes maiores erant: Roma, quae iura metropolitica in universa Italia exercebat et Carthago ad quam tota Africa conveniebat, quamvis plures provinciae et metropolitae numerarentur. Saec. IV Mediolanum et Aquileia, saec. V Ravenna gradum metropoliticum attigerunt. Sequenti aetate, cum unitas imperii per barbaros disrupta esset et variae nationes constitutae, in singulis regionibus una vel altera sedes potiorem potestatem assecuta est, earumque episcopi *Primates* nuncupati. Hi sunt fere iidem, quos uti vicarios apostolicos iam commemoravimus (n. 178), nam eorum iurisdictio ex concessione S. Sedis derivabatur.[2]

3. Patriarchatus *orientales* antiqui aut post islamiticam invasionem cessaverunt aut ad schisma defecerunt. Tempore expeditionum crucigerorum ut *latini* restituti sunt. His accesserunt alii qui dicuntur *minores:* Venetiarum (1451, translatione antiqui Patr. Aquileiensis-Gradensis saeculi VII; alter Aquil. 1348 Utinum translatus suppressus est 1751), Ulissiponensis (1716), Indiarum occidentalium (1540) et Indiarum orientalium (1886). Praeterea sex Patriarchatus *orientales* inde a saec. XII denuo erecti sunt. Horum antistites habent in suos subditos iurisdictionem quae haud multum ab antiqua differt (supra n. 172).

In Ecclesia latina, e contra titulus **Patriarchae** et **Primatis** secumfert dumtaxat praerogativam honoris (can. 271) et praecedentiam immediate post Cardinales[3] (can 280), salvo iure episcopi in dioecesi propria (can. 347).

---

[1] Etiam titulus nunc primum eis privative reservatur, antea omnibus episcopis conveniebat.

[2] *Duchesne,* Origines du culte chrétien, Paris 1909, 11 ss. cf. *Harnack,* Entstehung 110 ss.

[3] Antioch. et Constantinop. sunt praelati in Curia, Alex. et Hierosolym. resident cum potestate episcopali, Indiarum occid. est cappellanus maior exercitus hispanici, Indiarum orient. archiep. Goanus.

181. Potestas metropolitica vero etiam moderno iure retinetur. *Metropolita* est titulus *officii* et competit praelato qui provinciae ecclesiasticae praeest ac alios episcopos sub se habet *(suffraganeos)*,[1] *archiepiscopi* nomen ei quidem etiam spectat, sed non exclusive, honoris causa enim conceditur quoque quibusdam episcopis vel immediate subiectis vel titularibus.

Iurisdictio metropolitica, quae uti patet participatio primatialis potestatis est et stabili modo cum sede episcopali a R. Pontifice designata vel probata coniungitur (can. 272), duplicis ordinis est, *administrativa* et *iudicialis*.

a) Administrativa, praeter ius convocandis concilium provinciale eique praesidendi (can. 284), limitatur ad munus *vigilandi* ut fides et disciplina ecclesiastica in tota provincia accurate serventur, delatis abusibus ad R. Pontificem,[2] qui *ipse* providet, atque ad nonnulla negotia *iure devolutionis* peragenda, scilicet: instituere praesentatos ad beneficia, deputare vicarium capitularem, dioecesim suffraganei canonice visitare. Sed haec omnia dumtaxat si inferiores suum officium culpabiliter neglexerint, et tertium nonnisi de licentia S. Sedis. In visitatione autem metropolita eodem modo procedit ac episcopus (can. 274, nn. 1, 3, 4, 5).

b) Iudicialiter apud metropolitam est *secunda instantia* in omnibus causis quae in primo gradu a tribunali suffraganei definitae sunt, et *prima* instantia causarum in quibus agitur de iuribus temporalibus episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, nisi episcopus eas proprio tribunali committere maluerit (c. c. nn. 7 et 8).

c) Quaedam insuper ei competunt praerogativae in tota provincia: concedere indulgentias centum dierum, praecedere episcopis sibi subditis etiam in eorum dioecesibus, pontificalia peragere in omnibus ecclesiis, etiam exemptis, et praemonito Ordinario in cathedrali quoque, populo benedicere, cruce ante se delata incedere (c. c. nn. 2 et 6).

In sua dioecesi autem metropolita iura et obligationes cuiuslibet episcopi habet (can. 273).

---

[1] Nomen antiquum (et nunc quoque adhibitum) erat *comprovinciales*, demum a saec. VIII, primum in Gallia (Capit. Heristall. 739) dicti sunt suffraganei, quia in concilio provinciali ius suffragii habent.

[2] cf. can. 338 § 4, 343 § 3, 429 § 5, 785 § 4.

Primis saeculis medii aevi *potestas* metropolitanorum maxima fuit, cum in omnibus negotiis extraordinariis suae provinciae providere, appellationes omnis generis contra decreta et sententias episcoporum excipere, hos confirmare, consecrare, iudicare, deponere, ab eis in plurimis obedientiam canonicam exigere possent. *Pseudo-Isidorus* metropolitas pro viribus deprimere conatus est, at magis quam eius falsi canones, temporis adiuncta et ipsorum abusus in causa fuerunt ut, ampliato exercitio pontificii primatus et aucta episcoporum libertate, eorum auctoritas practice minueretur. Tamen adhuc iure Decretalium satis magna erat. Post hoc tempus autem (saec. XIII) iure confirmandi et consecrandi episcopos amisso, paullatim *de facto* ad eam competentiam reducta est, quae nunc a C. confirmatur. Ubi notandum eos nihil posse, ne ex consuetudine quidem, quod non sit *expresse* concessum, et peculiariter omnes recursus in rebus *administrativis* ad S. Sedem esse dirigendos.

182. Pallium. Praecipuum *insigne* metropoliticum est *pallium*. Est fascia lanae candidae, cum sex crucibus nigri coloris intextis, quae humeros cingit habetque ab utraque parte lineas, alteram ante pectus, alteram inter humeros descendentem. Significat plenitudinem pastoralis officii et potestatis et ideo a Summo Pontifice semper et ubique gestari potest, aliis autem conceditur quasi in partem sollicitudinis vocatis. Quilibet metropolita debet illud, intra *tres menses* a consecratione vel a promotione in consistorio, a R. Pontifice petere, aut personaliter aut per procuratorem (can. 275). Concessum personae et sedi adhaeret: *personae* ita ut nec commodari nec donari nec in morte alicui relinqui possit, sed cum metropolita seppelliendum sit (can. 279), *sedi* ita ut si ad aliam metropolim transferatur novum sibi impetrare debeat (can. 278). Eo utitur in missarum sollemniis, certis tantum diebus[1] et intra fines provinciae, in hac autem in omnibus ecclesiis etiam exemptis (can. 277). *Iuridice* refert, quia ante pallii impositionem, secluso speciali indulto, titulum archiepiscopi non obtinet et *illicite* ponit omnes actus sive iurisdictionis metropoliticae sive ordinis episcopalis in quibus usus pallii requiritur (can. 276). Qui sunt: collatio ordinum maiorum, consecratio episcopi, ecclesiae, chrismatis, benedictio abbatis vel monialis, missa pontificalis, concilii provincialis indictio et celebratio. E contra exercitium iurisdictionis dioecesanae et etiam metropoliticae in reliquis negotiis ab usu pallii non

[1] Hi recensentur in *Pontif. Rom.* tit. de pallio. Sunt 24, quibus addendi principaliores dies festi ecclesiae propriae. Alii insuper accedere possunt ex privilegio.

pendet, nec prohibitum est *vel* alium episcopum ad actus ordinis delegare, *vel* eos ponere extra provinciam, *vel* functiones sacras in quibus pallio uti non licet aut pontificalia quoque, diebus quibus eius usus non permittitur, peragere.

Omnes episcopi *graeci*, a remota antiquitate, pallium gestabant, quod in consecratione a metropolita accipiebant, hic vero a patriarcha, patriarcha sibi ipse illud imponebat. Apud illos igitur non erat nisi signum officii pastoralis. Hoc *pallium graecum (ὠμοφόριον)* forma aliquatenus differt a latino et nunc a patriarchis unitis, postquam ipsi a R. Pontifice pallium latinum receperunt, conceditur episcopis insignioribus.

In *Occidente* videtur tum in Africa tum in Hispania omnibus pariter episcopis fuisse comune; in Italia autem initio a solo R. Pontifice gestabatur.[1] Qui saec. VI coepit *suum* pallium aliis episcopis tribuere, praesertim suis vicariis et quibusdam metropolitis. Inde etiam priscae significationi altera accessit, *participatae* scilicet plenitudinis *potestatis* et paullatim *obligatio* orta est ut omnes metropolitae illud petere deberent (saec. IX). Primum symbolum per lanam candidam exprimebatur, alterum per inductam consuetudinem deponendi nova pallia super sepulcro S. Petri. Pallium etiamnunc petitur in consistorio «instanter, instantius, instantissime», procuratores esse possunt tantummodo advocati consistoriales, ab ipso Pontifice benedicitur, sed plerumque a Cardinali Protodiacono imponitur. Archiepiscopi sine suffraganeis pallium accipiendi ius non habent, si iis aut identidem episcopis datur, non est nisi merum signum honoris. Defertur super omnes vestes sacras.

De eius *origine* non plene constat. Verisimile est Ecclesiam lorum, quod insigne erat maiorum officialium imperialium, suis usibus aptasse ad summam dignitatem et auctoritatem indicandam. A concessione imperiali derivare, uti quidam voluerunt,[2] nullo modo probatur, nec ex superhumerali summi sacerdotis V. T. aut ex pallio S. Petri.[3]

VI. VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI.

183. Ordinatio iuridica missionum. *a)* Divisio territorialis Ecclesiae in dioeceses, quas veri episcopi iure et nomine proprio moderantur, non complete inducta est. Sunt enim regiones in quibus, licet fideles adsint, ordinaria hierarchia nondum constitui potuit; hae *terrae missionis* subsunt proinde directe universali iurisdictioni R. Pontificis, qui eas per *vicarios* regit, singulis tamen singulas partes committens (can. 293 § 1). Unde inchoata circumscriptio et organizatio etiam ibi habetur. Et quidem si territorium est quod Ecclesia

[1] Ab episcopo Ostiensi in sola consecratione R. Pontificis.

[2] Hoc narratur in spuria *Donatione Constantini* saec. VIII (*Galante* n. 22).

[3] *Duchesne*, Origines, 391 ss.; *Grisar*, Das Römische Pallium u. die ältesten liturg. Schärpen in Festschrift zum elfhundertjähr. Iubil. des d. Camposanto in Rom, Freiburg 1897, 83 ss.

demum incipit acquirere, in quo pauci catholici et missionarii sunt, erigitur in *Praefecturam*, cui praeest *Praefectus apostolicus*, plerumque ordine episcopali carens. Si res proficit et solidatur instituitur *Vicariatus* cuius moderator est episcopus titularis, *Vicarius apostolicus* nuncupatus. Tum vicariatus tum praefectura, ubi commode fieri possit, in minores partes sunt dividendi, cuique assignato suo peculiari rectore et populo, ad instar paroeciarum, *quasi-paroeciae* ideo dictae (can. 216 §§ 2-3).[1] Distributio per provincias non existit nec metropolitica auctoritas, tamen fieri potest ut plures vicarii et praefecti in concilium plenarium vel regionale vel provinciale coadunentur, ex mandato S. Sedis, quo in casu normae communes, congrua congruis referendo, servandae sunt; acta vero, antequam promulgentur, a C. P. F. recognoscenda (can. 304 § 2).

b) Iurisdictio vicarii et praefecti est *ordinaria* sed *vicaria* (can. 198 § 1). Inter eos graduale est non essentiale discrimen. *Principium* statuitur (can. 294 § 1) utrumque *iisdem iuribus* et *facultatibus* in suo territorio gaudere quae in propriis dioecesibus competunt *episcopis residentialibus*, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit.[2] Insuper, ex natura rei, amplis facultatibus *delegatis* praediti esse solent. Sed, cum proprie episcopus loci R. Pontifex sit, nec eorum nomina in canone recitantur, nec thronum et baldachinum erigere, nec cappam magnam induere, nec cruce ante se delata incedere possunt.[3] Universim, qui charactere episcopali aucti sunt *privilegia honorifica* episcoporum titularium, qui eo carent insignia et privilegia protonotariorum participantium obtinent, durante munere et in proprio territorio (can. 308). Tamen etiam hi possunt, in iisdem adiunctis, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et minores ordines conferre (can. 294 § 2).

---

[1] Normas ad hanc divisionem perficiendam tradidit C. P. F. instr. 25 iul. 1920 (A. XII, 331). Etiam pedetentim procedi potest. Item optatur ut districtus constituantur, qui vicariatus foraneos adumbrent.

[2] Et universim evidens est studium C. assimilandi, quantum fieri potest, vicariatus et praefecturas dioecesibus iuris communis.

[3] C. R. 8 mart. 1919 (A. XI, 145), cf. ME XXXI, 141.

c) Vicarius et praefectus, ubi primum in territorium suum advenerit, nisi habeat coadiutorem cum futura successione, deputare debet sacerdotem idoneum in *provicarium* vel *propraefectum*. Hoc uti *potest* in regimine, ei potestatem delegans, secus nullam per se habet,[1] si autem titularis defecerit vel ab iurisdictione exercenda impediatur (ad normam can. 429 § 1),[2] statim ipso iure *succedit* in *omnes* illius ordinarias et delegatas facultates,[3] et totum regimen assumere ac exercere debet, donec a S. Sede, quae quamprimum certior facienda est (can. 310 § 1), aliter fuerit provisum. Et pari modo hic tenetur sibi substitutum designare, quod si in alterutro casu omissum sit, succedit, ex dispositione legis, missionarius qui primus in illo territorio litteras suae destinationis exhibuit, et inter plures in eadem conditione senior sacerdotio (can. 309).

d) Vicarius et praefectus apostolicus ab una S. Sede *nominantur*, ille per breve, hic per litteras C. P. F. Possessionem capiunt dum praesentant documentum nominationis ei qui territorium ad interim regit (can. 293 § 2). A munere *cessant* eodem modo ac ceteri Ordinarii, at sunt ad nutum amovibiles. Nemo autem qui vicariatui vel praefecturae, etiam ad certum tempus, praepositus est locum deserere potest, antequam successor canonicam officii possessionem coeperit, et interea ei omnes facultates prorogantur (can. 311).

Olim qui dilatandae fidei christianae opus suscipiebant aut iam episcopi erant aut mox episcopi consecrabantur, nova territoria autem statim in *dioeceses* erigebantur aut dioecesibus finitimis coniungebatur et ordinaria hierarchia episcopalis et metropolitica constituebatur.[4] Solummodo in insulis britanicis episcopatibus praecesserunt coenobia. Cum saec. XIII novi ordines S. Francisci et S. Dominici missionibus inter infideles magno ardore et labore se dedissent, in regionibus conversis primum ordinationem sui ordinis et divisionem in provincias, custodias et vicarias regulares retinuerunt (pariter serius S. J.), cum autem aucto numero fidelium religiosi necessitatibus curae animarum non sufficerent dioeceses instituebantur.

---

[1] Ita quidem iure communi (can. 309 § 2). Sed ex speciali concessione Ben. XV (C. P. F. 8 dec. 1919, A. XII, 120) permissum est vic. et praef. apost. ut eligerent *vicarium delegatum*, qui vel is de quo diximus vel alius esse potest, et *practice* omnibus facultatibus praeditus est ac vicarius generalis episcopi (can. 368 § 1 n. 2).

[2] Vide infra n. 216.

[3] Nisi commissae fuerint ob industriam personae, quod non praesumitur.

[4] Augustinus, Bonifacius, Methodius etc.

Demum postquam a. 1622 C. Prop. Fidei condita est, universa activitas missionaria ad unitatem redacta est, territoria iuris communis a territoriis missionum iuridice distincta, in his ubique vicariatus et praefecturae erectae. At notandum est *mandata* pontificia ad evangelium infidelibus praedicandum iam inde a saec. VI occurrere, et etiam *principium* «legationem in gentes» nonnisi a Sede Apostolica concedi posse, iam summo medio aevo firmatum fuisse.[1]

184. Iura et officia. Ex munere vicarii et praefecti apostolici quaenam sint eorum iura et obligationes deducitur.

a) Ius ipsis est et officium gubernandi missionem tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate *legislativa, iudiciali* et *coercitiva.* Quare eis subduntur omnes missionarii, a quibus exigere possunt et debent ut exhibeant suas patentes et deputationis litteras, denegata recusantibus licentia ministerium exercendi (can. 295 § 1). His munus, locum, rationem agendi determinant; dissidia omnia, in iis quae ad curam animarum pertinent, aut componunt aut dirimunt, nec ab eorum decreto recursus datur nisi in devolutivo (can. 298). Cum plerique missionarii a Sede Apostolica mandatum habeant *(missionarii apostolici),* hi debent quidem ab eis *licentiam* sacri ministerii exercendi petere, at haec denegari nequit, nisi singulis et ob gravem causam (can. 295 § 2). Ex eadem ratione, iniussu S. Sedis, vicariis et praefectis integrum non est *aut* illis permittere *discessum* perpetuum a territorio vel transitum ad aliud, *aut* eosdem quoquo modo *expellere.* Possunt autem, in casu publici scandali, audito suo consilio et praemonito, si agatur de religiosis, quantum fieri potest, superiore, missionarium statim *amovere,* facta tamen illico certiore Apostolica Sede (can. 307).

In administratione missionis cum capitulum non habeant, opus est ut constituant *consilium* ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, in gravioribus et difficilioribus negotiis audiant (can. 302). *Synodi* autem, quam praefecti convocare nequeunt, vicarii possunt sed certo tempore non debent, locum tenet *congregatio* ad quam semel vel pluries in anno convocandi sunt saltem praecipui missionarii ex utroque clero, ut ex singulorum experientia et consilio deducatur quae sint ordinanda perfectius (can. 303).

---

[1] *Hinschius,* II, 349 ss.

b) Obligationes fere eaedem sunt ac episcoporum, attenta diversitate locorum et conditionum. Vicarii tenentur ad *visitationem liminum,* personaliter vel si gravi impedimento detenti per procuratorem etiam in Urbe residentem (can. 299), non item praefecti, utrique autem ad *relationem super statu ecclesiae* quolibet quinquennio exhibendam (C. P. F.) et quotannis ad mittendam relationem de progressu et praecipuis vicissitudinibus missionis (can. 300). Tenentur *residere* in territorio et regionem sibi concreditam *canonice visitare,*[1] quandocumque sit opus (can. 301); *applicare* debent pro populo undecim sollemnioribus diebus festis (can. 306);[2] *archivum* erigere tum ordinarium tum secretum, in quo instrumenta et scripturas diligenter custodiant (can. 304 § 1). Peculiariter eis imponitur studiosissima cura ut ex christianis *indigenis* probati *clerici* rite *instituantur* ac sacerdotio initientur (can. 305).

185. Relationes cum religiosis. Cum plurimi missionarii *religiosi* sint, eorum status iuridicus relate ad praepositum missionis definiendus est. Qua in re *principium generale* statuitur: quidquid religiosos qua tales aut religiosam disciplinam attingit pertinet ad eorum superiores, quidquid eos qua missionarios respicit pertinet ad Praelatum; orto autem *conflictu* inter mandatum vicarii vel praefecti et mandatum superioris religiosi, *prius praevalet,* salvo iure recursus ad S. Sedem in devolutivo (can. 296). Quapropter etiam religiosi omnes debent vicario vel praefecto exhibere suas litteras patentes et ab eo licentiam ministerii exercendi obtinere (can. 295), eiusdem *iurisdictioni, visitationi* et *correctioni* subiiciuntur in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes et pias voluntates in favorem missionis (can. 296 § 1). Itemque *controversias* quae de iis sive inter religiosos sive etiam inter religiones aut cum tertiis contingant, dirimere potest (can. 298). Denique, deficientibus e clero

---

[1] Utraque obligatio est episcopali aequivalens, sed non prorsus eadem, unde nec *prima* videtur residentia dicenda ad affectus *poenales,* nec alteri sunt certa tempora praefinita, sed conscientiae vicarii vel praefecti remissa. cf. *Vidal,* Il nuovo Codice in *Civ. Catt.* 1917, 3, 440 s.

[2] Nimirum omnibus festis qui de praecepto sunt praeter dies dominicos, excepta Circumcisione et additis Paschate et Pentecoste.

saeculari sacerdotibus, *cogere* valet religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, *ad curam animarum* exercendam, audito eorum superiore (can. 297).

Quibus omnibus religiosi *exceptiones* opponere nequeunt, nisi statutis particularibus, a Sede Apostolica approbatis, adiuventur.

VII. EPISCOPI.

186. Episcopatus. Ex *divina* institutione, praeter primatum, est in Ecclesia *episcopatus* (can. 108 § 3).[1] Episcopi enim sunt successores apostolorum,[2] quibus Christus contulit ordinariam potestatem regendi Ecclesiam, sub auctoritate Petri (can. 329 § 1), ideo *officium* episcopale in genere, iure divino innixum, nec a S. Pontifice extingui aut suppleri potest, nec in iis quae ad eius essentiam pertinent immutari aut limitari. Nihil prohibet autem quominus, incolumi servata substantia officii, quae in eo consistit ut episcopi sint veri *principes*, ordinaria et non mere delegata iurisdictione *fori externi* et *fori interni* praediti, peculiaris gregis pastores, a presbyteris distincti eisque superiores, supremus princeps illud augeat vel minuat aut etiam eidem addat vel subtrahat *delegatas* facultates.

Singuli episcopatus vero, eorum territorium et sedes, *iuris* mere *humani* sunt. Quare eriguntur, circumscribuntur, innovantur, supprimuntur a legitima auctoritate. Quae, ex natura rei, nonnisi Sedes Apostolica esse potest (can. 215 § 1).

1. Episcopatum monarchicum ex *ordinatione divina*, non autem ex usurpatione aut ex graduali evolutione derivare, etiam validis argumentis *historicis* probatur.[3] Ignatii M. († 107 ?) epistolae,[4] ineunte saec. II, illum existentem ostendunt, a Christo institutum aperte affirmant, nemo vero indicare potest momentum et locum, quo humano facto incoeperit, nec huius revolutionis ac reclamationum, quas ipsa afferre debuit, ve-

[1] *Conc. Trid.* sess. XXIII, c. 4 et can. 6-8 (*Denz.* 960, 966-68); *Conc. Vat.* sess. IV, c. 3. (*Denz.* 1828).

[2] In ordinaria *pastorum* auctoritate, non autem in extraordinaria potestate *apostolatus*. Haec enim universalis erat et amplissima, quamvis in unione cum Petro exercenda, sed natura sua transitoria. cf. *Devoti*, Ius Can. I, c. 4 et c. 12; *Bargilliat*, I, 532; *Wernz*, I, 91.

[3] De hac gravi quaestione late agunt historici. cf. *Hergenröther-Kirsch*, Storia della Chiesa, trad. it. Rosa, I (Firenze 1908) 129-135; *Funk*, 66 s.; *A. Michiels*, L' origine de l' épiscopat, Louvain 1900; *Eiusdem*, Évêques in *Dict. Apol.* I, 1750 ss.; *Ermoni*, Les origines de l' épiscopat, Paris 1911; *Batiffol*, Église naissante 157 ss., *Sägmüller*, 35 ss.

[4] De authentia litterarum, quae potissimum ex hoc capite vehementer impugnata est, hodie certissime constat. Eam contra novissimas obiectiones egregie defendit *Rackl*, Die Christologie des hl. Ignatius v. Antiochien, Freiburg 1914, 11-86.

stigia invenire. Sed vel *primo saeculo* et ab Ecclesiae incunabulis, singularis episcopi regiminis plura indicia habentur. Unde ieiunis hypothesibus et praeiudicatis opinionibus accensenda sunt quae de primitiva constitutione ecclesiarum, in quibus nullum fuisset discrimen inter presbyteros et episcopos,[1] sed *collegialiter* a senioribus potestas esset exercita, antiquiores et moderni heterodoxi docuerunt.[2] At fatendum est initio nomina nondum fuisse propria et distincta,[3] presbyterium non exiguas partes in gubernatione habuisse, unam vel alteram forte extitisse ecclesiam in qua soli presbyteri,[4] alias in quibus hi episcopali *ordine* aucti essent.

2. *Erectio novi episcopatus (παροικία),* post aetatem apostolicam et subapostolicam, res fuit, praesertim in Oriente, *concilii provincialis*, audito episcopo cui territorium hactenus subiectum erat. In *Occidente* multae sedes episcopales, apud novos populos, erectae sunt a *regibus,* aliae directe a R. Pontificibus, qui missionarios ad gentes barbaras iampridem miserunt (in Angliam, Germaniam etc.). Sed tum principes Carolingii tum eorum successores non sine consilio S. Sedis egerunt. Inde a saec. XI autem regula statuta est hanç *unice* competentem esse ad episcopatus erigendos vel innovandos,[5] quod ius etiam in Decretalibus confirmatur. Non ideo tamen in huiusmodi negotiis exclusa est *practice* participatio auctoritatis civilis, quin imo haec fere semper locum habuit et saepe in concordatis sancita est, sed nonnisi ex concessione Ecclesiae, non ex proprio iure.[6]

187. Episcopus definiri potest «Praelatus, *plenitudine sacerdotii* auctus, cui vi officii potestas competit *utriusque* fori ad regendam particularem *dioecesim*».[7] Quae defi-

---

[1] Haec fuit sententia *Hieronymi,* qui semper ab adversariis allegatur: «Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae,* communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur». Comm in ep. ad Tit. I, 5 *(Kirch,* 631).

[2] cf. S. O. decr. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, n. 50: «Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam» (*Denz.* 2050).

[3] *Ἐπίσκοπος* etymologice est inspector, speculator. Evolutionem vocis episcopi v. apud *Bruders,* o. c. 386 ss. Ineunte saec. II iam suum terminum attingit et uni praeposito ecclesiae reservatur. De theoria his ultimis annis a viris protestanticis invecta, secundum quam primo saeculo episcopi fuissent officiales administrationi temporali, presbyteri regimini spirituali ecclesiarum praepositi, cf. *Harnack,* Entst. 40, 67; *Michiels,* Évêq. 1752 s.

[4] Imo viventibus Apostolis eorumque discipulis hanc fuisse conditionem in *plerisque* ecclesiis, certum videtur. *Michiels,* Évêq. 1753 ss. 1761 ss.

[5] Dictat. Papae n. 7 (*Galante,* 49); c. 1, d. 22 (Petr. Dam.); *Urb. II* ad Rainoldum Remen. (1092): «Solius etenim Apostolici est episcopatus coniungere, coniunctos disiungere aut etiam novos constituere».

[6] *Pius IX,* Syll. 51 *(Denz.* 1751).

[7] *Dioecesis* erat nomen magnarum regionum in quas dividebantur *Praefecturae* imperii (inde a Dioclet.). A civili in ecclesiasticum usum translatum, in Oriente significavit exarchiam vel patriarchatum, dum territorium episcopi *paroecia* diceretur. In Occidente autem mox in moderno sensu occurrit, at adhuc in Decretalibus utraque appellatio promiscue adhibetur.

nitio respicit hierarchiam *iurisdictionis* et profecto non convenit iis qui ordine tantum episcopi sunt. Distinguuntur enim:

a) episcopi *residentiales* qui regimen actu exercent et *titulares* qui solam consecrationem sine iurisdictione habent, cum ecclesiae ad quarum titulum ordinantur sint extinctae;

b) inter titulares assumuntur etiam *coadiutores* et *auxiliares*, qui residentiali ad sua munera explenda in subsidium dantur, *cum* vel *sine* iure successionis;

c) residentiales autem aut *suffraganei* sunt aut *exempti*, illi a metropolita, hi immediate a S. Sede pendent;

d) denique aliquod discrimen est quoque inter *saeculares* et *regulares*, quatenus ii non perfecte a votis et religione solvuntur, sed votorum obligationibus cum dignitate et officio compatibilibus ligantur et, si abdicaverint, ad suos redire tenentur (can. 627-629).

Antiqua et perpetua norma est ut in *una* dioecesi *unus* sit episcopus[1] et ut ad titulum certae ecclesiae unusquisque consecretur. Attamen vel a primis saeculis admissae sunt *exceptiones*. Episcopo infirmo concedebatur auxiliarius, in magnis dioecesibus praeter episcopum principalem in urbe residentem erant episcopi rurales, *chorepiscopi*, qui sub eius auctoritate ministerium exercebant. Chorepiscopi primum occurrunt in *Oriente*,[2] ubi iam saec. IV canones eorum potestatem propius determinant;[3] eos charactere episcopali fuisse praeditos indubium videtur, utrum etiam iurisdictionem haberent et distincta territoria non adeo constat. Probabile est varias fuisse in variis regionibus eorum conditiones. Cum autem episcopis ingrati essent, paullatim cessaverunt. In *Occidente* demum saec. VIII, praesertim in regno Francorum, inveniuntur. Hic certe urbanis episcopis plene subiecti erant ab eisque commissa munera explebant, sede vacante dioecesis administrationem curabant. Iam saec. IX autem vehemens contra chorepiscopos orta est oppositio, quae tum in decretalibus pseudoisidorianis tum in synodis aperte profertur.[3] Unde factum est ut saeculo sequenti hoc officium evanesceret.[4]

Porro fuerunt quoque *episcopi monasteriorum*, tum ante tum post institutam ordinariam hierarchiam, plerumque solas ordinis functiones exercentes sub iurisdictione abbatis. Saec. IX aut utraque potestas in abbate unita est (hinc origo *praelatorum nullius*) aut ab usu recesserunt.[5]

---

[1] *Conc. Nicaen.* c. 8; *Greg. M.* ep. ad Rustic. (= c. 41, C. 7, q. 1); *conc. Cabilon.* (ca. 650), c. 4 (*Galante* 234); c. 14, X. 1, 31 (Innoc. III).

[2] *Conc. Ancyr.* 314, c. 13; *conc. Neocaes.* 314-325, c. 14; *conc. Antioch.* 341, c. 10; *conc. Sardic.* 343, c. 6; *conc. Laodicen.* 343-381, c. 57.

[3] *Syn. Parisien*, 829, c. 27; *syn. Melden.* 845, c. 44; *syn. Meten.* 888, c. 8.

[4] *Hinschius*, II, 161 ss. In Hibernia usque ad saec. XIII duraverunt.

[5] cf. *Scherer*, I, 554 s.

Titulares. Iam inde a saec. VIII episcopi qui ab infidelibus sede eiecti in aliorum dioeceses confugiebant permittebantur pontificalia exercere et saepe ab Ordinariis in auxilium assumebantur. Interdum, iis defunctis, successores ad titulum eiusdem ecclesiae ordinabantur. Qui mos constans factus est postquam multi episcopi latini, in Oriente a crucigeris instituti, successive a Muhamedanis depulsi sunt. Ideo olim vocabantur episcopi *in partibus infidelium,* nunc *titulares.*[1] Huiusmodi sedes habentur archiepicop. 97, episcop. 491, ad eas promoventur nuntii, internuntii, episcopi resignantes, delegati et vicarii apostolici, coadiutores et nonnulli praelati Curiae Romanae.

Episcopi *titulares,* ordine aucti, iurisdictione carent nec ullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, licet ibi catholici adsint. Proinde liberi sunt etiam ab obligationicus pastoralibus, et tantummodo admonentur ut, ex caritate, aliquando missae sacrificium pro sua dioecesi applicent (can. 348). Ius habent deferendi *insignia episcopalia*, gaudent pluribus privilegiis (cf. infra n. 195 c, ea enim communia habent cum residentialibus) ab Ordinario loci vero invitati possunt *pontificalia peragere* (can. 349 § 1).

188. Institutio. *a)* Episcopi libere *nominantur* a R. Pontifice (can. 329 § 2). Quod ius, in ipsa constitutione Eccesiae fundatum, semper exercetur saltem in institutione canonica concedenda, quae Sedi Apostolicae omnino et exclusive reservatur (can. 332 § 1). *Designatio personae* autem alicubi fit per electionem vel postulationem capituli cathedralis, alibi per nominationem principis aut reipublicae moderatoris. Electio absolvenda est secundum normas iuris communis, attamen ut valida sit requiritur saltem pars *absolute* maior suffragiorum[2] aut etiam maior numerus, si id iure particulari statuatur (can. 321, 329 § 3); nominatio fieri debet ad terminos et intra limites privilegii vel pacti conventi. In multis regionibus nunc inducta est *commendatio,* qua episcopi comprovinciales proponunt S. Sedi candidatos idoneos futuris provisionibus, hic actus autem nullam vim *iuridicam* habet et nullo modo limitat liberam Pontificis collationem.

b) Quomodocumque provisio fiat, promovendus debet esse *idoneus.* Iure communi hae *qualitates* exiguntur: 1. plena legitimitas natalium, seclusa legitimatione per subsequens; 2. trigesimus aetatis annus completus; 3. sacerdotium saltem a quinquennio susceptum; 4. vitae honestas, pietas, zelus,

[1] C. P. F. 27 febr. 1882. (Coll. 1565).

[2] Exceptio a norma can. 101 § 1 et can. 174, nam in aliis electionibus sufficit etiam pars relative maior in tertio scrutinio.

prudentia ceteraeque dotes ad tantum munus exercendum necessariae; 5. sufficiens doctrina, quae aut laurea vel licentia in theologia aut iure canonico in universitate adepta, aut alio apto modo comprobetur (can. 331 §§ 1-2).

Iudicium de idoneitate pertinet unice S. Sedem, quae peculiares normas ad eam investigandam, sive per processum informativum sive etiam per examen, determinavit (can. 330).[1]

c) Episcopi *praeconizantur,* uti dicitur, in consistorio. Institutio eis datur per litteras pontificias (bullam) et antequam eam recipiant debent emittere *professionem fidei* et *iuramentum fidelitatis* erga S. Sedem (can. 332 § 2). Promotus, intra tres menses, suscipere tenetur *consecrationem*[2] et inter quattuor ad suam dioecesim pergere (can. 333). Iurisdictione autem potitur demum postquam coeperit canonicam possessionem, exhibens per se vel per procuratorem litteras nominationis capitulo cathedrali, praesente secretario capituli vel cancellario Curiae, qui rem in acta referat (can. 334 § 2). Antea se in regimen vel administrationem directe vel indirecte ingerere omnino prohibetur, nisi iam sit vicarius capitularis, officialis vel oeconomus legitime renuntiatus.[3]

Primi episcopi positi sunt ab Apostolis et ab apostolicis discipulis. Eorum successores autem priscis saeculis eligebantur a *clero* et *populo,* approbantibus episcopis vicinioribus vel comprovincialibus, qui electum consecrabant. Constitutione metropolitica inducta, ad *metropolitam* pertinuit confirmatio et consecratio, praehabito assensu omnium episcoporum provinciae. Hoc ius, tum in Oriente tum in Occidente, tota antiquitate et ineunte medio aevo saltem theoretice duravit, et tantummodo in eo evolutum est quod paulatim potiores partes in electione haberent episcopi, minimam populus.[4]

At tum byzantini *imperatores* tum *reges* nationum germanicarum, statim ac christiani facti sunt, sibi influxum in nominationes episcopales vindicaverunt. Qua in re ex parte quidem consentientem habuerunt Ec-

[1] Processus *informativus* instituitur in Curia pro episcopis Italis, apud Nuntium vel Ordinarium promovendi extra Italiam. Acta expenduntur deinde in C. Cons. (*processus definitivus*) et relatio fit ad consistorium.

[2] Secus, elapso trimestri, fructus non facit suos, elapso altero trimestri omni iure cadit (can. 2398).

[3] Si agitur de episcopo electo, praesentato vel nominato ab alio quam R. P. locus est poenae can. 2394 (inhabilitas ad officium).

[4] *Didachê,* c. 15; *Clem. R.* cc. 42, 44; *Cyprianus,* ep. 55, c. 8; 59, c. 5; 67, c. 2 (*Kirch,* 276, 298); *conc. Nicaen.* 325, cc. 4 et 6; *conc. Antioch.* 341, c. 19; *conc. Carthag.* 390, c. 12; *conc. Chalced.* 451, c. 25; *Funk,* Die Bischofswahl in christl. Altertum u. in Anfang des Mittelalters in Kircheng. Abhl. u. Unters. I (Paderborn 1907) 25 ss.

clesiam, sed saepe eousque processerunt ut, canonicam libertatem penitus excludentes, ipsi quos vellent aut electorbuis imponerent aut directe nominarent. Idque maxime postquam episcopi politicam auctoritatem et feuda temporalia assecuti sunt. Cum hoc abusu vitium simoniae latissime coniunctum est. Malum summum gradum attigit saec. X-XI cum reges per baculum et anulum, spiritualis officii insignia, episcopos *investire* consueverant, adeo ut iam plane videretur ecclesiastica potestas a laicis conferri et episcopatus ad proprietatem et dominium principis pertinere.

Inde necessitas pro Ecclesia sese vindicandi in libertatem et origo dissidii de *investituris*, quod per dimidium saeculum productum et tandem pacto Wormatiensi (1122) est compositum, in quo imperator, reservatis iuribus quoad temporalia, canonicam libertatem admisit. Proximis annis ius eligendi, excluso cetero clero, in *capitulis cathedralibus* consolidatum est et in tali ambitu in Decretalibus proponitur.[1]

Sed a saec. XIV R. Pontifices coeperunt sibi provisionem dioecesium *reservare*, initio in singulis casibus deinde universim; ab exeunte medio aevo autem, per concordata vel privilegia, complures *principes* ius designandi candidatos obtinuerunt, itaque, paucis dioecesibus exceptis, fere in omnibus regionibus catholicis antiquum ius commune electionis capitularis obsolevit.

Moderno iure regula est libera collatio R. Pontificis. At in *Bavaria, Hispania, Lusitania* (?) et in plerisque rebuspublicis Americae centralis et meridionalis, ex pactis conventis, promovendi exhibentur a moderatoribus civilibus.[2] *Electio* locum habet in Helvetia, Borussia, Hannover, in provinciis Rheni superioris et in dioecesibus Olomucensi et Salisburgensi. In Statibus foederatis Am. Sept. in dictione Canadensi, Terranova, Mexico, Brasilia, Scotia, Polonia episcopi cuiusque provinciae, secundum modum accurate praescriptum, designant quolibet triennio C. Cons. sacerdotes, quos dignos censent ut ad vacantes ecclesias libere a S. Sede nominentur.[3] Similis forma servatur etiam in Belgio, Hollandia, Anglia et Gallia.

189. Potestas. Duplex distinguenda: *ordinis* et *iurisdictionis*. Illa in *plenitudine sacerdotii* consistit, ad certa sacramenta et sacramentalia conficienda, sive iure divino sive iure ecclesiastico, necessaria est, et cum in consecratione conferatur omnibus charactere episcopali praeditis est *communis* semperque valide adhibetur, quamvis licitus usus a iurisdictione pendeat. Functiones sacrae episcopi propriae, in quibus

---

[1] Evolutio gradatim evenit et demum saec. XIII exeunte absoluta est. Gratianus ad c. 35 d. 63 canonicis ius exclusivum adhuc abiudicat. Sed cum principium inductum esset electionem episcopi eodem modo ac electionem Pontificis faciendam esse, reservata hac solis Cardinalibus ab Alex. III 1179, idem ius capitulis agnitum est. *Sägmüller*, Die Papstwahl durch das Kardinalkolleg etc. in Tüb. Quartalschr. XCVII (1915) 321 ss.

[2] Concordatum austr. quod in hoc puncto servatum est usque ad imperii interitum, hoc secuto desiisse censendum est.

[3] C. Cons. 25 iul. 1916 (A. VIII, 400); 19 mart. 1919 (A. XI, 124); 20 nov. 1920 (A. XIII, 13); 19 mart. 1921 (A. XIII, 222); 30 apr. 1921 (A. XIII, 379); 20 aug. 1921 (A. XIII, 430).

ex legibus liturgicis utendum est baculo et mitria, dicuntur *pontificalia*. Iamvero haec exercere potest episcopus in tota sua dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, e contra extra dioecesim nonnisi cum expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu superioris religiosi. Et si episcopus territorii *expresse* id concedat, licet ei uti etiam throno et baldachino (can. 337).[1]

Episcopi residentiales habent insuper *iurisdictionem*, ex qua sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis (can. 334 § 1) easque gubernant tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciali et coercitiva. Quae tamen non ea est, ut episcopus recte dicatur omnia agere valere in sua dioecesi quae R. Pontifex in ecclesia universali, nisi aliquid sit reservatum,[2] sed ea est ut potius sub iure communi, a quo derogare aut dispensare nequit,[3] contineatur et secundum canones sit exercenda (can. 335 § 1).

a) Potestas *legislativa* spectat ad leges vel praecepta ferenda aut *secundum* ius, normas generales propius determinando, necessitatibus loci aptando, sanctione poenali roborando, aut *praeter ius* in iis quae legislationi particulari remittuntur, minime vero in iis quae explicite vel implicite iuri pontificio reservantur,[4] aut iure communi expresse sunt permissa.[5] Leges episcopales cuiusque generis esse possunt, etiam inhabilitantes vel irritantes,[6] at natura sua particulares sunt nec urgent extra territorium. Nihil refert autem utrum in synodo an extra synodum latae sint; tantummodo in *dubio* an de vera lege agatur aut de praecepto *illa* praesumitur si in synodo, *hoc* si extra synodum datum

---

[1] In cathedrali episcopus potest concedere alteri episcopo (dummodo non sit vicarius generalis, auxiliaris, coadiutor, dignitas aut canonicus in ipsa dioecesi) usum *proprii* throni et baldachini, unde necesse non est alterum erigere a cornu epistolae. C. R. 12 iun. 1899 n. 4023 et 26 nov. 1919 (A. XII, 177).

[2] Uti volebant Gallicani. cf. syn. Pistor. prop. 6, 7, 8 (*Denz.* 1506-1508).

[3] *Per se.* Facultates dispensandi a iure episcopis concessae suis locis commemorantur. cf. supra n. 87.

[4] Ex. gr. dies festos instituere, dies ieiunii et abstinentiae, impedimenta matrimonialia, irregularitates etc.

[5] cf. C. C. 19 febr. 1921 (A. XIII, 228).

[6] Quod negabant quidam (cf. *Scherer*, I, 147), sed nec iure antiquo probatum erat *Wernz*, I, 93) nec eo minus iure novo sustineri potest, cum C. nullam limitationem contineat. At cavendum est episcopis ne nimis severas leges statuant aut immoderate poenis latae sententiae utantur. *Ben. XIV*, de syn. l. X, c. 2 et passim.

constet.[1] Leges, in quibus condendis sane conditiones omnibus legibus positivis communes attendi oportet, *statim* a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; *modus* autem promulgationis ab ipsomet episcopo determinatur (can. 335 § 2).[2] In suis, in ordinationibus decessorum, concilii provincialis et plenarii etiam *dispensare* potest.

b) Iudiciali potestate episcopus *privative* dirimit in *prima* instantia omnes causas quae, sive ratione materiae sive ratione personarum, ad forum ecclesiasticum pertinent, nisi aliqua eius competentiae sit expresse subducta (can. 1572 § 1). Cum haec iurisdictio sit contentiosa, in territorio tantum exerceri potest, at etiam exempti in pluribus ei subsunt. Habet praeterea episcopus iurisdictionem *fori interni* in tota dioecesi, quae localis simul est et personalis, ideo pro omnibus in territorio, pro subditis etiam extra valet.

c) Potestate *coercitiva* episcopus utitur sive poenas iuris communis applicando sive etiam proprias statuendo, tum latae tum ferendae sententiae, legi aut praecepto adnexas (can. 2220-2222). Tantummodo a sanctionibus nimis rigidis aut a moderno iure alienis abstinere debet.[3]

190. Magisterium et administratio. *a)* Ad potestatem iurisdictionis reducitur etiam munus *auctoritative docendi*, quod competit episcopo. Episcopi enim, licet singuli infallibilitate non polleant, «fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate R. Pontificis, veri doctores seu magistri sunt» (can. 1326). Speciale insuper est eorum officium curare ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur (can. 336 § 2): unde ius invigilandi et dirigendi universam *institutionem* et *educationem christianam* omnium subditorum, sed praecipue puerorum et rudium, in ecclesiis et in scholis, proscribendi errores, libros qui religionis intersint censurae

---

[1] Etiam antiqua controversia de vi statuti episcopalis extra synodum editi generalibus verbis C. uti soluta habenda est. *Reiffenstuel*, l. I, tit. 2, n. 70 ss.; *Ben. XIV*, o. c. l. XIII, c. 5, n. 1; *D'Annibale*, I, 199. Nec amplius sustinenda videtur alia limitatio, quae ab omnibus fere canonistis ponebatur, necessarium scilicet esse vel consensum vel consilium capituli.

[2] Hodie episcopi habere solent sua *commentaria officialia*, in quibus acta publicantur.

[3] Qua in re prae oculis habendum est monitum Conc. Trid. in can. 2214 § 2 relatum, additis aliis verbis, quae textum Trident. concludunt: «cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium *levia* primum adhibere fomenta, post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad *acriora* et *graviora* remedia descendere; sin autem nec ea quidem proficiant illis submovendis, ceteras saltem oves a *contagionis* periculo liberare» (sess. XIII, c. 1 de ref.).

submittendi, pravos quosque interdicendi. Quod ius est sane etiam gravissima *obligatio*, quam tum personaliter tum per alios idoneos viros explere debent.[1]

b) Item episcopus supremam habet in dioecesi potestatem *administrativam* seu executivam (can. 336 §§ 1 et 2). Ex qua observantiam canonum urget, advigilat ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, cultum divinum moderatur et curat ut diligenter liturgicae leges custodiantur, officia et beneficia erigit et confert, inferiores magistratus in muneribus adimplendis inspicit et dirigit, negligentes corripit, clericos assumit vel dimittit, administrationem bonorum ecclesiasticorum ordinat et gerit, mandata et rescripta pontificia exequitur, omnia quae ad profectum animarum necessaria sunt vel utilia fovet et promovet.[2]

191. Obligationes. — I. Residentia. Episcopi munus complures secumfert obligationes, quarum alias supra innuimus, utpote cum iuribus intime connexas, alias modo recensemus. Prima est ut in dioecesi fixam et stabilem sedem habeat, seu *resideat.*

a) Residentia in iure dicitur «assidua commoratio in loco officii, muneris obeundi causa». Duo igitur exigit: commorationem et operam personaliter praestitam. Si utrumque fiat *formalis* (activa) vocatur, si sola habeatur praesentia, sed otiosa, *materialis* (passiva). Mere iuridica est residentia *ficta* seu *praesumpta*, qua re vera absens interdum, ex iusta causa, ut praesens ad effectus canonicos consideratur.

Residentiam formalem leges Ecclesiae intendere palam est. Unde suae obligationi non facit satis magistratus qui desidiosus in loco moras trahit, quamvis forte poenas effugiat.[3] Quinam autem et quo modo singuli eam servare teneantur canones definiunt.[4] Sunt tamen iustae quaedam *causae*, quae ad tempus abesse permittunt, hae communiter ad quattuor reducuntur: christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Quae *graves* censentur, adeo ut excusent a personali residentia ultra illud

---

[1] can. 1327, 1336, 1381, 1382, 1385 § 2, 1395 § 1.
[2] can. 112 ss. 152, 919, 1259 § 1, 1261, 1265, 1279 § 3, 1414 § 2, 1478, 1519 ss. etc.
[3] De poenis in non residentes vide can. 188 n. 8 et 2381; *Chelodi*, Ius poen. 98.
[4] can. 238, 301, 315, 354, 420-421, 440, 448, 465, 471, 476.

tempus, quod vacationis gratia a iure conceditur. At non sunt arbitrio aestimandae, sed, dummodo tempus suppetat, antea a superiore *probandae.*

b) Episcopi, etiamsi coadiutorem habeant, lege personalis residentiae tenentur, ordinarie intra fines dioecesis, tempore autem adventus et quadragesimae, diebus Nativitatis, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi prope ecclesiam cathedralem (can. 338 §§ 1 et 3). Ipso iure et aequa de causa *vacationibus* ad summum per tres menses, continuos vel intermissos, quotannis gaudent; insuper ob unam ex gravibus causis canonice receptis ulterius abesse possunt: videlicet ut sacra limina visitent,[1] ut conciliis intersint, ut civile officium suis ecclesiis legitime adiunctum obeant (v. c. munus senatoris).[2] Hae tres universim et antecedenter a iure agnoscuntur, aliae contingentes a C. Cons. sunt probandae. *Cavere* tamen debent ne ex ipsorum absentia dioecesis quidquam *detrimenti* capiat, et ne *aut* ordinarias vacationes duorum annorum simul uniant, *aut* cum extraordinariis occasione promotionis (4 mens. can. 333), concilii vel itineris ad limina cumulent (can. 338 § 2). Episcopum ultra sex menses illegitime absentem metropolita, metropolitam antiquior suffraganeus Sedi Apostolicae denuntiare debet (c. c. § 4),

Residentia, quam ex natura rei quodlibet officium personaliter obeundum postulat, antiquitus vel ex regula ordinandi clericos ad servitium certae ecclesiae imponebatur. At iampridem multi fuerunt qui eam negligerent, ut iterata monita veterum synodorum et sanctiones legum imperialium ostendunt.[3] Praesertim autem medio aevo abusus deserendi greges in pastoribus frequens fuit et proinde *Alex. III* (Conc. Lat. III, 1179, c. 13 = c. 3, X. 3, 4) *universalem legem* tulit, qua omnes beneficiati ad residentiam adigebantur. Hanc tamen *consuetudo* mox ita interpretata est ut solos beneficiatos curatos et canonicos afficeret. *Conc. Trid.* (sess. VI, c. 1 et sess. XXIII, c. 1 de ref.) eam confirmavit, determinavit et poenas in transgressores decrevit.[4]

---

[1] *Urb. VIII,* const. *Sancta synodus,* 12 dec. 1634, in hunc finem concesserat episcopis qui citra montes vel mare sunt spatium *quattuor* mensium, iis qui *ultra* menses *septem.* Hodie sane, facilitate itinerum aucta, tempus absentiae remittitur conscientiae episcopi.

[2] Non vero si *personae* episcopi commissum, ut puta officium deputati.

[3] *Syn. Illib.* 300, c. 19; *Nicaen.* 325, c. 16; *Sardicen.* 343, cc. 8, 9, 11, 12; *Carthag.* 397, cc. 28, 37; *Valent.* 524, c. 5; *Arelat. II,* 443, c. 13; *Aurelian. III,* 538, c. 15; *Novell.* 67, 123.

[4] Quod ius Trid. in C. est receptum. Sublata est autem antiqua *controversia* de modo componendi decr. sess. VI et sess. XXIII (cf. *Wernz,* II, 482; *Scherer,* I, 440), per clarum textum can. 2381. Hoc vero etiam episcopos plecti, quamvis prima facie de solis inferioribus loqui videatur, ex natura rei et ex praecedenti iure indubie deducitur. v. *Vermeersch-Creusen,* I, 322.

In eodem concilio magno aestu disceptata est *quaestio,* utrum fundamentum obligationis, praecipue episcoporum, in *iure divino* an in *ecclesiastico* quaerendum sit. Quam Patres dirimere noluerunt.[1] Hodie canonistae satis communiter in ea resolvenda conveniunt. Equidem manifestum est pastorem debere cognoscere oves suas earumque curam habere. Haec obligatio, ex quasi-contractu in suscipiendo munere inito, *iure naturali* urget, at non sequitur eam personaliter adimplendam esse, si quis per alium aeque bene vel forte melius ei satisfacere possit. Sed neque ius *divinum positivum* personalem residentiam statuisse definitum est.[2] Quod tamen merito assumitur, tum ex rationabili regula quae in omnibus bene ordinatis societatibus viget (quam proinde etiam Christum in sua voluisse recte supponimus) tum ex perpetua doctrina et praxi Ecclesiae, quae antequam alicui curam animarum committat accuratissime de eius *personalibus* qualitatibus inquirit et profitetur se ad id divino praecepto teneri.

Unde constat residentiam pastorum esse *in genere* quidem iuris *divini positivi,* non tamen adeo absoluta ut, data iusta causa et aliunde salute animarum provisa, legitima auctoritas non possit *dispensare.*[3]

Quoad ceteros magistratus autem evidenter est meri iuris ecclesiastici.

192. II. Missa pro populo. Episcopi residentiales, post captam sedis possessionem, debent *statis diebus* pro populo sibi commisso *sacrificium offerre* et nulla accepta stipe *applicare* (can. 339 § 1). Obligatio est *personalis,* ideo a non impedito personaliter explenda, est etiam *realis,* unde si episcopus legitime impediatur per alium ipso die applicare tenetur et omissio, culpabilis vel inculpabilis, quamprimum ex iustitia supplenda est (c. c. §§ 4 et 6). Nullo iure autem statuitur ut celebret in cathedrali vel in dioecesi. Obligatio omnes et ubique urget, consuetudines contrarias non patitur, ob tenues reditus non cessat aut limitatur, alias quascumque exceptiones non admittit. Tamen si episcopus *duas* vel *plures* dioeceses sive aeque principaliter unitas sive in administrationem habeat, per *unam* missam satisfacit, item *una* tantum in festo Nativitatis Domini est applicanda (c. c. §§ 2 et 5).

Dies a lege statuti sunt omnes dominici et festi de praecepto, etiam suppressi. Si festum de praecepto in dominicum

---

[1] *Ben. XIV,* de syn. l. VII, c. 1, n. 1 ss.

[2] *Conc. Trid.* (sess. XXIII, c. 1 de ref.) enim solummodo edixit: «quae omnia nequaquam ab iis praestari et adimpleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed *mercenariorum more deserunt*».

[3] Alii partem iuris divini magis adhuc limitant, docentes: obligationem curam animarum gerendi per se *aut* per alium (idoneum) esse iuris divini, gerendi *personaliter* esse solius iuris ecclesiastici. cf. *Biederlack,* 98.

incidit una celebratio sufficit; si *transfertur* in choro et in foro cum obligationibus audiendi missam et abstinendi a servilibus transferenda est etiam applicatio, si transfertur liturgice tantum applicandum est die suo (c. c. § 3).[1]

Conc. Trid. (sess. XXIII, c. 1 de ref.) obligationem offerendi pro populo esse *iuris divini* declaravit (cf. ad Hebr. 5, 1). Determinatio temporis autem pertinet ad ius ecclesiasticum. At, dum quoad parochos iam antiquae extabant dispositiones, de episcopis usque ad recentiora tempora nihil erat expresse edictum. *Leo XIII,* const. *In suprema,* 10 iun. 1882, normas quibus immutatis nunc utimur[2] induxit. *Indicem* authenticum festorum abrogatorum (ex catalogo Urb. VIII) in quibus applicatio facienda est, edidit C. C. 28 dec. 1919 (A. XII, 42). Sunt: feriae II et III post Pascha et Pentec., dies Inventionis S. Crucis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., Dedicationis S. Michaelis Arch., Nativitatis S. Ioannis Bapt., dies SS. Apostolorum Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, dies S. Stephani Protom., SS. Innocentium, S. Laurentii Martyr., S. Silvestri Papae, S. Annae matris B. M. V., S. Patroni Regni, S. Patroni loci.

193. III. Visitatio liminum. Uno hoc nomine plerumque tres distinctae obligationes comprehenduntur, quae communi historica origine connexae sunt: personalis accessus ad sepulcra *(«limina»)* Apostolorum Petri et Pauli veneranda, actus reverentiae et obedientiae R. Pontifici praestitus, relatio de statu propriae ecclesiae eidem exhibita.

a) Omnes episcopi tenentur singulis *quinquenniis* amplissimam et diligentem *relationem* super statu dioecesis sibi commissae latino sermone scripto conficere, eamque sua manu signatam[3] C. Cons. praesentare (can. 340 § 1). Nova *formula* nuper data centum quaestiones continet, per duodecim capita distributas, quibus praesertim in prima relatione plene respondendum est, in sequentibus omitti possunt quae immutata manserunt.[4]

Quinquennia sunt fixa atque, computata a die 1 ian. 1911, perpetua vice decurrentia: in primo quinquennii anno relationem exhibere debent episcopi Italiae et insularum adiacentium, in *altero* episcopi Hispaniae, Lusitaniae, Galliae,

[1] Et si missae celebratio prohibetur, cadit eo anno obligatio (ex. gr. si dies 25 mart. sit feria VI hebdom. maioris).

[2] C. l. 17 febr. 1918 (A. X, 170), cf. ME XXX, 114.

[3] Nulla amplius mentio fit subscriptionis alicuius *convisitatoris* dioecesis, quae hactenus requirebatur et quae nunc quoque simili ratione requiritur in relatione Vic. et Praef. apostolici (can. 300 § 1).

[4] C. Cons. 4 nov. 1918 (A. X, 487).

Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae, Hiberniae insularumque adiacentium, in *tertio* ceteri Europae, in *quarto* totius Americae, in *quinto* Africae, Asiae, Australiae, item semper cum insulis adiacentibus. Si vero annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in *primum biennium* ab inito dioecesis regimine, episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest (c. c. §§ 2 et 3).

b) Singuli episcopi *Europae* eo anno quo relationem exhibere iubentur, extra Europam autem residentes alternis quinquenniis, debent *aut* personaliter Romam petere *aut* eo coadiutorem, si quem habeant, mittere, ad duas alias obligationes explendas. Ex iustis causis impetrare possunt a C. Cons. licentiam peragendi visitationem per idoneum sacerdotem qui in eorum dioecesi resideat (can. 341 et 342). In Urbe *basilicae* S. Petri et S. Pauli *visitandae* sunt receptumque visitationis documentum in officio C. Cons. deponendum atque *adeundus* R. Pontifex, cui oralis fit relatio de conditionibus dioecesis.

Huius obligationis *origo* est a synodis provincialibus, quae secundum antiquos canones bis in anno habendae erant.[1] Cum R. Pontifex unicus metropolita esset in maxima parte Italiae, omnes episcopi huius regionis Romam convenire debebant saltem semel quotannis (ad synodum vernam vel autumnalem aut in festis quae die 22 febr. 29 iun. et die natali papae celebrantur), exceptis Siculis qui ex vetere consuetudine tres mittebant, qui cunctorum vices repraesentarent, quolibet triennio, quod ad quinquennium deinde Greg. M. produxit. Qua occasione limina Apostolorum visitabantur et status ecclesiae in synodo referebatur.

In syn. Romana, 743, c. 4 (c. 4, d 93) sancitum est principium ut *quicumque episcopus* a R. Pontifice *ordinatus* statis temporibus, quae in chirographo ab eo subscripto definiebantur, ad Urbem accedere deberet. Quae dispositio primo quidem Ravennatensem metropolitam intendebat, sed complures alios afficiebat. Cum inde a saec. IX invecta esset pro omnibus metropolitis obligatio *pallium* impetrandi, et quidem quantum fieri posset personaliter, nova haec causa fuit ut saltem semel R. Pontificem adire tenerentur. A medio saec. IX usque ad Innoc. III frequentissimae et pene annuales factae sunt *synodi generales*. Quibus quam plurimos episcopos interesse R. Pontifices volebant, ideo omni oblata occasione utebantur ut eos ad hoc officium *sacramento* obstringerent. Evolutio tempore Greg. VII eo progressa erat ut huiusmodi iusiurandum emittere deberent omnes episcopi Italiae, non exceptis Ravennatensi, Mediolanensi et Aquileiensi; ineunte saec. XII iam cuncti insuper metropolitae, cum pallium acciperent, et abbates monasteriorum exemtorum.

[1] *Conc. Nicaen.* 325, c. 5; *Conc. Chalced.* 415, c. 19.

Sed cum relatio dioecesis in synodis non apte fieri posset, circa idem tempus (inde a Leone IX) praxis paullatim inducta est ut includeretur in iuramento *distincta obligatio* adeundi R. Pontificem.[1] Nova formula in Decretalibus (c. 4, X. 1, 6; c. 4, X. 2, 24) recepta stabilis deinde mansit. [2] Postquam autem S. Sedes omnium episcoporum consecrationes sibi reservavit pronum erat ut ad *omnes episcopos* obligatio extenderetur.[3] Quam, saeculis schismatis et reformationis fere collapsam, in pristinum vigorem revocavit eamque accuratius determinavit *Sixtus V,* const. *Romanus Pontifex,* 20 dec. 1585. *Ben. XIII* formulam, secundum quam relatio conficienda esset, primus edendam curavit (1725),[4] novissime totam hanc materiam ordinavit C. Cons. decr. *A remotissima* 31 dec. 1909 (A. II, 13).

104. IV. Visitatio dioecesis. *a)* Cum sollicitudo episcopi feratur in totam dioecesim, ut eam plene cognoscat et opportunas provisiones ubi opus sit decernere queat, eam percurrere et *visitare* debet. Haec lustratio facienda est *quotannis*, debita cum diligentia at sine inutilibus moris (can. 346) ac tali modo disponenda ut saltem intra *quinquennium* in universo territorio sit absoluta (can. 343 § 1). Quod si hoc opus, sive ob magnitudinem dioecesis sive ob alias causas, vires episcopi superet, ipse tenetur curare ut a vicario generali aut ab alia idonea persona *intra legitimum tempus* perficiatur vel compleatur. Graviter officium negligens denuntiandus est a metropolita S. Sedi, quae huic etiam permittere potest ut loco episcopi visitationem peragat (can. 274 nn. 4 et 5).

b) Visitatio complectitur ea omnia quae episcopi vigilantiae demandata sunt: rectam doctrinam, morum honestatem, disciplinam cleri et populi, administrationem spiritualem et temporalem paroeciarum; eius finis est abusus et defectus deprehendere ac corrigere, obligationum observantiam, aptis remediis adhibitis, conservare vel restituere. In ea procedendum est *paterna* forma et sine strepitu iudicii, praecepta et decreta autem a visitatore edita peculiarem obtinent efficacitatem, quia *non* admittunt appellationem in *suspensivo,* sed solum recursum in devolutivo, dummodo ad obiectum

---

[1] Gratiano (ad c. 4, d. 93) obligatio adeundi synodum adhuc aequipollens est obligationi visitandi limina.

[2] cf. modernam formulam iuramenti episcoporum in *Galante,* 202.

[3] *Sägmüller,* Die visitatio liminum ss. Apostolorum bis Bonifaz VIII in Tüb. Q. - schrift LXXXII (1900) 69 ss.

[4] De iure antiquo vide *Ben. XIV,* de syn. l. XIII, c. 6.

et finem visitationis pertineant. Ceterae causae vero aptius ad aliud tempus remittuntur, at si eas dirimere velit episcopus, *ad normam iuris* procedat necesse est et patet appellatio (can. 345).[1]

c) Visitationi *obnoxiae* sunt personae, res ac loca (can. 344). Quoad *personas* distinguitur generalis et specialis. *Illa,* quae universim et indeterminate investigat, recte semper instituitur et instituenda est, *haec,* qua quaeritur de particulari delicto aut abusu certae personae, legitime adhibetur quoties rationabilis causa suspicandi adest.[2] *Res* visitandae sunt nedum liturgica obiecta et suppellectiles sed omnes quae ad Ecclesiae proprietatem, administrationem vel usum spectant (beneficia, fundationes, piae causae, legata, bona eccles.). *Loca* denique cuncta, sive sacra sive pia, dummodo haec ecclesiasticae iurisdictioni vel inspectioni subsint, licet laicorum curae commissa, non vero quae a laicis inconsulta Ecclesia ad fines mere civilis beneficentiae erecta sunt.[3]

His exceptis, habet episcopus *intentionem* in iure fundatam quod omnia pia loca visitare possit. Cui opponere non sufficit exemptionem generalem, sed probare necesse est concessam *peculiarem exemptionem* a visitatione. Hac gaudere *regulares* ex lege constat, proinde visitari possunt in casibus tantum in iure expressis (can. 344), de aliis religiosis videndum est an et quale habeant privilegium.[4]

d) Fas et episcopo *duos* clericos visitationis *comites* et *adiutores* sibi adsciscere, eosque libere eligit etiam ex capitulo cathedrali vel collegiali, nullo obstante privilegio vel consuetudine, quae, si alicubi hactenus fuerunt, penitus abrogantur (can. 343 § 2). Visitatoribus debetur *procuratio,* scilicet praestatio eorum quae necessaria sunt ad victum et habitationem, pro personarum dignitate. Attamen cavere iubentur ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, et praesertim ne sub specie procurationis pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria con-

---

[1] Idem dicendum si visitator infligeret poenas graviores, magis vindicativas quam correctivas, quia tunc fungitur officio iudicis.

[2] cf. can. 1939; *Wernz,* V, 847, proportione servata.

[3] cf. can. 1489 ss.

[4] cf. can. 512, 615-619, 631, 690 § 2, 1261 § 2, 1491 § 2. De *exemptione* vide infra nn. 198 255, 280.

suetudine. In iis vero locis vel provinciis ubi consuetudo est, ut aut nullam aut partialem tantum procurationem accipiant, nihil est innovandum (can. 346).[1]

In *Oriente* iam saec. IV episcopi aut personaliter aut per delegatos dioecesim visitabant,[2] in *Occidente* saec. VI ineunte visitatio ut «antiqua consuetudo» a synodis commendatur.[3] In imperio Carolingico episcopo visitanti sociabatur comes et cum visitatione coniunctum erat *iudicium synodale* ad crimina punienda. A medio saec. IX nedum in delicta notoria animadvertebatur, sed occulta quoque inquirebantur. In hunc finem in qualibet paroecia constituti erant *testes synodales,* iuramento obstricti ut omnia quae rescivissent denuntiarent.

Decursu temporis episcopi *archidiaconis,* quos iamdudum adiutores adhibuerant, totum hoc negotium reliquerunt, atque hi ius visitandi tamquam sui officii ordinarium sibi tribuerunt, pene absolute episcopis exclusis (saec. XI-XIII, v. infra n. 199). Ex alia parte complures personae, tum physicae tum morales, visitationi archidiaconorum, qui haud raro sua potestate abutebantur, per privilegia et exemptiones se subduxerant. Itaque factum est ut sub fine medii aevi institutum fere collapsum esset.

Conc. Trid. (sess. XXIV, c. 3 de ref.) illud restituit, ius et officium episcoporum proprium esse declaravit, facilius et expeditius redidit. Ut plurima obstacula, quae ex multiplicibus exemptionibus occurrere poterant, removerentur, visitatoribus concessit ut procedere possent «tamquam delegati Sedis Apostolicae» et «*etiam* tamquam delegati S. A.». De vi huius clausulae multum disputatum est;[4] quidquid autem importaret, hodie non est amplius practici usus, nec in novo iure continetur, quia C. in singulis casibus determinat quos et in quibus adiunctis episcopus exemptos quoque visitare possit.

195. Iura honorifica et privilegia. Ut dignitati et officio episcopi debitus honor tribuatur, peculiaria iura, insignia, privilegia, alia cunctis episcopis alia solis residentialibus reservantur.

a) In suo territorio episcopus *praecedit* omnibus, exceptis Cardinalibus, Legatis pontificiis et proprio metropolita (can. 347); extra territorium eius praecedentia determinatur normis communibus (can. 106).

---

[1] In hac re igitur immutatum manet ius antiquum, ex quo onus *incumbit* omnibus ecclesiis et beneficiis, *exceptis* oratoriis privatis, hospitalibus et piis locis operibus caritatis destinatis, monasteriis monialium et ecclesiis ac locis piis in urbe episcopali. *Semel* tantum in anno debetur, etiamsi bis fiat; et *una* in die, licet plures ecclesiae vel loca visitentur. Quod singillatim animadvertendum est si procuratio sit in certa pecunia taxata. *Wernz,* III, 225.

[2] *Conc. Laodic.* 343-381, c. 57 = c. 5, d. 80.

[3] *Syn. Tarracon.* 516, c. 8 (= c. 10, C. 10, q. 1); *syn. Tolet. IV,* 633, c. 36 et *syn. Bracar. II,* 572, c. 1 (= cc. 11 et 12, C. 10, q. 1).

[4] *Reiffenstuel,* l. I, tit. 29, nn. 36 ss.; *Wernz,* II, 695 s.; *Scherer,* I, 44; *Hinschius,* I, 177 ss.

b) Omnes episcopi, etiam titulares, ius habent deferendi *insignia episcopalia:* vestes, pileolum et biretum violacei coloris, crucem pectoralem, anulum gemmatum, mitriam, baculum pastoralem et speciales vestes sacras. Servandae sunt autem leges liturgicae,[1] quae usum crucis, anuli, baculi et vestium *pontificalium* demum post consecrationem permittunt, dum vestes *usuales* ab accepta authentica notitia peractae promotionis indui possunt (can. 349 § 1).

c) Ab hoc momento etiam *privilegia* eis competunt: 1. eligendi sibi suisque familiaribus confessarium, qui eos potest ab omnibus peccatis et censuris, etiam Ordinario loci reservatis, absolvere, exceptis censuris R. Pontifici specialissimo modo reservatis aut secreto S. O. adnexis; 2. verbum Dei ubique praedicandi cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci; 3. celebrandi aut alii permittendi ut coram se celebret unam missam in feria V maioris hebdomadae et tres in nocte Nativitatis, dummodo non teneantur celebrare in cathedrali; 4. benedicendi, ritibus praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, obiecta devotionis et scapularia imponendi, sine onere inscriptionis; 5. erigendi stationes « viae crucis » et benedicendi crucifixi icones in eumdem finem; 6. celebrandi ubique in altari portatili et permittendi ut altera missa, ipsis adstantibus, celebretur; 7. celebrandi in mari; 8. fruendi altari privilegiato personali quotidiano; 9. lucrandi in proprio sacello omnes indulgentias, cuius privilegii participant quoque familiares (can. 349 § 1, can. 239). 10. Quod sacellum (aut etiam plura) possunt erigere episcopi in omnibus suis domibus et erecta fruuntur omnibus iuribus et privilegiis, quibus oratoria semipublica gaudent, etiam episcopo absente.[2]

d) Episcopi *residentiales* autem, a capta possessione, possunt: 1. concedere indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis et bis in anno benedictionem papalem cum indulgentia plenaria impertiri;[3] 2. elevare in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino; 3. habent denique *ius utile* percipiendi reditus mensae episcopalis (can. 349 § 2).

[1] Plura dubia de hac re resoluta sunt a C. R. 26 nov. 1919 (A. XII, 177).

[2] can. 1189; *Ben. XIV,* encycl. *Magno cum animi,* 2 iun. 1751 §§ 1 ss. (*Richter,* 518) *Gasparri,* De Eucharistia, Parisiis 1897, I, 228 s.; *Many,* De locis sacris, Parisiis 1904, n. 100

[3] can. 914.

196. Coadiutores et Auxiliares. Episcopo, qui impar est omnibus muneribus explendis, dari potest alius in subsidium. In maioribus quibusdam dioecesibus id iam ex instituto fit, et coadiutor dicitur *datus sedi*, plerumque vero nonnisi in specialibus adiunctis, et dicitur *datus personae*. Hic vel *ius successionis* habet, ita ut cessante episcopo ipso facto eius locum et iurisdictionem obtineat, et proprio nomine *coadiutoris* venit, vel hoc ius non habet et iuridice vocatur *auxiliaris* (can. 350).

a) Coadiutores et auxiliares sunt episcopi *titulares*, qui ad officium proponuntur quidem, ut plurimum, ab episcopo coadiuvando, sed deputari ab uno R. Pontifice possunt.[1] *Possessionem* capiunt ostendentes litteras apostolicas episcopo, et si cum futura successione sint vel sedi dati *etiam* capitulo. Si episcopus actus humani impos est, tum coadiutor tum auxiliaris soli capitulo (can. 353).

b) Quoad *iura* et *officia* non una est omnium conditio, alii enim ad actus ordinis tantum alii ad utramque potestatem exercendam constituuntur. *Hi* sunt *personae* dati. Quorum potestas profecto est imprimis ex litteris nominationis desumenda, at, nisi aliud caveatur, regula est ut si quidem episcopus prorsus *inhabilis* est, omnia habeant iura et officia episcopalia, si *habilis* tantum possint quantum eis commiserit episcopus, qui tamen non debet alii habitualiter delegare, quae coadiutor potest et vult exercere.[2] Vicissim coadiutor, iusto impedimento non detentus, tenetur coadiutum in eius obligationibus supplere, quoties fuerit requisitus (can. 351).

Datus sedi, e contra, potest in territorio solummodo functiones *pontificales*, excepta sacra ordinatione, peragere, aliis in rebus (iurisdictionalibus) tantum potest quantum eidem a S. Sede vel ab episcopo fuerit commissum (can. 352). Hi sunt coadiutores, qui episcopis bene valentibus, sed multitudine vel gravitate negotiorum onustis, conceduntur et a suo primario munere olim nuncupabantur *vicarii in pontificalibus*.[3]

---

[1] Si *cum futura successione*, a S. Sede semper ratio habetur iuris quaesiti capituli vel gubernii, ubi electio aut praesentatio viget.

[2] Primi potestas est indubie *ordinaria*, alterius *delegata* tantum esse videtur (nisi simul vicarius gen. constituatur). *Scherer*, I, 602 huius potestatem vult esse *quasi-ordinariam* (i. e. secundum modernam terminologiam, vicariam) sed id non apte componitur cum can. 197-198.

[3] Unde, de more, episcopus *iurisdictionem* non per hos, sed per *vicarium generalem* exercet.

Omnes autem tenentur ad *residentiam,* eodem modo ac episcopi, et si ad breve tempus, extra trimestre vacationum, discedere velint, indigent licentia coadiuti (can. 354). Ius habent ad honestam sustentationem.

c) Deficiente episcopo, coadiutor cum iure successionis, dummodo possessionem legitime coeperit, statim fit ordinarius, auxiliaris datum personae munere cadit, nisi aliud in pontificiis litteris caveatur, datus sedi in officio etiam sede vacante perdurat (can. 355).

a) Abolitis chorepiscopis, Ordinarii qui auxilio in *pontificalibus* exercendis indigebant, usi sunt episcopis vicinioribus vel peregrinis, et praesertim iis qui ab infidelibus pulsi in Occidentem migraverant, aliisque ad easdem sedes successive ordinatis. Initio episcopi libere hos auxiliares assumebant vel dimittebant, qui ideo frequenter de uno in alium locum vagabantur, victum sibi quaerentes, nec semper honestate et dignitate vitae excellebant. Denique Clem. V (c. 5, Clem. 1, 3) iniussu Sedis Apostolicae eos ordinari prohibuit. In amplioribus dioecesibus, praecipue ubi episcopi negotiis saecularibus et politicis implicati erant, *vicarii in pontificalibus* stabiles facti sunt, eisque saepe tota administratio spiritualis dioecesis relinquebatur. Etiam hodie in multis dioecesibus germanicis et alibi apud maiores sedes extant huiusmodi coadiutores, qui solam *potestatem ordinis* exercent.[1]

b) Coadiutores cum iurisdictione episcopo infirmo vel senio confecto dati, plerumque cum iure successionis, iam in antiquitate occurrunt. Serius visi sunt contradicere regulae, ne plusquam unus episcopus in una esset ecclesia, et alio modo, per administratores vel episcopos vicinos, necessitati dioecesis provisum est. Sed cum haec remedia apta non essent, R. Pontifices iterum coadiutores permiserunt. Bonif. VIII (c. 1 in VI, 3, 5) eorum nominationem Sedi Apostolicae *reservavit.* Conc. Trid. (sess. XXV, c. 7 de ref.) iussit ut nonnisi urgenti de causa constituerentur cum iure succedendi, nam universim expectativae abrogatae sunt et iuris canonici normis repugnant. Dari quidem possunt etiam episcopo invito, at hoc de stylo Curiae non est.[2]

197. Administrator Apostolicus. Aliquando, ob graves et speciales causas, regimen dioecesis R. Pontifex committit *administratori apostolico.* Hic potest esse vel *perpetuus* vel *ad tempus;* in altero casu modo *sede plena* modo *sede vacante* constituitur (can. 312).

a) Administrator *permanenter* constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur iisdemque obligationibus tenetur ac *epi-*

[1] *Ben. XIV,* de syn. l. XII, c. 14, nn. 4 ss.; *Scherer,* I, 598 ss.
[2] *Ben. XIV,* o. c. l. XIII, c. 10, nn. 21 ss.

scopus residentialis, eodem modo possessionem capit et est verus Ordinarius (can. 315). Est plerumque episcopus finitimae dioecesis.[1]

b) Constitutus ad tempus *sede plena,* quia episcopus ab iurisdictione exercenda ex aliqua causa voluntaria vel involuntaria impeditur, canonicam possessionem init ostendens *tum* episcopo *tum* capitulo litteras suae nominationis, episcopo autem non sui compote aut a dioecesi absente *soli* capitulo (can. 313 et 334 § 3). Eadem iura et officia habet ac *vicarius capitularis,* sed insuper potest dioecesim visitare, nec tenetur missam pro populo applicare (haec obligatio enim episcopum gravat). Haec potestas est *ordinaria* et in tali ambitu a iure conceditur, nisi in litteris deputationis aliud caveatur expresse et forte amplior, prout saepe fit, concedatur (can. 314, 315 § 2). Iurisdictio episcopi eiusque vicarii generalis plene *suspenditur.* Nequit tamen administrator se immiscere causis episcopum ipsum spectantibus, neque in vicarium generalem ob acta praeteriti regiminis processum instruere aut poenis animadvertere (can. 316). *Honoribus* et *privilegiis* gaudet protonotariorum participantium, si charactere episcopali caret, episcoporum titularium si illo est auctus.

c) Sede vacante administrator possessionem sumit ad instar episcopi, *iura* et *officia* autem habet *vicarii capitularis,* tenetur proinde etiam ad missam pro populo (can. 315). Aliis facultatibus vi commissionis praeditus esse potest, quoad honores et privilegia idem valet ac de praecedenti dictum. Aequipollenti potestate fruitur etiam *episcopus translatus,* antequam novae sedis possessionem capiat; is enim interim suae antiquae ecclesiae retinet administrationem cum solis iuribus et obligationibus vicarii capitularis, sed in eo differt, quod honorifica residentialis privilegia conservat et integros percipit fructus mensae episcopalis (can. 430 § 3).

d) Administratoris iurisdictio S. Pontificis aut episcopi obitu non cessat; *cessat* vero elapso tempore, aut episcopo restituto, aut cum in dioecesi vacante novus episcopus possessionem legitime coeperit (can. 318). Si ipse administrator defecerit aut eius iurisdictio impedita fuerit, statim monenda est S. Sedes, interim regimini providet episcopus, si praesens

[1] Qui autem *unam* missam pro utroque populo applicat (can. 339 § 5).

est et habilis, secus vicarius generalis, his deficientibus vel impeditis capitulum per suum vicarium (can. 429), nisi Sedes Apostolica aliud praestituerit (can. 317).

198. Praelatus nullius. Cum officio episcopi maxime convenit officium *praelati exempti* qui proprium *territorium* regit. Haec territoria enim, a dioecesibus distincta et separata («*nullius*») ad instar dioecesis erecta et constituta sunt, quo nomine in iure etiam veniunt, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet, et nomine episcopi eorum praepositi (can. 215 § 2).

a) Exemptio, quae universim est «libertas a potestate immediati superioris», et in casu ab iurisdictione episcopi, in *triplici* gradu *praelatis* invenitur concessa. Sunt nimirum qui certo praesident generi personarum existentium intra septa alicuius ecclesiae, monasterii vel conventus, cum *passiva* exemptione a iurisdictione episcopali. Eiusmodi sunt superiores regulares et nonnulli praelati saeculares, eorumque exemptio est in specie *infima.* Alii in *clerum* et *populum* certi loci, qui tamen in dioecesano territorio est, *activam* habent iurisdictionem. His accenseri possunt, praeter alios, cappellani maiores castrenses;[1] species dicitur *media.* Denique alii iurisdictione *activa* gaudent in clerum populum et *territorium* a cuiuslibet episcopi dioecesi separatum (species *suprema*): unde dum priores *non* quidem *de* dioecesi sed *in* dioecesi sunt, hi *nec de* dioecesi *nec in* dioecesi esse dicuntur, sed suam quasi-dioecesim habere. Quibus solummodo propria acceptione competit nomen *Nullius,*[2] sive *abbatiali* sive *praelatitia* tantum dignitate eorum ecclesia decoretur (can. 319 § 1).

Praelaturae sunt *saeculares* vel *regulares,* abbatiae pleraeque sed non omnes regulares. Si autem tribus saltem paroeciis non constent, singulari iure reguntur, nec eisdem applicantur quae canones statuunt de territorio *nullius* (c. c. § 2).

---

[1] Circa hos, ex can. 451 § 3, per C. nihil est immutatum. Cappellani *maiores* erant hactenus in Austria, Borussia, Hispania et republica Cilena, in Anglia hoc munere fungitur archiep. Westmonasteriensis, in Bavaria archiep. Monacensis. Durante bello alibi etiam Ordinarii militum constituti sunt, sed a tempus tantum. *Scherer,* I, 655 ss. Antiquissimum exemplum curae animarum militaris, tempore pacis, refertur in c. 15, d. 63 (Pelagii I, 556-561) et respicit milites praesidii Centumcellarum (Civitavecchia). *Sägmüller,* Ein Aktenstück zur Militärseelsorge in Tüb. Q.-schrift XCVI (1914) 592 ss.

[2] *Ben. XIV,* de syn. l. II, c. 11, n. 1-4.

b) Provisio canonica eodem iure regitur ac in episcopatibus. Quare *institutio* semper reservatur uni S. Sedi, *designatio personae* aut per liberam nominationem R. Pontificis, aut per praesentationem, aut per electionem fit (can. 320 § 1). Haec ultima frequens est, cum pleraeque praelaturae sint regulares, sed a quocumque collegio perficiatur, ut valeat, pars *absolute* maior suffragiorum pro electo requiritur, demptis suffragiis nullis, imo etiam maior numerus, si statutum aut regula id exigat (can. 321). Promovendus iisdem *qualitatibus* praeditus sit oportet ac episcopus (can. 320 § 2). *Possessionem* init litteras pontificias exhibens capitulo vel coetui consultorum, antea nequit se in regimen ecclesiae ingerere, exceptis casibus a iure praevisis (can. 322 § 1).[1]

Abbates et praelati nullius alii charactere episcopali insigniuntur, alii ex praescripto apostolico vel ex religiosis constitutionibus benedici debent, alii denique neutrum obtinent. Qui *benedictione* indigent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, eam ab episcopo libere electo impetrare tenentur (c. c. § 2), secus ipso facto ab iurisdictione suspensi manent.[2]

c) In *iurisdictione* et obligationibus episcopis residentialibus omnino aequiparantur (can. 323 § 1).[3] Potestas eorum est ordinaria (quasi-episcopalis). *Vicarium generalem* constituere possunt. Si *capitulum* religiosum habent, hoc regitur propriis legibus, si saeculare, iure communi (can. 324), si neutrum, eligere tenentur *collegium consultorum*, quod eodem munere fungitur (can. 326).[4]

Licet consecratione episcopali careant, omnibus uti fas est, in proprio territorio, insignibus *pontificalibus* cum throno et baldachino et ibidem officia divina pontificio ritu celebrare; crucem autem pectoralem, anulum ac pileolum violaceum etiam extra territorium deferre possunt (can. 325). Habent praeterea facultates ad *actus ordinis*, quae vicariis et prae-

---

[1] De his omnibus vide quae tradita sunt supra n. 188 de episcopo.

[2] can. 2402, cf. can. 625. Formula est in *Pontif. Rom.* tit. de benedictione abbatis (II). Mandatum apostolicum, quod olim necessarium erat, quoad *hos* ipso iure conceditur.

[3] Ex praecisis terminis huius canonis et attento can. 215 § 2, sequitur limitationes iuris antiqui abrogatas esse. Non amplius prohibetur igitur Praelatus nullius synodum cogere, parochos instituere, dimissorias dare (cf. can. 958 § 1 n. 4) etc. Ceterum in C. nullibi sermo est de potestate episcopi vicinioris.

[4] cf. can. 423-428 et infra n. 215.

fectis apostolicis competunt[1] et insuper possunt quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare, non autem ante acceptam benedictionem, si hanc recipere debeant (can. 323 § 2).[2]

d) Sede vacante, succedit capitulum religiosorum vel canonicorum aut collegium consultorum, utrumque intra octiduum deputare debet vicarium capitularem. *Sede impedita* eaedem normae servandae sunt ac in dioecesi (can. 327).[3]

In *hierarchica* constitutione Ecclesiae regula est, ut ordinata series praepositorum adsit, quorum unusquisque superiori subiiciatur, sed in suo ambitu plenam potestatem habeat. Unde *exemptio* est exceptio; quae initio ignota, tamen decursu temporum latissime invaluit, in omni gradu iurisdictionis, praeter supremum occurrit (exemptio a iurisdictione patriarchali, primatiali, metropolitica,[4] episcopali, archidiaconali, synodali) singulis personis, collegiis, institutis acquisita. *Iuridice* nonnisi privilegio inniti potest, et quidem privilegio *pontificio,* quia sola suprema auctoritas ordinem hierarchicum in Ecclesia mutare valet,[5] nihilominus ex historica origine in *nativam, dativam* et *praescriptivam* distinguitur. *Nativa* si exemptus, antiquior existens illo cui iure communi subiiciereturpristinam suam libertatem conservavit (monasterium ante dioecesim). *Dativa,* si ab expressa concessione exorta. *Praescriptiva,* quatenus *immemorabilis* praescriptio supplet probationem privilegii apostolici, sine quo exemptio in suprema specie obtineri nequit, *quadragenaria* cum titulo autem, in dubio, privilegii extensionem determinat et ad acquirendam inferioris generis exemptionem etiam sufficit.[6]

Maximi momenti in evolutione iuris est *exemptio ab iurisdictione episcopali.* Quam in infima specie imprimis regulares amplissime et generali modo a R. Pontificibus obtinuerunt, sed de hac suo loco (cf. infra n. 280). Exemptionis *activae cum territorio nullius* prima et rarissima exempla demum saec. IX-X habentur et initio de solis abbatiis regularium

---

[1] cf. can. 294 § 2 et supra n. 183 b.

[2] Canon non est omnimode perspicuus. Admittit enim saltem *quattuor* interpretationes: *a)* privilegia can. 294 *et* can. 323 omnibus competunt, sed benedicendis post benedictionem; *b)* privilegia utriusque can. omnibus competunt, sed can. 323 benedicendis post benedictionem; *c)* privilegia tum can. 294 tum can. 323 solis benedictis competunt; *d)* privilegia can. 294 omnibus, can. 323 solis benedictis. Ad difficultatem solvendam non succurrit ius antiquum, quod hic evidenter mutatur. Olim haec singularibus concessionibus innitebantur et sane pro regula benedictionem praerequirebant. Nec applicanda videntur indiscriminatim praelatis nullius quae in can. 625 de abbatibus regularibus *sine territorio* statuuntur. Potius urgenda est, ex manifestis rationibus, analogia cum praefectis apostolicis, qui utique non benedicuntur. Unde amplectenda videtur interpretatio ad *b)*; sin minus ad *a)*. Nullo modo vero introducenda est necessitas benedictionis in can. 325, qui de ea alte silet. (Contra *Vermeersch-Creusen,* 311).

[3] cf. can. 429 ss. et infra nn. 216 ss.

[4] Huc faciunt episcopatus a iure metropolitico exempti et S. Sedi immediate subiecti, quorum etiam hodie multi sunt.

[5] *Wernz,* II, 816.

[6] *Ben. XIV,* const. *Apostolicae servitutis,* 14 mart. 1743 et *Inter multa,* 4 apr. 1747; Congr. part. secretario Lambertini, 3 ian. 1721 (*Ben. XIV,* de syn. l. XIII, c. 8, nn. 17 ss.; *Richter,* 343, n. 1); *Scherer,* I, 423; *Wernz,* II, 815.

agebatur.[1] Serius autem multi regulares et saeculares praepositi hoc ius sibi vindicaverunt, et saepe quidem spuriis vel insufficientibus titulis. Ex quasi-possessione enim unius vel alterius privilegii quod exemptis praelatis competit non consequitur exemptio, eo minus exclusio iurisdictionis episcopi a territorio, cui ius resistit. Unde iurisprudentia contra huiusmodi praetensiones severissima fuit[2] et Conc. Const. sess. XXXXI, c. 1) ac Trident. (sess. VI, c. 4; XXIV, c. 11; XXV, c. 6 de ref.) plurimas exemptiones, quae rectam administrationem dioecesium impediebant, penitus sustulerunt.

VIII. CURIA DIOECESANA.

199. Curia est nomen collectivum illarum personarum, quae episcopo aliive qui loco episcopi dioecesim regit opem praestant in regimine *totius* dioecesis (can. 363). Cum autem *duplicis* generis sint praecipua negotia expedienda, et altera ab alteris disiuncta esse maxime conveniat, quae scilicet ad *voluntariam* vel *administrativam* iurisdictionem et quae ad iurisdictionem *contentiosam* referuntur, iure communi nunc inducta est Curiae *bipartitio:* illa curat *Vicarius generalis* cum suis auxiliaribus, haec *Officialis* cum iudicibus et tribunalis administris agit.

Horum omnium munera sunt officia ecclesiastica, quibus adnexa est certa ordinaria potestas, sed amovibilia, nec naturam habent beneficialem. *Provisio* fit, exceptis synodalibus, per liberam collationem episcopi et est *scripto* consignanda. Nominati vero debent in manibus episcopi iusiurandum emittere de munere fideliter et iuste exercendo, negotia ad normam iuris tractare et secretum intra fines a lege naturali, canonica vel ab episcopo determinatos servare (can. 364).

Hae normae cunctis *communes* sunt; quae autem ad officiales iudiciarios singillatim spectant suo loco (l. IV) sunt exponendae, quae ad ministros Curiae in sensu stricto modo sequuntur (can. 365).

Iam antiquitus episcopi in administratione suae ecclesiae usi sunt aliorum opera, presbyterorum in ministerio ordinis, diaconorum in rebus temporalibus et regimine. Inter omnes, a medio saec. IV eminet *archidiaconus,* cuius est iuniores clericos instituere et educare, eos probare et ordinationi offerre, in vita et moribus advigilare, corripere, oblationes fidelium et bona ecclesiastica administrare, aedificia sacra reficere, dioecesim de mandato episcopi visitare, vacantem gubernare. Ex quibus mu-

[1] cf. *Ben. XIV*, de syn. l. XIII, c. 8, n. 20.
[2] *Ben. XIV*, const. *Causarum*, 16 nov. 1747; *Scherer*, I, 424.

neribus facile intelligitur magnam fuisse eius auctoritatem et primam post episcopalem.[1] Inde a saec. IX, extinctis chorepiscopis, omnes maiores dioeceses divisae sunt in districtus iisque praefecti sunt *singuli archidiaconi.* Qui urbem regebat maior seu *principalis* dictus est et, uti antea quando unicus, plerumque primam dignitatem in capitulo cathedrali obtinebat, reliqui ex canonicis vel ex praepositis capitulorum collegialium assumpti, *minores* appellabantur. Ex hoc tempore coeperunt esse *presbyteri,* dum hactenus in ordine diaconali erant et ad sacerdotium promoti officium amittebant.[2]

Qui omnes, evolutione iuris procedente, paulatim sibi *ordinariam* et fere independentem ab episcopo potestatem attribuerunt, suas synodos, sua tribunalia, suos officiales habebant, visitationem canonicam peragebant, parochos et decanos instituebant, censuras infligebant.

Cui rerum conditioni ut occurrerent et suam immediatam iurisdictionem denuo instaurarent, episcopi, inde a saec. XIII, archidiaconis opposuerunt officiales proprios: ruri *vicarios foraneos,* in urbe *vicarium generalem.* Utrumque genus iurisdictionem tum voluntariam tum contentiosam, cum archidiaconali concurrentem, exercebat. Sed in Germania, Anglia, Gallia et Hispania vicario generali prima tantum fuit commissa, iudicialis vero alteri magistratui: *Officiali.*

Fracta demum per *Conc. Trid.* (sess. XXIV, cc. 3 et 20, XXV, c. 14 de ref.) archidiaconorum potestate, etiam eorum officium mox cessavit, vicarii foranei vero ad modernum munus inspectorum et delegatorum episcoporum in negotiis administrativis reducti sunt. Vicarii generalis iurisdictio, e contra, cuius summae lineae in Sexto et Clem. describuntur,[3] magis magisque aucta est, sed hactenus potius a doctrina et praesertim a iurisprudentia RR. Congregationum, quam a textibus iuris circumscribebatur. Nunc C. eam accurate definit, qui etiam distinctionem competentiae administrativae et iudicialis sancit.

200. Vicarius generalis est «sacerdos legitime deputatus, qui potestate ordinaria episcopum in regenda *tota dioecesi* adiuvat» (can. 366 § 1). Officium *a iure* est institutum, episcopus illud *uni* personae conferre *tenetur,* quoties recta dioecesis administratio id exigat,[4] *plures* vicarios nominare pro regula prohibetur, nisi aut rituum diversitas[5] aut amplitudo

---

[1] cf. *Ps. Clem.* in c. 6, d. 93: «diaconi Ecclesiae tamquam *oculi* sint episcopi». Eodem titulo archidiaconum ornat *Innoc. III* in c. 7, X. 1, 23, eumque «maiorem post episcopum et ipsius episcopi vicarium» vocat. cf. etiam c. 1, d. 25 (Isidorus) ubi autem § 12 est interpolata.

[2] Ideo etiam ordinationem sacerdotalem respuebant, et si quem episcopus ad eam suscipiendam cogebat, censebatur esse casus «promoveatur ut amoveatur». cf. *Hinschius,* II, 184, n. 3, 186 n. 5, 195 n. 1.

[3] In decr. Greg. IX est titulus «de officio archidiaconi» sed nondum mentio fit vicarii generalis. Unde dignoscitur etiam aetas qua officium coepit.

[4] Et si id facere negligat aut ineptum constituat, ad idoneum assumendum a S. Sede cogi potest, quae interdum ipsa aliquem designat. *Scherer,* I, 609, n. 59.

[5] Rituum diversitati bene addi posse videtur diversitas *nationum* et *linguarum,* quae causa tamen in C. expresse non agnoscitur. Saepe ad solvendam difficultatem iuvabit, in casu, altera: amplitudo dioecesis.

territorii aliud postulet, cuius necessitatis iudicium ipsi quidem remittitur, at prae oculis habeat profecto oportet ius pluralitati non favere.[1] Quodsi constituantur, in *solidum* tenent iurisdictionem.[2] Potest tamen alium designare qui vicarii generalis absentis vel impediti *vices suppleat* (c. c. § 3). Qui in casu esset pariter Ordinarius (can. 198 § 1).[3]

a) Vicarium generalem *libere designat* episcopus, post captam possessionem, eumque ad nutum potest removere, sed iusta de causa et naturali aequitate servata (can. 192 § 3), praesertim eius honori et bono nomini cavens.[4]

b) Qualitates, quibus praeditus esse debet, sunt: presbyteratus, aetas saltem triginta annorum, laurea aut licentia in theologia vel iure canonico, aut saltem harum disciplinarum vera peritia, sana doctrina, probitas, prudentia ac rerum gerendarum experientia. *Excluduntur:* poenitentiarius,[5] episcopi consanguinei praecipue in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, parochus nisi necessitas cogat, religiosus nisi dioecesis ipsius religioni sit commissa (can. 367).[6]

c) Potestas vicarii generalis est *ordinaria.* Vi officii enim ei competit in universa dioecesi *iurisdictio* in spiritualibus, et temporalibus, quae ad episcopum iure ordinario pertinet (can. 368 § 1). In genere igitur omnia legitime agere potest, in rebus administrativis, quae episcopus, nisi *aut* iure *aut* reservatione ab aliquibus prohibeatur. Revera episcopo fas est sibi quaedam *reservare* et tali modo ambitum ordinariae competentiae vicarii *coarctare,* non tot tamen ut eius potestas non sit amplius moraliter universalis; ius *plura* excipit quae aut omnino

---

[1] Hactenus ex *consuetudine* plures legitime constituebantur praesertim in Gallia et Belgio. An *iure communi* id universim liceret, controversum erat. cf. *Bargilliat,* I, 775: *Scherer,* I, 160 n. 60, contra *Wernz,* II, 803 n. 22 (negative) et plures decisiones Congr. in casibus particularibus.

[2] Quod ex notione («generalis»), ex definitione («in regimine *totius* dioecesis» can. 368 § 1), ex recepta hucusque doctrina deducitur. *Bargilliat,* I, 771.

[3] Adnumerandus enim videtur inter eos qui «interim ex *iuris* praescripto succedunt in regimine» (can. 198 § 1), nisi dicere velimus ultima verba can. 366 § 3 superabundare. Nam ut episcopus possit constituere *delegatum* nulla opus erat speciali concessione.

[4] Contra remotionem, quam vicarius censeat suum honorem laedere, patet recursus ad C. Cons. cf. *Wernz,* II, 806; *Scherer,* I, 615; R. 12 dec. 1910 (dec. 34), 19 iun. 1911 (dec. 26, n. 20), 24 febr. 1912 (dec. 10, n. 6).

[5] Ad praecavendam vel suspicionem abusus notitiae in foro interno acquisitae.

[6] Plures harum qualitatum hucusque non iure communi sed *iure particulari* tantum vel ex *decisionibus* SS. CC. in specialibus adiunctis datis requirebantur. Expresse nunc C. permittit ut vic. gen. sit *dioecesanus,* nec positive excludit rectorem seminarii. cf. *Wernz,* II, 804.

aut sine *mandato speciali* expedire nequit. Quae altera potest quidem episcopus vicario peculiariter committere,[1] at peragenda iurisdictione *delegata.*[2]

Cum episcopo *unum consistorium* efformat, unde eius actus ab illo gesti censentur; tamen in ordinariis negotiis administrativis non videtur episcopus prohibitus a *reformandis* vicarii decretis, si excipias formalem causae decisionem, a qua recursus dirigendus est ad S. Sedem.[3] Et universim *sub episcopi auctoritate* munus exercere tenetur, ad eum praecipua acta Curiae referre, de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam ipsum certiorem reddere, cavere ne contra mentem et voluntatem episcopi suis facultatibus utatur (can. 369). Imo denegatam ab episcopo *gratiam* nequit *valide* concedere, episcopus vero denegatam a vicario potest quidem, at si denegatio reticita fuerit, ut *subreptitia* robore caret (can. 44 § 2),

d) Honoris causa vicarius, etiam praesente episcopo, omnibus clericis dioecesis publice privatimque *praecedit,* in choro quoque et in actibus capitularibus. Nec obstat contraria consuetudo,[4] unica exceptio habetur si clericus charactere episcopali praefulgeat, vicarius eodem careat. Insuper, durante munere, habet *privilegia et insignia* protonotarii apostolici titularis,[5] si autem episcopus titularis est, uti patet, privilegia sui gradus obtinet (can. 370).

---

[1] Ad validitatem vel liceitatem mandati specialis *non* requiritur *documentum scriptum*, quia ubi hoc ius exigit semper expresse dicitur. At bene adhibetur ad vitanda dubia vel ambiguitates. — Alia *quaestio* est an sufficiat, quod iure antiquo communis doctrina negabat (*Wernz,* II, 805), *generalis formula :* « etiam ad omnia quae speciale mandatum requirunt ». Ad valorem quod attinet non videtur dubitandum quia rationes veterum hodie non urgent, (consentit *Vermeersch-Creusen,* I, 346), at hoc non respondet *menti iuris,* quod potius postulat ut in iis episcopus regulariter *ipse* agat et mandata specialia non mutentur in mandatum aliquod generale cf. *Stutz,* Geist 298.

[2] De hoc disputatur, cum alii eam *ordinariam* esse affirment (*Stutz,* o. c. 325 ss. *Maroto,* I, 699 ; mediam viam tenet *Vermeersch-Creusen,* 347). At si ordinaria est potestas quae alicui competit « vi officii », delegata quae « ex commissione » (can. 197 § 1), satis perspicue videtur exprimi in can. 368 § 1 eam esse praecise iurisdictionem *officio* vic. gen. a *iure* adnexam, quae mandatum speciale non requirit. Aliter quidem iure antiquo (cf. *Reiffenstuel,* l. I, tit. 28, nn. 94-96), sed tunc ambitus potestatis vic. gen. non erat accurate a iure communi circumscriptus.

[3] Quae enim veteres canonistae de exclusa appellatione a vicario ad episcopum docent, respiciunt praecipue iurisdictionem *contentiosam,* qua olim praeditus erat (cf. can. 1573 § 2) et hodie ad solas causas administrativo tramite *decisas* applicanda esse videntur.

[4] C. C. 17 maii 1919 (A. XI, 349). Nec refert utrum habitu canonicali an vicariali indutus sit.

[5] *Pius X,* Mp. *Inter multiplices,* 21 febr. 1905, tit. IV (A. II, 26).

e) Iurisdictio *expirat* per validam renuntiationem, per revocationem intimatam, per vacationem sedis episcopalis; *suspenditur* vero suspensa episcopali iurisdictione (can. 371).

Actus in quibus vicarius generalis *mandato speciali* indiget nunc, secus ac iure antiquo, *taxative* in C. determinantur: incardinatio vel excardinatio (can. 113), provisio officiorum (can. 152), eorum renuntiatio (can. 187 § 1), convocatio synodi (can. 357 § 1), confirmatio electi, institutio praesentati, deputatio vicariorum et cooperatorum (can. 455 § 3), amotio vicar. paroec. (can. 477 § 1),[1] erectio piae associationis (can. 686 § 4), reservatio peccatorum (can. 893 § 1), concessio dimissorialium (can. 958 § 1 n. 2), licentia ad matrimonium conscientiae (can. 1104), consecratio loci sacri (can. 1155 § 1), consensus pro aedificatione ecclesiae (can. 1162 § 1), authenticatio reliquiarum (can. 1283 § 2), permissio exponendi authenticitatis documento carentes (can. 1285 § 1), determinatio stipis ecclesiae pauperi pro missae celebratione erogandae (can. 1303 § 3), beneficiorum erectio, unio, collatio, institutio canonica, permutatio (can. 1414 § 3, 1423 § 1, 1432 § 2, 1466 § 2, 1487 § 1), universim quae Ordinario competunt in causis Sanctorum (can. 2002), irrogatio poenae ab homine (can. 2220 § 2), remissio inflictae in iudicio (can. 2236) § 3), absolutio in foro externo apostatae, haeretici vel schismatici (can. 2314). Exempla eorum ad quae ne mandatum speciale quidem sufficit sunt in can. 406 § 1, 492 § 1.

201. Cancellarius et Notarius. In Curiis dioecesanis, praesertim in maioribus, plures adesse solent administri, qui vicario generali assistunt. At ii non habent verum officium ecclesiasticum, sed munus vel servitium tantum, et eorum status iuridicus pendet a contractu, potestas, si quam habeant, est delegata. Unum dumtaxat officium est a iure communi praevisum et definitum: *cancellarii et notarii.* Cancellarius in qualibet Curia constitui *debet*, sacerdos scilicet cuius proprium et praecipuum munus est acta Curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere, eorumque indicem conficere. Poscente necessitate ei dari potest adiutor, *vice-cancellarius* seu *vice-tabularius* (can. 372 §§ 1 et 2).

Cancellarius est ipso iure etiam *notarius* (c. c. § 3). Potest itaque acta et instrumenta conscribere, quae publicam fidem faciunt, et adhiberi quoties in scriptura redigenda vel negotio iuridico perficiendo praesentia et opera actuarii legitime requiritur. Eius est etiam acta et documenta ex regesto exhibere vel exscribere, ac exemplaria cum authographo conformia declarare (can. 374 § 1).

---

[1] Eo magis, uti videtur, aliorum magistratuum, quamvis expresse non dicatur.

Ad idem officium *notarii* episcopus *potest* etiam alios nominare, clericos vel his deficientibus laicos, ad quaelibet acta *aut* ad acta iudicialia dumtaxat *aut* ad acta unius causae vel negotii. At in criminali clerici processu notarius debet esse sacerdos (can. 373 §§ 1-3).

Palam est omnes notarios teneri ad munus suum *maxima fidelitate* explendum. Ideo necesse est ut integrae famae et omni suspicione maiores sint (can. 374 § 1 n. 2, § 4). *Competentia* limitatur a territorio eligentis et, nisi ad omnia acta iure (cancellarius) aut decreto sit concessa, a mandato (can. 374 § 2).

Hi officiales *removeri* aut *suspendi* possunt ab eo qui illos constituit aut ab eius successore aut superiore, non autem a vicario capitulari, nisi de consensu capituli (can. 373 § 5).

202. Archivum. In Curia *duplex* opus est haberi archivum seu tabularium, *publicum* et *secretum*.

a) In *publico* seu communi disponuntur et asservantur instrumenta et scripturae quae negotia dioecesana spectant. Eius conficiendum est *inventarium* cum brevi singulorum actorum synopsi (protocollo), ex praecepto quidem primo bimestri anni sequentis (can. 375, 376 § 1), ex praxi autem Curiarum bene ordinatarum statim ac successive exhibentur. Ordinarii est inquirere an chartae, quae in archivo esse deberent, alio distractae vel dispersae forte sint et quaelibet necessaria remedia adhibere ut eidem restituantur (can. 376 § 2).

Archivum iubetur esse perpetuo *clausum*, eiusque clavis penes solum cancellarium; sine huius aut episcopi aut vicarii generalis licentia nemini illud ingredi licet.[1] Eo minus cuiquam licet scripturas ex archivo *efferre*, sine consensu Ordinarii, relicta cancellario subsignata syngrapha, ex qua de accepto documento constet. Quod intra triduum est restituendum, nisi ex speciali causa, non facile admittenda, longius tempus fuerit concessum (can. 377, 378).

In archivo dioecesano deponendum est etiam *exemplar inventarii* archivi cuiusque capituli, paroeciae, confraternitatis et pii loci, altero exemplari in ipsorum tabulario asservato;

[1] Quae dispositio, in maioribus Curiis, ubi complures sunt officiales et continue in negotiis expediendis ad praeterita acta recurrendum est, *practice* erit difficillime servanda. Sed praecise hae Curiae solent esse eae quae a multis decenniis vel forte a saeculis sunt optime ordinatae, et suas consuetudines habent, de quibus cf. can. 5.

praeterea authenticum exemplar *librorum paroecialium,* inventarii *bonorum* immobilium et mobilium cuiusque ecclesiae, pii loci vel piae causae, exemplaria denique omnium *documentorum* quibus iura temporalia praedictorum institutorum innituntur (can. 383 § 1, 470 § 3, 1522, 1523).

Omnium archivorum dioecesis cura habenda est ab Ordinario, ut uniuscuiusque catalogus conficiatur et acta diligenter conserventur.[1] Ex eis documenta efferri nequeunt, nisi sub iisdem cautelis quae de tabulario episcopali valent. Cuilibet autem, cuius intersit, *ius* est acta *publica* in archivis ecclesiasticis existentia *inspicere,* itemque postulare ut sua impensa sibi legitimum *exemplar exscribatur* et tradatur, qua in re cancellarii aliique archivorum custodes normas ab auctoritate dioecesana datas servare debent (can. 384).[2]

b) Archivum *secretum* quoque necesse est episcopo habere, a publico distinctum, duabus clavibus obseratum, quarum unam ipse retinet, alteram vicarius generalis vel, eo deficiente, cancellarius (can. 379 § 1). Statim a capta possessione, designare debet sacerdotem qui sede vacante vel impedita clavem episcopi assumat (can. 380). Sede *impedita* haec clavis tradenda est administratori apostolico, si in dioecesim mittitur, *aut* ecclesiastico delegato si hic regimen obtinet, *aut* vicario capitulari, legitime electo; retinenda autem a custode si vicarius generalis dioecesim administrat. Sede *vacante* vero clavis episcopi pariter tradenda est vicario capitulari, altera primae dignitati capituli vel consultori dioecesano munere antiquiori (can. 381 § 1). Quae omnes cautiones eo tendunt, ne *utraque* clavis in unius manus umquam veniat.

In archivum secretum enim *solus* episcopus vel administrator apostolicus, nemine adstante, inspicere potest, iis tantum fas est illud aperire, repetita altera clavi. Ideo, quando neuter in dioecesi habetur, duarum clavium custodes archivum secretum sigillis Curiae obsignant (can. 379 § 4, 381 § 2). Quorum remotio *vicario capitulari* permittitur solummodo ex urgenti necessitate, coram duobus canonicis vel consultoribus, qui invigilent ne ulla scriptura auferatur et toto tem-

---

[1] cf. *Bazzoli,* Gli urbari delle canoniche e la storia della diocesi in lib. per. *S. Vigilio,* II (Trento 1911) 141 ss.; *Böhm,* Gli archivi parrocchiali. Cenni sul modo di ordinarli, ibidem III (1912) 393 ss.; ibidem IV (1913) 73, 226.

[2] cf. can. 2406.

pore praesentes esse debent quo ipse solus acta inspicit.[1] Novo episcopo autem urgentis necessitatis ratio est reddenda (can. 382).

In archivo secreto cautissime custodienda sunt omnia acta quae aut ex natura rei aut ex iuris praescripto secreta manere oportet. Eorum conficiendus est *catalogus*. Singulis annis autem comburenda sunt documenta causarum criminalium in materia morum, si rei defuncti sunt aut sententia condemnatoria a decennio lata est, retento facti summario cum textu sententiae definitivae (can. 379 §§ 1 et 2).

203. Examinatores synodales et parochi consultores. Ad Curiam etiam pertinent tamquam adiutores, sed in certis negotiis tantum, coetus *examinatorum synodalium* et coetus *parochorum consultorum*. In qualibet dioecesi uterque esse *debet;* numerus non est definitus, nisi quod ad minimum quattuor ad summum duodecim sint, ceterum episcopi prudenti iudicio remittitur illum in concreto determinare (can. 385). Candidatos proponere competit episcopo, approbare *synodo*. Ideo etiam in munere durant quousque nova synodus coadunatur, si vero haec suo tempore non celebretur, post *decennium* decidunt, possunt tamen negotium iam incoeptum ad exitum perducere et denuo constitui (can. 387 § 1). Cum autem semper aliquos, qui hoc officio fungantur, adesse opus sit, ex quacumque causa aut omnes aut unus alterve deficiat, episcopus de consilio capituli cathedralis alios sufficit, qui *prosynodales* dicuntur et in munere permanent dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti sunt, aut si hi suum tempus expleverant tamdiu quam synodales (can. 386, 387 § 2). *Removeri* ab episcopo nequeunt, nisi gravi de causa et audito capitulo cathedrali (can. 388), eo minus a vicario capitulari, qui sede vacante, si casus occurrat, eis uti tenetur.

Quaenam in eis qualitates requirantur nihil est in iure statutum, at ex natura rei patet peculiari scientia et prudentia commendatos esse oportere.[2] *Examinatorum* synodalium *duplex* est praecipuum officium: adsistere Ordinario in collatione paroeciarum et in quibusdam processibus administrativis primi

---

[1] cf. can. 2405.

[2] Cong. Stud. 7 mart. 1907 (AS XL, 380) commendaverat ut essent graduati in theologia vel iure canonico aut saltem vere periti; C. Cons. 3 oct. 1910 (A. II, 854) edixerat non expedire ut inter eos esset vicarius generalis.

gradus. In aliis examinibus adhiberi possunt, sed non debent (can. 389). *Parochorum* consultorum unicum: partes habere in processibus administrativis secundi gradus. Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in eadem causa (can. 390).

Examinatores a *Conc. Trid.* (sess. XXIV, c. 18 de ref.) originem ducunt, quod iussit paroecias conferri per concursum. Eligendi erant in synodo, ad prosynodales constituendos episcopus usque dudum indigebat venia S. Sedis. Modernum ius inductum est per decr. C. Cons. *Maxima cura*, 20 aug. 1910 (A. II, 639) a quo desumpti sunt etiam C. canones, at tempore a quinquennio ad decennium prorogato et substituto *consilio* capituli (can. 386, 388) ubi dicebatur *consensus*, secundum generale studium C. limitandi casus in quibus capitulum decisivum suffragium in negotiis dioecesis habere possit. Ex eodem decreto veniunt etiam parochi consultores.

IX. CAPITULA CANONICORUM.

204. Notio et constitutio. *a) Capitulum* est «clericorum collegium ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat», cui definitioni, quae omnibus convenit, addendum est, si agatur de cathedrali, «et ut in regimine dioecesis, ad normam canonum, participet» (can. 391 § 1). Est igitur institutum collegiale, in personam moralem erectum, iurium et obligationum capax, quae ipsi corpori competunt et alia ac distincta sunt a iuribus et obligationibus quae singula membra, *canonici* vocati, habent.

Capitulorum varium est genus: *cathedrale*, quod apud cathedram episcopalem tum ad cultum divinum tum ad episcopum adiuvandum vel supplendum est erectum, *collegiale*, quod in aliis principalioribus ecclesiis solius cultus gratia; *saeculare* aut *regulare; numeratum* seu *clausum* aut *non numeratum* vel *apertum*, in illo praebendae sunt distinctae et numero determinatae, in hoc modo plures modo pauciores praebendati habentur, nimirum quot ex proventibus mensae communis episcopus, audito capitulo, decenter sustentari posse iudicat (can. 394 § 1).[1]

[1] Capitula *non numerata* (ante saec. XIII omnia talia erant) saepe *receptitia* dicuntur, at huiusmodi etiam numerata extant. Ecclesiae receptitiae, quarum proprium est ut reditus communes habeant ab omnibus participantibus pro rata *servitii* percipiendos, nunc fere exclusive in Italia meridionali inveniuntur. Plerumque antiquissima habent statuta, in quibus, pro earum peculiari natura, speciales normae continentur, quae aliis capitulis non convenirent. Sed in genere modernis conditionibus non respondent, unde optandum esset ut paulatim ad ordinariam et communem formam reducerentur. cf. ME XXXVIII, 173 ss. et C. C. 17 mai 1919 (ME XXXII, 72 ss.).

Collegialia subdividuntur in *insignia* et *non insignia*. Titulus historice multis modis acquisitus est, *iuridice* autem refert tantummodo si de *privilegio apostolico* aut de *immemorabili* quasi-possessione constet (can. 391 § 2), relictis aliis incertis criteriis,[1] et efficit ut huiusmodi capitula propius accedant ad cathedralia.

b) In *interna* constitutione capituli distinguuntur *dignitates* et simplices *canonicatus*. Illae multis nominibus veniunt (Decanus, Praepositus, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, Custos, Praecentor, Scholasticus, Thesaurarius etc.) et alio ac alio ordine pro diversitate regionum; quae alicubi prima est alibi est secunda vel tertia aut vicissim. Neque earum numerus est determinatus, aliqua autem esse debet (can. 393 § 1). Iuridice *dignitas* hodie solam praeeminentiam honoris et secundum statutum ordinem praecedentiam inducit. Nihil huiusmodi vero sequitur ex *officiis*, quae singuli canonici inter se distributa habent, quorum duo praecipua sunt officium *theologi* et *poenitentiarii*.[2] Praeterea possunt et solent esse in capitulis etiam alia *minora beneficia*, in uno vel pluribus gradibus (beneficiati, mansionarii, cappellani),[3] denique subinde canonicatus sine praebenda *(canoniae;* canonici *supernumerarii*, dum praebendati vocantur *titulares)* et canonici *honorarii*. Antiqua quoque distributio in tres ordines: *presbyteralem, diaconalem* et *subdiaconalem* alicubi retinetur.

Capitulum, uti corpus morale, constat solis dignitatibus et canonicis, etiam supernumerariis, sed exceptis honorariis (c. c. § 2). Episcopus, quamvis capitulo iubere et praesidere possit, non est de gremio collegii, quod in rebus collegialibus suum caput habet. Haec quidem iure communi, notandum est autem in ordinatione et interno regimine capitulorum multum valere *statuta, consuetudines* et *leges fundationis*, quae peculiaria et etiam diversa continent et a C. plerumque non reprobantur.

---

[1] Hucusque, deficiente certa regula, canonistae docebant insignia esse quae ob loci dignitatem, ecclesiae amplitudinem, numerum et reditus praebendarum in *communi aestimatione* talia censebantur. *Wernz*, II, 767.

[2] Alia plura officia, sub variis nominibus, adesse possunt, et animadvertendum est saepe nomina quae in aliquo capitulo designant dignitatem, in alio merum officium significare. Imo etiam theologus et poenitentiarius possunt esse dignitates.

[3] Hi olim vicarii erant *canonicorum*, qui eos constituebant ut sese a servitio chori eximerent, nunc autem sunt ipsi *capitulo* addicti.

c) Erectio, innovatio, suppressio cuiuslibet capituli reservatur Sedi Apostolicae. Item erectio *novae* dignitatis. Episcopo autem fas est, consentiente capitulo, restituere dignitates forte *extinctas* et *erigere* simplices canonicatus aut minora beneficia (can. 394 § 2). At canonicatus supernumerarios nequit instituere sine speciali S. Sedis concessione (can. 393 § 3). *Innovare* vel *supprimere* in uno casu a iure ei conceditur: si in capitulo numerato praebendae adeo tenues sunt ut una cum distributionibus quotidianis sustinendo canonicorum decori plane sint impares, episcopus, audito capitulo et impetrata S. Sedis licentia, facultatem habet *vel uniendi* praebendis beneficia simplicia, *vel* etiam *extinguendi* aliquas praebendas et applicandi earum proventus distributionibus quotidianis reliquarum. In hac ferenda provisione, quae permittitur dumtaxat in capitulis cathedralibus et collegiatis insignibus, obtinendus est consensus patronorum laicorum et cavendum ut tot canonici supersint, quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant (can. 394 § 3). In omnibus cathedralibus *debet* esse canonicatus theologalis et, ubi id fieri poterit, poenitentialis. In collegialibus, praesertim insignibus, ut eadem officia constituantur *permittitur* (can. 398).

205. Historia. *a)* Iampridem *presbyterium* constituit episcopi senatum, qui illum in omnibus negotiis consilio et opera adiuvabat et sede vacante ecclesiam administrabat.[1] A saec. IV clerici qui in urbe commorabantur ad *vitam communem* in domo episcopali coadunati sunt sub certa regula quae monasticam imitabatur (cf. supra n. 118). Haec ratio vivendi vocata est *vita canonica:* qui eam ducebant *canonici*, sive quia in canone seu matricula inscripti erant, sive quia ipsi secundum canones monachi secundum regulam vivebant, sive quia horas canonicas recitabant.[2] At praesertim aetate Carolingica vita canonica magnum incrementum coepit *(Chrodegangus,* † 766). Carolus M. iussit ut omnes clerici aut canonice aut monastice viverent,[3] Ludovicus Pius omnibus ecclesiis, ubi non erant monachi, imposuit regulam quam *Amalarius* diaconus Metensis, Chrodegangi vestigia secutus, composuerat et syn. Aquisgranensis 816 approbaverat. Nunc enim non solum in urbe apud ecclesiam episcopalem, sed etiam apud principaliores ecclesias rurales clerici vitae

---

[1] *Cypr.* ep. 14; ep. *cleri Rom.* ad Cypr. (inter huius ep. 30); *Syricius,* ep. ad diversos episc. 390; *Stat. eccl. ant.* c. 14 (= c. 6, C. 15, q. 7); *Hieronym.* in c. 7, C. 16 q. 1 et c. 5, d. 95.

[2] De *origine* nominis, quod iam saec. VI (syn. Aurelian. III, 538, c. 11) occurrit, hae tres sententiae proponuntur; probabile est non unam exclusive sed omnes veras esse pro temporum et locorum diversitate.

[3] *Admonitio generalis* (789) 73, 77 (*Galante,* 43).

communi adacti sunt. *Capitula* dicebantur haec collegia, quia quotidie omnes socii convenire debebant ad legendum capitulum regulae: inde primum congregationi, dein loco, demum instituto nomen venit.

b) Vita communis haud diu quidem duravit et mox episcopus, postea singuli canonici suam partem a communi patrimonio separaverunt, vel saltem distinctos reditus (praebendas) ex eo assecuti sunt, sed tum capitula uti personae morales, tum multa antiquae monasticae disciplinae vestigia in successiva iuris evolutione perstiterunt.[1] Praesertim in nominibus et officiis. Primum locum obtinebat *archidiaconus,* qui ut caput capituli *praepositus* nuncupabatur, serius unus ab altero saepe distinctus occurrit. Moderatio servitii divini pertinebat ad *archipresbyterum*, qui utpote antiquior aetate et ordine etiam nomine *decani* veniebat. Cum archidiaconus in regimine dioecesis multum occuparetur, sensim factum est ut ab administratione interna capituli fere ex toto excluderetur et decanus hanc iurisdictionem exerceret.[2] Cura et educatio iuniorum canonicorum (domicellares), usque dum emanciparentur,[3] commissa fuit *primicerio*, postea *scholastico,* qui etiam supremam directionem omnium scholarum urbis vel dioecesis obtinuit. Ordini in choro prospiciebat *praecentor,* dum *custos* aut custodiam ecclesiae rerumque pretiosarum vel etiam administrationem bonorum aut vero curam animarum pro suo munere habuit. Abrogata vita communi, haec munera ex parte in dignitates ex parte in officia evoluta sunt. Distinguebantur enim ab antiquis canonistis *dignitates, personatus* et *officia:* illae praeeminentiam cum iurisdictione, isti solam praeeminentiam, haec solum munus secumferebant.[4] A saec. XII (conc. Lat. III, 1179) etiam officium canonici *theologi,* a saec. XIII (conc. Lat. IV, 1215) canonici *poenitentiarii* introduci coepit. Conc. Trid. (sess. V, c. 1, XXIV, c. 8 de ref.) illum in omnibus capitulis cathedralibus et in collegialibus insignibus institui iussit, huic fini destinata prima praebenda vacatura, hunc item in omnibus capitulis, quatenus fieri posset.

c) Capitula, praesertim cathedralia, mox privilegia auctoritatem et autonomiam assecuta sunt. Nedum enim suas res independenter ab episcopo disponebant, sed notabilem *partem in regimine* ecclesiae sede plena habebant, eamdem vacantem administrabant. Quae olim presbyterii iura erant ad capitulum devoluta sunt, multa episcopus agere nequibat

---

[1] Conatus saec. XI suscepti (Alex. II, 1063 in c. 6, d. 32; Greg. VIII in c. 9, X. 3, 1; Clem. III in c. 4, X. 3, 35; Innoc. III, 1201, c. 5 eod.) vitae communi denuo inducendae, universim quidem incassum cesserunt, sed aliquibus capitulis *regularibus,* secundum regulam S. Augustini, originem dederuut.

[2] *Scherer,* I, 569.

[3] *Domicellares* seu *domicelli* diutius ac reliqui canonici ad vitam communem adstricti sunt. *Emancipatio* peculiaribus et non iucundis caeremoniis plerumque fiebat (cf. *Ben.* XIV, de syn. l. XI, c. 3 nn. 3-7). At haud semper afferebat plenum ius capitulare, imo *receptio in canonicum* distinctus erat actus, saepe per annos expectandus. Ratione praebendae autem, qui ea fruebantur canonici *in fructibus et floribus,* qui carebant *in herbis* dicebantur. Hi non solum domicelli sed etiam emancipati esse poterant (expectantes). Denique habebantur quoque *semipraebendati, tertionarii, portionarii, participantes,* qui omnes minores aliquos reditus percipiebant.

[4] Ceterum de perspicuitate et legali fundamento huius distinctionis iampridem mult dubitabant.

sine eius assensu. Evolutio saec. XIII absoluta est, quando ius exclusivum eligendi episcopum canonici obtinuerunt. Magna potestas capituli in Decretalibus perspicue apparet et toto medio aevo duravit. Sed haec ipsa et pingues praebendae causa fuerunt, ut ad canonicatus plerumque nobiles dumtaxat adspirarent et admitterentur; inde quoque multiplices et graves abusus hominum qui nec qualitatibus nec moribus dignitatem status honorabant. *Conc. Trid.* fortiter remedia decrevit et in quibusdam regionibus re vera non sine salutari effectu, sed efficacior morborum medela fuit saecularizatio et direptio bonorum, quae ineunte saec. XIX pauperiora sed intentioni Ecclesiae magis conformia capitula reddidit.

206. Praebendae et distributiones. *a)* Canonicatus sunt beneficia, in quibus elementum spirituale seu officium, *canonia*, cum elemento materiali, *praebenda*, coniunctum est. Quamvis enim canonia sine dote concipi possit et, si cui conferatur, is verus canonicus sit cum omnibus iuribus et obligationibus, tamen hoc *menti iuris* est minus conforme.[1] *Praebenda* est igitur «ius percipiendi reditus ex bonis officio perpetuo adnexis» et competit ratione ipsius officii, non tamquam praemium alicuius laboris. Quae praebendae possunt *aut* omnino separatae esse *aut* in communi patrimonio consistere, cuius unica est administratio, sed certa singulis debetur ex fructibus portio. Haec vocari solet *massa grossa*, reditus inde percepti *fructus annui* seu *grossi*.

b) Sunt praeterea *distributiones*, nimirum «stipendia quae capitularibus tribuuntur propter eorum praesentiam et assistentiam divinis officiis». Unde naturam remunerationum habent et non accensentur proventibus beneficialibus sed casualibus. Distinguuntur in *ordinarias* seu *quotidianas*, quae quotidie consueta officia persolventibus dantur et plerumque ex arca quadam communi desumuntur *(massa parva)*, et *extraordinarias* seu *inter praesentes*, quae interdum obveniunt choralibus ratione assistentiae quibusdam functionibus, ad quas vi suae praebendae stricte non tenerentur: huiusmodi aliae *fixae*, si statis temporibus et occasionibus (ex legatis, anniversariis, fundationibus) constanter recurrunt, aliae *eventuales* seu *manuales*, si ex pietate fidelium in specialibus adiunctis (funere, exequiis, triduis etc.) oblatae percipiuntur. Distributiones *inter praesentes* pro regula non competunt nisi iis qui physice et realiter praesentes sunt, non autem qui

[1] Iam iure antiquo, c. 9, X. 3, 5 *(Alex. III)*; c. 9, X. 1, 2 *(Innoc. III)*; c. 19, X. 3, 5 *(Innoc. III)*. cf. can. 393 § 3.

mera fictione iuris.[1] At sane interest utrum ab expressa fundatorum vel oblatorum voluntate an ex sola dispositione legis haec conditio derivetur.[2]

In quolibet capitulo *debent* esse distributiones et tam notabiles ut verisimiliter non negligantur. Sicubi *vel* nullae *vel* valde tenues sint, episcopus tenetur *aut* tertiam partem ex proventibus omnium praebendarum et beneficiorum in distributiones quotidianas convertere,[3] *aut*, si id fieri nequeat, introducere *punctaturas*, scilicet mulctas pecuniarias in negligentes,[4] quae in quantitate distributionibus aequivaleant (can. 395 §§ 1-2.)

c) Distributiones, quae disponendae sunt per omnes partes servitii choralis, nulla omissa,[5] *cedunt diligentibus*. Ideoque vere vel iuridice praesentes nedum suam portionem lucrantur sed insuper habent *ius accrescendi* ex *fallentiis* illegitime absentium, sive hae amissae distributiones sive solvendae punctaturae sint.[6] Quae regula, ne finis legis frustretur, absolute servanda est, quavis *collusione* aut *remissione* exclusa: illa intelligitur si choro addicti conveniunt de non notandis absentiis, haec habetur cum sponte et sine ullo pacto distributiones negligentibus relinquuntur.[7] Ubi canonici et mansionarii distinctas massas habent, fallentiae unius partis non accrescunt alteri, quod ex consuetudine etiam ubi una est massa admitti potest. Si vero *dignitates* diversas et separatas a massa canonicorum obtinent distributiones, ab eis amissae

---

[1] *Ferraris,* Prompta bibl. v. *Distributiones,* III, 201 ss.; *Oietti,* Synopsis, v. *Distributiones,* II, n. 1840 ss.; *Gennari,* Consult. can. II, 107 ss.; *Lavitrano,* De la puntatura corale, in ME XXVII, 499 ss.

[2] cf. can. 420 § 2, 422 et infra n. 212 d.

[3] Etiamsi distributiones tenues originem repetant ex privilegio apostolico. C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

[4] Quamvis *distributiones* et *punctaturae* practice in idem recidunt, notione inter se differunt. Per *illas* enim praebendae aliquid additur, per *has* subtrahitur. Sed tum diligens tum negligens in fine anni, in utraque hypothesi, eandem summam pecuniae suam facit. cf. ME l. c. 554.

[5] Etiam minima, ex. gr. completorio. Ceterum servitium chorale in *quinque* partes dividi solet: matutinum et laudes, primam et tertiam, missam conventualem, sextam et nonam, vesperas et completorium. ME l. c. 505 et 540.

[6] *Fallentiae* proprie sunt mulctae punctaturae, sed plerumque promiscue etiam amissas distributiones significant. Penes veteres auctores eodem iure habentur et nunc quoque id tenendum est, quia mulctae pecuniariae «distributionum locum tenent» (can. 395 § 2), C. C. 15 ian. 1921 (A. XIII, 198).

[7] Pluries reprobata est a C. C. consuetudo vel praxis cumulandi omnes fallentias et eas in fine anni aequaliter *omnibus* distribuendi. *Gennari,* Quist. can.[2] Roma 1908, 452 s.

cedunt aliis dignitatibus praesentibus, his deficientibus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat,[1] aut alii pio loco, episcopi arbitrio (c. c. § 3).

Absentes quotidie notare, officium est *punctatoris*. Unum vel plures, secundum sua cuiusque statuta, quodlibet *capitulum* constituere *debet*. Episcopo autem integrum est *contrapunctatorem* nominare. Assumendi sunt inter chorales, exclusis cappellanis ad nutum amovibilibus et canonico poenitentiario, *iuramentum* praestare tenentur de munere fideliter obeundo, electi a capitulo coram hoc vel eius praeside, ab episcopo in eius manus. Punctatoris libri plenam fidem faciunt.[2] Eo absente senior e canonicis praesentibus eius vices supplere debet (c. c. § 4).

Auctor distributionum fuit *Ivo Carnuten.* († 1115?), qui eas primus in suum capitulum induxit «ut de negligentibus faceret diligentes et de tardis assiduos». Quae provisio exinde in multis ecclesiis recepta est. Aetate Decretalium iam erat iuris communis[3] et *Bonif. VIII* contrarias consuetudines improbavit.[4] Cum autem serius disciplina chori collapsa esset, *Conc. Trid.* (sess. XXI, c. 3 de ref.) eam ipsam legem, quae nunc in C. totidem verbis refertur, statuit et C. C. eam constanter applicavit, non obstante quacumque consuetudine. Punctatores vero a *S. Carolo*, qui eos in prima synodo prov. Mediolanensi instituit, originem repetunt.[5]

De *iure accrescendi* magna controversia olim fuit inter canonistas, praesertim quia Conc. Trid. in sess. XXI, c. 3 illud aperte admittit, in sess. XXII, c. 3 e contra videtur statuere ut fallentiae obveniant fabricae vel pio loco. Ad concordandos canones plures propositae sunt solutiones, sensim vero iurisprudentia illam interpretationem adduxerat, quae nunc in C. authentice et propius determinata statuitur.[6]

In quibusdam capitulis *omnes* reditus ex solis distributionibus constant. Quo in casu *duae* tertiae *partes* ut praebenda, alia ut portio pro actuali servitio consideratur (cf. can. 418 § 3 et 421 § 2). At illegitime absentes omnes tres partes amittunt.[7]

---

[1] C. C. in *Caurien.* 6 nov. 1621 (*Richter*, 151, n. 3) et pluries declaravit non esse in facultate episcopi alteri pio loco suo arbitrio distributiones applicare, donec fabrica eccl. cathedr. indigeat.

[2] Praecise quia est iuratus. Iurisprudentia constans C. C. et R. cf. ME l. c. 506, ubi etiam plura de punctatore.

[3] cf. c. 7, X. 3, 4 et c. 32, X. 3, 5.

[4] c. un. in VI. 3, 3.

[5] *Ben. XIV*, de syn. l. IV, c. 4 innuit punctatores iam tempore Innoc. III extitisse, tunc *obedientiales* vocatos, quasi ex obedientia invisum munus subirent.

[6] *Gennari*, Quist. can. 454; *Lavitrano*, l. c. 537 ss.; *Oietti*, o. c. v. *Fallentiae*. Haud omnia tamen dubia erant sublata, ut elucet ex plurimis singularibus quaestionibus C. C. propositis. — *Alia quaestio* est quomodo distibutionum et fallentiarum participent canonici *secundae* vel *tertiae* etc. erectionis, sicubi sint. Iamvero si in nova erectione aliquid de hac re conventum est, pactum pro lege erit; si nihil statutum praesumuntur novi eodem iure ac antiquiores uti, etiam in massa communi. *D'Annibale*, III, 180.

[7] *Gennari*, Cons. can. I, 95 s.

207. Collatio canonicatuum. *a) Dignitatum* provisio, in quolibet capitulo, reservatur Sedi Apostolicae. Iura quaesita, ut alii ex privilegio, fundatione vel conventione personam *praesentare* aut etiam officium conferre valeant, non abrogantur (can. 3 et 4). Cessat vero alia limitatio liberae collationis ex *iure optandi*, quo in multis capitulis aut antiquior canonicus ad ultimam dignitatem aut dignitas inferior ad superiorem ascendebat, sive illud consuetudine, quae reprobatur, sive privilegio apostolico, quod non sustinetur,[1] inductum fuerit, non autem si lege fundationis innititur. Prima *saltem* dignitas in capitulo cathedrali, quatenus fieri potest et ceteris paribus, debet esse laurea in theologia vel iure canonico ornata (can. 396).

b) Ceterorum *canonicatuum* et *beneficiorum*, quae non sint ex particulari causa S. Sedi reservata[2] vel superiori devoluta, collatio pertinet ad *episcopum*, audito illo capitulo cuius interest, reprobata quavis contraria consuetudine, revocato quolibet privilegio et abolita optione.[3] Suam vim autem retinent pacta concordata, leges fundationis et, quoad canonicum theologum et poenitentiarium, conditio concursus, ubi viget (can. 399 § 2, 403).

c) Qualitates in promovendis requisitae imprimis eaedem sunt ac pro omnibus officiis ecclesiasticis. Sed praeterea debent esse *sacerdotes*,[4] doctrina vitaeque integritate praestantes et, ceteris paribus, praeferendi sunt doctores in theologia aut iure canonico vel qui laudabiliter ministerium ecclesiasticum vel magisterium exercuerint (can. 404). Peculiariter in electione canonici *theologi* et *poenitentiarii* ratio habenda est gradus academici (in theologia pro primo, in theologia vel iure canonico pro altero), at omnibus attentis qui aptiores sunt *muneri* assumendi sunt. *Expedit* insuper ut poenitentiarius trigesimum annum expleverit,[5] *necesse est* ut nullum in dioecesi officium habeat, cui adnexa iurisdictio fori externi (can, 399).

---

[1] C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476). Quae interpretatio est evidenter *extensiva*, attento can. 4. Contra, inefficaci argumento, ME XXXII (1920) 152.

[2] cf. can. 1435.

[3] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573). Et quatenus excludat etiam optionem solius *praebendae*, seorsim a canonia, interpretatio videtur extensiva, ideoque, salvo meliore iudicio, saltem non applicanda omnibus optionibus, ex. gr. domorum.

[4] Hactenus saltem *dimidia* pars, nisi ius particulare aut consuetudo haberet ut plures aut omnes. *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 12 de ref.

[5] Hucusque quadragesimus inchoatus requirebatur. *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 8 de ref.

d) Provisio absolvitur per *institutionem corporalem*, secundum cuiusque capituli consuetudines vel statuta faciendam, quae possessionem tribuit et dicitur *installatio*. Cui praemittenda est *professio fidei* coram Ordinario eiusve delegato et coram capitulo (can. 405).

e) Canonicos *honorarios* unus episcopus, cum consilio capituli cui adscribendi sunt, nominare potest, non autem vicarius generalis aut capitularis. Ad *valorem* nominationis sacerdotis extradioecesani requiritur etiam consensns eius Ordinarii. Episcopi monentur ut raro et caute iure suo utantur; canonici ad honorem *extranei* numquam numero excedere possunt duas tertias partes titularium (can. 406).

Tempore vitae communis universi capituli erat consensum praestare in admissionem novi fratris. Illa dissoluta, modus providendi non est essentialiter mutatus, quia collatio omnium dignitatum, canonicatuum et beneficiorum in concordia ab episcopo et capitulo facienda erat. Haec forma *simultaneae collationis* dicebatur esse iuris communis. Tamen iam antiquitus alicubi *soli episcopo,* alibi *soli capitulo* collatio pertinuit aut alternative exercita est. Etiam *ius optionis* in multis locis (a saec. XIII) vigebat. Inde a saec. XII R. Pontifices coeperunt suam auctoritatem interponere per mandata de providendo, expectativas, reservationes particulares, quibus saec. XIII accesserunt *reservationes generales*, primae dignitatis (reg. 4 Cancell.), omnium beneficiorum in mensibus papalibus vacantium (reg. 9), aliaeque in parte adhuc conservatae (can. 1435).

Alias limitationes afferebant iura laicorum: *ius primariarum precum*, nimirum exigendi ut prima praebenda vacans in quolibet capitulo vel monasterio conferretur certae personae commendatae *(precistae),* quod occasione electionis vel coronationis exercuerunt primum imperatores, deinde reges (Galliae, Angliae), principes, imo etiam reginae, principissae, quidam episcopi;[1] multiplicia *iura patronatus;* demum privilegia et concessiones in *concordatis* vel aliter a S. Sede obtenta. Unde etiam hodie maxima varietas in hac re habetur et in singulis regionibus normae iuris communis haud parum sunt mutatae.[2]

208. Capitulorum iura. Cum capitulum sit verum *collegium*, omnibus iuribus fruitur quae personae morali collegiali in Ecclesia competunt. Praeterea specialia quaedam a iure conceduntur. Huc spectant:

a) Ius condendi sibi *statuta* (autonomia), quae nedum potest sed debet habere. His ordinantur regimen internum, servitium chori et altaris, coetus capitulares, administratio

[1] *Hinschius,* II, 639 ss.
[2] cf. *Wernz,* II, 781.

communium bonorum, munia a singulis obeunda aliaque huiusmodi, non vero iura episcopi aut negotia dioecesis. Possunt etiam poenas continere, dummodo hae limites disciplinaris correctionis non excedant. *Condenda* sunt per legitimum actum capitularem et ab episcopo *approbanda*, quodsi episcopo edicente ut statuta conficiantur capitulum intra semestre id praestare neglexerit, *ipse episcopus* statuta conficere ac imponere et potest et debet. Statuta conventa *abrogantur* vel *mutantur* per actum capitularem, consentiente episcopo; imposita, quamvis sint verae leges episcopales,[1] eodem modo tollenda vel reformanda videntur, nisi iterum capitulum in suo iure exercendo negligens sit (can. 410).[2]

b) Ius *acquirendi, possidendi* bona temporalia, eaque *administrandi*, attamen sub vigilantia Ordinarii (can. 1495 § 2, 1519 §§ 1 et 2).

c) Ius celebrandi *coetus capitulares*, in quibus de internis negotiis agatur. Hi sunt *ordinarii*, ad quos nulla specialis convocatio necessaria est, cum statis temporibus habeantur. Alii autem, *extraordinarii*, haberi possunt quoties id aut episcopo aut maiori canonicorum parti expedire videatur; ad hos convocatio facienda est secundum statuta capitularia. Quae nisi aliud caveant, convocator est *prima dignitas* vel, ea impedita, alius de gremio in ordine praecedentiae (can. 397 n. 4), salvo iure episcopi quando negotio dioecesano expediendo capitulum arcessit. Tunc etiam conventui interesse et praesidere facultas ei est, non item, iure communi, in aliis (can. 411 §§ 1 et 2).

Coetus capitulares et decisiones in eis factae sunt *actus collegiales*, in quibus normae a iure communi et particulari vel consuetudine statutas, tum ad validitatem tum ad liceitatem, servari oportet.[3] In eis *vocem habent* omnes dignitates et canonici, qui de gremio sunt (c. c. § 3), non autem hono-

---

[1] Statuta per se esse mera pacta conventionalia satis notum est (cf. supra n. 64), nec approbatio episcopalis aut etiam pontificia *necessario* eorum naturam mutat (cf. *Wernz*, II, 790, not. 171). Imo contrarium potius videtur praesumendum.

[2] Anceps affirmo, quia quaestio nova est. Equidem in Gallia, ubi episcopi suis capitulis statuta condiderunt, etiam privative ius mutandi exercuerunt, at hoc ex speciali S. Sedis concessione derivavit (Decr. card. Caprara, 9 apr. 1802 ap. *Bargilliat*, I, 734). Ex norma iuris communis vero, qua nunc primum utimur, videtur episcopus agere quasi *iure devolutionis* et proinde statuta ab eo imposita eodem censu habenda ac si essent a capitulo condita (cf. can. 158).

[3] cf. can. 101 et supra n. 99 b.

rarii nec mansionarii.[1] Ceterum C. hoc loco nullam aliam normam continet; sed ex positiva dispositione (can. 105 n. 2) et ex analogia applicanda sunt quae in can. 162 sanciuntur,[2] necnon regulae statutorum, quatenus novo iure non elidantur. Quae interdum *certum numerum* praesentium vel suffragiorum aut suffragia *personaliter* lata postulant; secus vero sufficit ut vel unus adveniat et, si plures, maior pars aliquid decernat, nec excluduntur procuratores.

d) Ius est praeterea et officium capituli, a dignitatibus et canonicis servato praecedentiae ordine exercendum, episcopi *vices supplere* in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus,[3] eidem pontificalia celebranti in ingressu ecclesiae *aspersorium* porrigere et presbyteri *assistentis* fungi officio, decumbenti *sacramenta* ministrare, defuncto *iusta funebria* persolvere (can. 397).

e) Capitulum cathedrale *praecedit* collegiali etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia, et omnibus coetibus clericorum sive saecularibus sive regularibus (can. 491 § 2), capitulum insigne praecedit non insigni (can. 408 § 1). Capitulum cathedrale ius habet mittendi duos legatos ad *concilium provinciale* (can. 286 § 3) omnesque eius canonici vocandi sunt ad *synodum dioecesanam,* ex collegiatis vero unus deputatus et ad *hanc* tantum invitari debet (can. 358 § 1).

f) Denique capitulo *cathedrali* ius est partes habendi *in regimine* dioecesis. Est enim senatus episcopi (can. 391 § 1). Quam participationem, sede plena, modernum ius potius ad *consilium* dandum quam ad *consensum* praestandum reduxit. Sed vel consilium *petere* negligens, quamvis eidem se conformare non teneatur, eo magis denegato consensu, ubi requiratur, procedens episcopus *invalide* agit. Tum consilium tum consensus danda sunt capitulariter.[4] *Consuetudo* numquam consulendi capitulum est *irrationabilis.*[5]

---

[1] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573) declaravit post C. «beneficiatos et mansionarios vocem in capitulis amplius non habere, si id eis competebat *tantum* ex statutis capitularibus»; unde concludere licet eam non amisisse si speciali titulo (fundatione, privilegio) innitebatur.

[2] cf. supra nn. 138-139.

[3] Quinam sint *dies,* quaenam *functiones episcopales* desumendum est e *Caeremoniali Episc.* l. II, cc. 1 et 34. Ibi 15 assignantur, possunt autem esse plures aut pauciores ex consuetudine. C. R. 9 iul. 1895, n. 3865; C. C. 12 mart. 1921 (A. XIII, 438); *Oietti,* Synopsis, v. *Functiones episcop.* II, nn. 2255 ss.

[4] cf. supra n. 102.

[5] Sententia communis doctorum *(Wernz,* II, 793), quae confirmatur definitione capituli cathedralis in can. 391 § 1.

Universim capitulum «audiendum est ab episcopo in rebus *gravioris* momenti»,[1] *taxative* autem a C. *consensus* requiritur: in restituendis dignitatibus extinctis et in instituendis novis praebendis (can. 394 § 2), in erigendis confraternitatibus vel piis unionibus in ecclesia cathedrali aut collegiali (can. 712 § 2), in alienatione bonorum, quorum pretium inter 1000 et 30.000 francorum continetur (can. 1532 § 3, cf. can. 1653 § 1), in bonorum locatione, si est ultra 30.000 lib. *et non* ultra novennium aut intra 1000 et 30.000 *et* ultra novennium (can. 1541 § 2). — *Consilium:* in constituendis prosynodalibus et in iis vel synodalibus removendis (can. 386 et 388), in definiendo numero canonicorum in capitulis receptitiis et in augendis reditibus praebendarum in aliis (can. 394 §§ 1 et 3), in designandis diebus et horis lectionis theologalis (can. 400 § 1), in conferendis canonicatibus et beneficiis in capitulo (can. 403), in nominandis canonicis honoraris (can. 406), in declarandis inamovibilibus paroeciis amovibilibus vel in amovibilibus erigendis (can. 454), in reservandis peccatis (can. 895), in statuenda taxa funeralium (can. 1234 § 1), in indicendis extraordinariis processionibus (can. 1292), in eligendis deputatis pro seminario (can. 1359 § 2), in uniendis, transferendis, dividendis, dismembrandis beneficiis (can. 1428 § 1), in eligendo consilio administrationis dioecesano (can. 1520 § 1) in supprimenda vel transferenda in poenam sede paroeciali (can. 2292).

209. Capitulorum obligationes. Recensita iura capitulorum secumferunt etiam correlativa *officia*, cum non in commodum privatorum, sed ad *bonum publicum* concessa sint. Praeterea autem speciales quaedam obligationes capitulis incumbunt.

a) Quodlibet capitulum tenetur ad *divina officia* persolvenda, quotidie, in choro.[2] Quae comprehendunt horas canonicas, missam conventualem pro benefactoribus in genere applicandam, alias missas secundum rubricas missalis vel ex piis fundationibus celebrandas (can. 413 §§ 1 et 2, 417 § 1). *Integrum* servitium divinum, iure communi, a *toto* capitulo explendum est, ex indulto apostolico vel ex fundatione subinde conceditur ut a dimidia tantum vel a tertia parte choralium *per turnum* (alternativa *mediaria* vel *tertiaria*), rarius ut solis diebus dominicis et festis fiat (can. 414). Horae *psallendae* sunt,[3] missa conventualis *canenda*, quam sine cantu legere licet dumtaxat cum episcopus vel loco episcopi alius

[1] Quae verba non quidem in C. sed in indice v. *Capitulum* leguntur.

[2] «Non in sacristia, nisi ex iusta causa, velut ob frigus, et de episcopi venia». *D'Annibale*, III, 178; *Gennari*, Cons. can. II, 222.

[3] «Modesta psallentium gravitas placida modulatione decantet» (c. un. Extrav. com. 3, 1). Alias non satisfaciunt (C. R. 22 maii 1841), quavis consuetudine non obstante (C. C. 7 iun. 1631). *Oietti*, o. c. v. *Canonici*, I, 726 ss. *Gennari*, Quist. can. 483.

in ecclesia pontificali ritu celebrat (can. 413 § 3);[1] obligationi satisfit per turnos unius hebdomadae, ita quidem ut *aut* nullam stipem qui sua vice fungitur accipiat *aut*, ubi adest consuetudo, stipes tribuatur ex cumulo distributionum vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum. Si autem gratis celebranda est, capitularis qui *infirmitate* detentus suum onus adimplere nequit eleemosynam substituto dare non tenetur, nisi id statutum aut consuetudo ferat (can. 417).

b) Capitulum tum cathedrale tum collegiale tenetur *episcopo* sollemniter missam celebranti vel alia pontificalia exercenti *assistere* et *inservire*, non solum in propria ecclesia sed etiam in aliis civitatis aut suburbii, dummodo invitetur et iudicio episcopi in ecclesia numerus sufficiens maneat. Quomodo et a quibus assistendum sit determinatur in libris liturgicis,[2] nec a ministerio diaconi et subdiaconi eximuntur theologus et poenitentiarius;[3] *alio* autem *celebrante* ab hoc onere liberi sunt, prout etiam dignitates et, si praebendae in ordines distinctae sint, canonici presbyteri (can. 416). Praeterea capitulum debet *comitari* episcopum accedentem ad ecclesiam cathedralem et recedentem.[4] Denique episcopus ius habet assumendi duos canonicos ut sibi in ecclesiasticis et dioecesanis negotiis assistant (can. 412).

210. Cura animarum. Ecclesia capitularis potest esse simul *paroecialis*, idque *duplici* modo. Aut enim paroecia est pleno iure unita et tunc capitulum est quidem parochus *habitualis* at nullam *actualem* curam exercere potest quae *tota vicario* inamovibili committenda est (can. 402, 452 § 2, 471). Aut vero paroecia est omnino sui iuris et dumtaxat ecclesia communis.[5] In utroque casu *relationes* inter parochum, qui

---

[1] Onus incumbit hebdomadario, quia missa episcopi *non* est *conventualis*. Idem dicendum de missa, quam dignitas aliusve *loco episcopi* impediti in diebus *episcopalibus* celebrat (can. 397). At conventualis est si dignitates ex recepta consuetudine in certis diebus, qui iure communi sunt episcopales, constanter celebrent, tunc applicatio facienda est a celebrante. C. C. 12 mart. 1921 (A. XIII, 438).

[2] *Caerem. Episc.* c. 8, n. 1. Plura sunt praeterea decreta C. R. cf. *Oietti*, o. c. v. *Assistentia*, I, nn. 449 ss.

[3] C. C. 14 febr. 1920 (A. XII, 117).

[4] *Caerem. episc.* l. I, c. 15.

[5] Hoc enim, licet rarius occurrat, iuri non repugnat (R. 2 apr. 1910, d. XIV, n. 3; 16 febr. 1911, d. VIII, n. 4; 9 sept. 1911, d. XLI, n. 32; 1 iul. 1913, d. XXXIV; 9 iul. 1915, A. VIII, 19); prout complura ostendunt exempla, v. c. in cathedrali Tridentina.

potest etiam esse canonicus, et capitulum, nisi aliud indultum apostolicum aut conventio in erectione paroeciae inita et ab Ordinario approbata ferat, sunt sequentes:

a) Parochus habet in genere omnia iura et obligationes paroeciales, neque in eius officio licet capitulo se immiscere aut eum impedire, imo canonici ex caritate tenentur eum adiuvare, ubi opus sit, maxime si designati cooperatores desint. *Potest* igitur parochus non solum omnes functiones *stricte* paroeciales [1] peragere, sed etiam alias quae in paroeciis fieri solent, dummodo hae a capitulo non fiant aut chorale servitium non perturbent. Ad eum pertinet quoque eleemosynas fidelium colligere vel recipere, administrare et impendere. *Debet* applicare pro populo, praedicare et catechismum explicare, scribere et custodire libros paroeciales, reliqua quae pastori incumbunt explere.

b) Capituli ius et officium est asservare Eucharistiam, tradita autem altera clavi parocho ut is petitioni fidelium satisfacere queat, invigilare ut in functionibus peragendis a parocho leges liturgicae observentur, ecclesiae curam habere eiusque bona et pia legata administrare, iusta funebria, cum missa exequiali, persolvere omnibus canonicis, etiam honorariis, et beneficiariis.[2]

c) Controversias, si quae oriantur, inter capitulum et parochum dirimit Ordinarius, qui imprimis curare debet ut explicatio evangelii et catechetica instructio hora *fidelibus* commodiore semper habeatur, licet hoc aliquod incommodum canonicis afferat (can. 415).

Innumerae et interdum fere inexstricabiles controversiae, quae in ecclesiis capitularibus cum adnexa cura animarum exoriebantur,[3] novis his normis magna ex parte de medio tolluntur. Non omnes fortasse, quia adhuc possibile est ut, ex indulto vel privilegio apostolico, capitulum retineat *curam actualem* eiusque *exercitium*. Sed episcopi erit, secundum mentem iuris, prospicere ut saltem adamussim definiatur in aliquo documento, quaenam sint iura et munia ipsi capitulo, quaenam cappellanis aliisve qui functiones et actus paroeciales peragunt, reservata.

[1] can. 462, vide infra n. 226.

[2] Etiamsi ii in alia paroecia commorabantur. Attamen non amplius ad capitulum pertinet suis *extrema sacramenta* ministrare, prout ex consuetudine in multis locis iuris erat. cf. *Bargilliat,* I, 767.

[3] cf. decisiones supra p. 324 not. 5 allegatas aliasque, ex. gr. R. 22 iul. 1911 (dec. XXXIV), 7 iun. 1913 (dec. XXXII).

211. Iura canonicorum. Praeter iura quae canonici simul sumpti seu *capitulariter* habent, *singulis* a capta legitima beneficii possessione competunt:

a) Scamnum in choro, quod conceditur etiam honorariis (can. 407 § 2).

b) Locus et *suffragium* in capitulo.

c) Ius percipiendi fructus *praebendae* et *distributiones* (can. 405 § 1).

d) Praecedentia, eo modo ordinata ut, salvis statutis vel consuetudine, dignitates praecedant canonicis, canonici possessione antiquiores posterioribus, titulares honorariis, hi beneficiariis; si quis capitularis autem episcopali charactere fulgeat omnibus praecedat. In capitulis, in quibus canonicatus distributi sunt in presbyterales, diaconales et subdiaconales, servanda est etiam praecedentia *ordinis,* intra eumdem ordinem vero potior est qui prior receptus in ordinem non in capitulum (can. 408).[1]

e) Insignia honorifica. Quae non ubique eadem sunt, nec iure communi determinata, sed in bulla erectionis vel privilegio pontificio concessa. Ea obtinent tum titulares tum honorarii, utrique ea adhibere possunt in tota dioecesi, ubi est capitulum, non autem extra, nisi vel episcopum comitentur vel episcopum aut capitulum repraesentent in conciliis aliisve sollemnitatibus (can. 407 § 1, 409). Imo canonici ad honorem alicuius capituli Urbis insignibus uti nequeunt extra suae ecclesiae eiusque filialium ambitum.

Etiam *beneficiarii* habent scamnum in choro, ius ad fructus praebendae et distributiones, vestes speciales.

212. Obligationes canonicorum. *Canonici* (et idem dicas, proportione servata, de *mansionariis)* tenentur communibus obligationibus beneficiatorum et insuper peculiaribus officiis, quae eis incumbunt quatenus capitulum constituunt, quod sane per eos sua munera explet. Huc facit imprimis obligatio *residentiae,* quae etiam *servitium chori* includit.

a) Capitulares *residere* debent assidue in *loco* capituli; attamen si servitium est pro omnibus quotidianum ius habent discedendi per *tres menses* in anno sive continuos sive intermissos,[2]

[1] C. C. 13 apr. 1918 (A. XI, 9), ex qua deducitur etiam nihil referre utrum praebendae habeant patrimonium separatum an indivisum.

[2] Computandos *per dies* non per horas. C. C. 17 iun. 1594 et 19 iul. 1920 ad VI (A. XII, 357).

vacationis causa, non diutius vero, reprobata contraria consuetudine, et breviore tempore tantum si id exigant statuta vel legitima consuetudo. Si autem indulta sit *alternativa* nullum ius ad vacationes habent, sed quibus diebus a choro iisdem etiam a loco abesse possunt (can. 419 § 1). Sine legitima causa et speciali licentia episcopi *nec* feriari licet iis temporibus et sollemnitatibus, quando episcopum quoque residere oportet apud cathedralem,[1] *nec* simul ultra tertiam partem capitulares abesse permittitur. Durantibus vacationibus percipiuntur fructus praebendae, at nullius generis distributiones, quamvis de iis concedendis omnes convenirent (can. 418).

b) Residere tenentur in *choro*. Commoratio in urbe sine servitio non est residentia formalis, ideoque ne ad fructus *praebendae* quidem suos faciendos sufficit. Et servitium *integrum* est praestandum, non obstante etiam immemorabili consuetudine; secus qui vel partem negligit[2] non solum distributiones illi adnexas amittit, sed quoad praebendam uti *per totum diem* absens est habendus.[3]

Servitium quisque *per se* obire debet; nihilominus sublata non est facultas se invicem *substituendi*, at tantum in casibus particularibus, iusta de causa et in ecclesiis ubi non omnes simul choro adstringuntur,[4] dummodo substitutus eo tempore liber sit et canonicum suppleat canonicus, beneficiarium beneficiarius. Si autem quis eodem die urgeatur onere missae conventualis *et* pro populo, illam celebrare et applicare personaliter *debet*, hanc aut per substitutum suo die aut ipse die sequenti applicare *potest* (can. 419).

c) Uti praesentes non censentur qui *veste chorali* non sunt induti. Quae, si in dignitate episcopali sunt constituti, est vestis episcopalis, alias illa quae in bulla erectionis vel indulto apostolico determinatur (can. 409 § 1).[5]

---

[1] can. 338 § 3, cf. supra n. 191.

[2] A statutis et consuetudine pendet quae pars cuiusque horae vel missae conventualis negligi possit sine punctatura. Non desunt doctores qui ne minimam quidem admittant. *Lavitrano*, l. c. 19. At indubie *reprobata* et nullius valoris est consuetudo quae integram horam impune omittere sinat.

[3] C. C. 10 iul. 1920 (A. XII, 357). *Poenae* incurruntur ad normam can. 2381. Fructus restituendi sunt *ante* omnem iudicis *sententiam* (can. 2232 § 1).

[4] Quibus verbis C. limitata videtur facultas ad ecclesias, ubi indulta est *alternativa*. Doctrina hucusque non distinguebat. In aliis casus practicus esse posset si aliquis *iubilatus* ad supplendum paratum se exhiberet.

[5] Concessiones quae hactenus vigebant in favorem *primae* dignitatis, quae esset protonotarius apostolicus, et *vicarii generalis* non videntur sustineri, nisi quatenus applicari possit can. 5. cf. *Lavitrano* l. c. 18.

d) Sunt autem *legitimae causae* quae, prout ceteros beneficiatos, etiam chorales a residentia et servitio *excusant*. Hae efficiunt ut fictione iuris quasi residentes habeantur et semper saltem fructus *praebendae* lucrentur, quaedam insuper, ex speciali dispositione iuris, ut etiam *distributiones quotidianas* et fallentias, aliae ut vel distributiones *inter praesentes*, nisi obstet expressa fundatorum aut oblatorum voluntas, percipiant. Omnes ad quattuor reduci possunt: infirmitas, iusta et rationabilis corporis necessitas, evidens ecclesiae utilitas,[1] christiana caritas; ut autem omnia dubia et incertitudines tollantur ius nunc singillatim eas recenset et *taxative* determinat (can. 420, 421).

1. Lucrantur, praeter fructus praebendae, distributiones *etiam inter praesentes:* iubilati;[2] qui exercitiis spiritualibus vacant at semel in anno tantum; qui episcopo sacra peragenti assistunt, etiam extra suam ecclesiam;[3] qui operam navant conficiendis processibus in causis sanctorum vel uti testes in eisdem causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant (can. 420 § 2).

2. Lucrantur reditus beneficii et *distributiones quotidianas:* theologus singulis diebus quibus suo munere fungitur, poenitentiarius dum tempore chori confessiones audit; qui ab episcopo deputati curam animarum habent, dum paroecialibus incumbunt officiis;[4] qui infirmitate[5] aliove physico impedimento[6] choro prohibentur assistere; qui R. Pontificis personae vel ab eo legati missi inserviunt; comitantes episcopum vel eius vices gerentes in visitatione Liminum aut in visitatione dioecesis; ab episcopo vel capitulo missi ad concilium aut synodum; qui, non contradicente episcopo et assentiente capitulo, absunt ob ecclesiae propriae utilitatem;[7] parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur (can. 420 § 1).

---

[1] *Bonif. VIII,* c. un. in VI. 3, 3 a *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 12 de ref. confirmatum.

[2] can. 422, cf. infra n. 214.

[3] can. 412 § 1 cf. supra n. 209 b. Non autem si assistant in *aliis* ecclesiis vel functionibus, ultra terminos alleg. canonis. *Lavitrano,* l. c. 342, not. 4.

[4] Intellige in *ipsa* ecclesia capitulari. Si in *alia*, ratione beneficii *capitularis,* solos fructus praebendae lucrantur, si autem ex *libere suscepta* obligatione, nec fructus nec distributiones. Ut perciperent opus esset dispensatione *pontificia. Lavitrano,* 267; cf. C. C. 12 dec. 1913 (A. VIII, 439).

[5] Dummodo ante infirmitatem fuerint soliti inservire et dummodo non infirmentur diebus quibus vacant aut (propter alternativam) a choro liberi sunt. At redeunte obligatione et morbo perdurante, ius habent ad distributiones. Qui ad chorum accedere possunt, licet psallere nequeant (exceptis perfecte coecis) tenentur. *Duplex* est enim et distincta obligatio: praesentiae et psalmodiae. *Lavitrano,* 68 ss., 112 ss.; *Gennari,* Cons. can. II, 107 ss., 340 ss.; Quist. can. 56 ss.; *Oietti,* o. c. v. *Chorus,* I, nn. 1020 ss.

[6] Plures causae hic subsumi solent a canonistis: pestis, iniusta expulsio, hostilitas potestatis publicae vel inimicitiae privatorum, exilium, carcer, excommunicatio, suspensio ab officio, dummodo iis omnibus capitularis culpabilem causam non dederit. *Lavitrano,* 145 ss.; *Oietti,* l. c.

[7] Necessaria est vera *utilitas* ecclesiae *capitularis,* ex. gr. ad litem persequendam, ad tractatus de gravioribus negotiis agendos et huiusmodi. Et requiritur ut *sine remuneratione* id fiat (C. C. 20 febr. 1915, A. VII, 262). Huc veniunt quoque servitia sacristae, organoedae, concionatoris, caeremoniarii in *ipsa* ecclesia. Aliae causae, etiam convenientiae, at non utilitatis, nec videntur iure communi admissae, nec ab episcopo aut capitulo admitti posse. *Lavitrano,* 264 ss.

3. Solos proventus beneficii, *amissis omnibus distributionibus,* suos faciunt: qui de Ordinarii licentia theologiam vel ius canonicum [1] *publice* docent in scholis ab Ecclesia recognitis; qui sub iisdem conditionibus his studiis operam dant; vicarius generalis, capitularis, officialis ac cancellarius, dum suis muneribus vacant; duo alii canonici quos sibi episcopus in auxilium assumpserit, dum re vera inserviunt (can. 421).

213. Theologus et Poenitentiarius. His peculiares sunt aliquae obligationes ex eorum munere deductae.

a) Canonici *theologi* est *publice* in ecclesia *capitulari* explanare S. Scripturam, vera methodo exegetica; tamen episcopus potest, si id utilius iudicet, eidem committere ut alia doctrinae catholicae argumenta evolvat, per modum concionis. *Quot* lectiones vel praedicationes habendae sint, plurimum pendet a loci consuetudine, at tandem ad *episcopum* cum capituli consilio pertinet id determinare.[2] Idem dicendum est de diebus et horis. Cum huic muneri sit assumendus qui prae aliis aptior est, debet quoque illud *per se* explere, nec brevi tempore impeditus tenetur alium sibi substituere. Si autem ultra *sex menses* officio satisfacere nequeat, alius sacerdos est ab episcopo deputandus qui illius expensis vices suppleat.

Nonnisi *per exceptionem* admittitur ut theologus, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat. Ut hoc episcopus iubere possit requiritur *gravis* causa, ut puta paupertas seminarii vel defectus sacerdotum. At si iusserit, tenetur theologus obsequi et sine remuneratione docere (can. 400).[3]

b) Poenitentiarius habet, vi muneris, potestatem fori interni *ordinariam* (quam tamen nequi delegare) absolvendi in dioecesi omnes, extra dioecesim dioecesanos, ab omnibus peccatis et censuris etiam episcopo reservatis.

Excipiendis confessionibus in ecclesia *capitulari*, non alibi, paratus semper esse debet horis, loco, sede, arbitrio

---

[1] Hoc valet de iis quoque qui docent *aliam scientiam* (hist. eccl., archeol. ling. bibl. etc.), quae in programmate scholae theologicae continetur, et etiamsi aliquam retributionem percipiant. C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573). Excusantur a choro *toto die* quo docent, non autem diebus festis vel vacationum vel feriarum. C. I. 24 nov. 1918 (ME XXXI, 175).

[2] In *Conc. Rom.* 1725 statutum erat ut ad minus *quadraginta* essent in anno, at alicubi vel *octo* tantum habentur.

[3] Qua conditione tantum et solis horis quibus docebat lucrabatur, iure antiquo, distributiones. *Gennari,* Cons. can. II, 500 ss.; *Oietti,* o. c. v. *Canonicus theol.* nn. 762 ss. Hodie neutra limitatio videtur sustineri, ex can. 420 § 1 n. 2.

episcopi opportunioribus, etiam tempore divinorum officiorum, a quibus eximitur dum actu poenitentes audit vel probabiliter accessuros expectat (can. 401).[1]

Adimpletio officiorum theologi et poenitentiarii speciali *sanctione poenali* urgetur.[2]

214. Iubilatio est indultum *pontificium,* quo capitulares post servitium quadraginta annorum ab obligatione chori eximuntur.

a) Haec facultas ipso iure *non* competit, sed a S. Sede (C. C.) impetranda est (can. 422). Conceditur autem sine ulla difficultate, si has *conditiones* verificari constet: 1. Servitium a *quadraginta annis* completis praestitum esse. Nihil interest utrum quis supernumerarius, mansionarius, canonicus fuerit, dummodo verus choralis;[3] utrum semper in eadem ecclesia an in distinctis, dummodo eiusdem dioecesis; totum tempus computatur, excepto eo quo quis mere honorarius fuit. 2. *Continuum;* cui non obstant absentiae ratione infirmitatis vel eiusmodi causae, at sane quae permittuntur studiorum gratia vel ex dispensatione pontificia.[4] 3. *Laudabile,* cuius conditionis testimonium exhibendum est Ordinarii. 4. In arbitrio Congregationis est denique videre an, indulto concesso, satis provisum sit *cultui divino.*[5]

b) Iubilatus verus canonicus vel capitularis manet, ideoque *omnia* sua *iura* conservat, excepto iure optionis, sicubi vigeat. Percipit igitur fructus praebendae, distributiones, fallentias, imo distributiones inter praesentes nisi fundatorum vel oblatorum voluntas, statuta vel consuetudo ab iis eum excludant. Liber est autem a *residentia* et *servitio,* et consequenter ab omnibus oneribus quae sunt cum iis connexa,[6] non vero ab aliis quae forte *eius* praebendae incumbant (cura animarum, missae fundatae), etc.

---

[1] *Gennari,* Cons. can. II, 160; *Lavitrano,* 301.

[2] can. 2384.

[3] C. C. 25 apr. 1914 (ME XXVII, 396 ss.).

[4] *Lavitrano,* l. c. 186; *Oietti,* o. c. v. *Iubilatio,* II, 2538.

[5] Haec conditio semper profecto prae oculis habetur a C. C., quae tamen iubilationes concedit etiam contra oppositionem episcopi vel capituli ex hac causa prolatam.

[6] Ut puta a missa conventuali (et si pro hac datur stipes ex massa communi indemnis reddendus est), a servitio altaris etc. non obstante contraria consuetudine. C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

Nunc primum iubilatio fundamentum obtinet in expresso *textu iuris*, hucusque innitebatur in constanti iurisprudentia et praxi C. C. quae iam a saec. XVII consuevit huiusmodi indulta concedere et statuta capitularia, in quibus iubilatio praevidebatur, approbare.[1] Initio *iuridice* reducebatur ad causam *utilitatis* ecclesiae, utpote quod promptiores et diligentiores fore capitulares censebantur, spe iubilationis allecti. Ex quo conceptu logice deducebatur necessitas servitii per totum tempus in *eadem* ecclesia praestiti. At serius, evolutione instituti progrediente, potius *merita* illius qui inservierat considerata sunt. Unde pronum erat admittere servitium in *distinctis* ecclesiis. Quae reapse recentiore aetate regula fuit. Imo nuperrime C. C. sufficiens aestimavit servitium quoque expletum in diversis dioecesibus.[2]

215. Consultores dioecesani. Mens est Ecclesiae ut in unaquaque dioecesi adsit capitulum cathedrale, praesertim ob munus adiuvandi et supplendi episcopum in *regimine*. Proinde eiusdem constitutionem vel restitutionem constanter urget. Cum autem in quibusdam dioecesibus graves difficultates erectioni obsistant, ius providet ut, donec capitulum haberi nequeat, aliud collegium in officio *senatus* episcopi sufficiatur: *coetus consultorum dioecesanorum*, quos Ordinarius, deficiente capitulo, nominare tenetur (can. 423).

a) Consultores numero saltem *sex*, vel in dioecesibus ubi pauci sunt sacerdotes ad minimum *quattuor*, sacerdotes, pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati, in civitate episcopali aut in locis vicinioribus commorantes, *libere eliguntur* ab episcopo *ad triennium* (can. 424, 425). Quo exacto, ab eodem aut substituendi aut confirmandi sunt. Aliquo quavis de causa deficiente, alius ab episcopo de *consilio* ceterorum consultorum sufficitur, qui tamen nonnisi reliquo triennii tempore in officio permanet. Idem facere potest et debet vicarius capitularis, at cum consultorum *consensu*, et ab eo electus indiget novi episcopi confirmatione, non item alii a decessore constituti. Si autem sede vacante *omnibus* triennium excidat, consultores persistunt in munere, episcopus vero eos intra sex menses a capta possessione aut confirmare aut substituere obligatur (can. 426). Omnes nominati *iuramentum* emittere debent de officio fideliter implendo.

---

[1] cf. *Ben. XIV*, de syn. l. XIII, c. 9, n. 15.

[2] C. C. 18 iun. 1915 (ME XXVIII, 420). Id autem in C. non est receptum, quia particulares conditiones (ex. gr. Hispaniae) supponit. At posito principio, quod nunc videtur regere hanc materiam, naturalis conclusio esset, ut ratio haberetur etiam servitii *dioecesi* impensi in aliis officiis. Si quis v. c. fuit per viginti annos parochus et per viginti canonicus aeque bene meritus est ac qui per quadraginta canonicus fuit. Et cum decisio ultimo pendeat ab aequitate C. C., in casu tentare licet.

Durante munere *removeri* possunt dumtaxat, ob iustam causam ac de consilio collegii, ab *episcopo* (can. 428), non autem a *vicario capitulari.*[1]

b) Coetus consultorum *locum tenet* capituli cathedralis in *iurisdictionalibus;* quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, huic tribuunt, ea omnia de coetu quoque consultorum intelligenda sunt (can. 427).

Coetus consultorum est institutum *necessarium*, quia si non haberetur multae dispositiones iuris, in dioecesibus ubi capitulum deficit, frustrarentur aut immutandae essent, unde magna disparitas in regimine, quae omnino contradiceret perspicuo moderni iuris studio unitatem et uniformatem disciplinae inducendi. Quare S. Sedes iampridem curaverat ut *aut* capitula, licet sine praebendis et cum minimo servitio chorali, erigerentur *aut* consultores eligerentur,[2] iique, *iure particulari,* in plurimis recentioribus dioecesibus aderant. Novum est dumtaxat quod nunc per C. sanctio *iuris communis* accedit.

X. VICARIUS CAPITULARIS.

216. Sedes impedita et sedes vacans. *a)* Deficiente in dioecesi vel quasi-dioecesi Praelato, duplex casus est distinguendus, prout sedes mere *impedita* aut *vacans* fit. *Impedita* dicitur cum episcopus physico aut canonico impedimento a iurisdictione, quam adhuc retinet, exercenda arcetur. *Physicum* impedimentum adest si episcopus captivus, relegatus, in exilium pulsus aut inhabilis (ex. gr. amens) ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare potest. Quibus in adiunctis regimen pertinet ad *vicarium generalem* vel ad alium virum ecclesiasticum quem episcopus deputaverit, imo etiam plures designari possunt qui sibi invicem in munere succedant. *Capitulum* nonnisi omnibus iis deficientibus vel absolute impeditis gubernationem assumere et vicarium capitularem constituere potest. Sed quicumque sit qui curam dioecesis suscipit, dumtaxat ad interim eam obtinet, quia statim monenda est S. Sedes (can. 429 §§ 1-4). *Canonicum* impedimentum, quo iurisdictio episcopalis *suspenditur,* est excommunicatio, suspensio vel interdictum. Tunc suspensa est simul potestas vicarii generalis (can. 371). Itaque recurrendum est illico ad

---

[1] Id merito deducit ex can. 426 § 5 *Vidal* in *Civ. Catt.* 1917, 4, p. 110. Secluso, uti patet, delicto.

[2] cf. *Vidal,* l. c. 109.

Sedem Apostolicam, ut ipsa provideat; quod officium incumbit *metropolitae,* eoque deficiente vel si de eodem agitur, antiquiori suffraganeo, si autem praelatus est immediate subiectus, illi metropolitae, cuius synodo interesse debet (c. c. § 5).[1]

b) Sedes *vacat* iisdem modis quibus cetera officia ecclesiastica,[2] at in *translatione* iam a momento quo episcopus eius certam notitiam accipit. Actus ab episcopo aut a vicario generali, antequam de vacatione authentice eis constiterit, positi, excepta collatione officiorum et beneficiorum, ex generali iuris principio valent. Vacantis dioecesis episcopus *translatus,* donec novae possessionem coeperit, administrationem retinet, at cum solis iuribus et obligationibus vicarii capitularis, cessante qualibet vicarii generalis potestate (can. 430).[3]

Alio modo vero ecclesia viduata et excepta peculiari S. Sedis provisione, iure communi regimen dioecesis ad *capitulum cathedrale* devolvitur (can. 431 § 1).

Administratio vacantis ecclesiae *historice* cum iure eligendi novum episcopum semper nexum habuit. Initio penes *presbyterium* fuit, quod saepe eam per archidiaconum, archipresbyterum et oeconomum curabat. Tempore quo *metropolitae* maximum influxum in nominationes episcopales obtinuerunt, proprios delegatos *(interventores, intercessores, visitatores)* deputabant, qui dioecesim simul cum praedictis regerent et praesertim invigilarent ne abusus committerentur atque curarent ut quamprimum recte secundum canones nova electio fieret.[4] Quando autem *principes* de ecclesiis arbitrio suo disponebant etiam iisdem vacantibus manus apposuerunt, praecipue ub bona sibi arriperent aut cui favebant tribuerent.

Obtento a *capitulo* exclusivo iure eligendi, regimen quoque sedis vacantis eidem reservatum est. Quod *aut* collegialiter *aut* per turnum *aut* per unum pluresve vicarios, ad nutum revocabiles et etiam multipliciter coarctatos in iurisdictione, exercere potuit. Sed cum haud parva inde sequerentur incommoda, *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 16 de ref. ius Decretalium eatenus mutavit, quod obligationem constituendi intra octo dies vicarium capitularem inamovibilem cum plena et a capitulo independente auctoritate induxit.

Alicubi ex speciali S. Sedis dispositione archiepiscopus aliusve episcopus ius habet designandi dioecesis vacantis *administratorem.*[5] Qui omnes et solas facultates obtinet quae vicario capitulari competunt, eisdemque obligationibus ac poenis est obnoxius (can. 431 § 2).

---

[1] can. 285, vide infra n. 239 d.

[2] cf. can. 183 ss. et supra nn. 146 ss.

[3] cf. supra n. 197 c.

[4] cf. *Hinschius,* II, 229 ss.

[5] cf. *Ben. XIV,* de syn. l. II, c, 9, n. 1. Eiusmodi dispositionem Conc. plen. Baltimoren. II pro dioecesibus St. Foed. Am. sept. non sustineri declaravit C. I. 24 nov. 1918, sed C. Cons. 22 febr. 1919 pro gratia ad triennium permisit (A. XI, 75). Item in ditione Canadensi et Terranova. C. Cons. 8 mai 1919 (A. XI, 233).

217. Vicarii capitularis constitutio. *a)* Quoties ad capitulum regimen dioecesis obvenerit, ipsum tenetur intra *octo dies* deputare *vicarium* qui loco sui iurisdictionem exerceat et *oeconomum* unum vel plures, si fructuum percipiendorum ei munus incumbat, utrumque officium autem etiam uni personae committere potest (can. 433 § 3). Elapso octiduo a certa vacationis notitia et nullo vicario constituto, eiusdem deputatio *devolvitur* ad metropolitam. Vacante vero ecclesia metropolitana tum in hac tum in suffraganeis capitulum negligens supplet antiquior provinciae episcopus; in dioecesibus exemptis metropolita electus pro synodo,[1] nisi in praelaturis regularibus constitutiones ordinis aliter provideant. Capitulum de morte episcopi, vicarius de sua electione Sedem Apostolicam quantocius certiorem reddere debet (can. 432).

b) Ad *valorem* electionis capituli requiritur: 1. ut *unus* deputetur, reprobata contraria consuetudine,[2] sacerdos, trigesimum aetatis annum egressus, ad eamdem sedem nec electus nec nominatus nec praesentatus; 2. ut *forma* servetur a iure pro canonica electione statuta[3] et ut numerus suffragiorum *absolute* maior, demptis nullis, in electum conspiret (can. 433).

Ad *liceitatem* opus est praeterea ut vicarius sit in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem earumdem disciplinarum vere peritus ac reliquis *qualitatibus* praeditus quae in vicario generali exiguntur, nulla autem est necessitas eum de gremio assumere.

Idoneus canonice electus, edita *fidei professione* coram capitulo, eo ipso obtinet iurisdictionem, quin necessaria sit ullius confirmatio (can. 438). Si electio *non idonei* peracta, statim, si ob defectum *formae* irrita, post octiduum, locus est devolutioni; si irritetur ob actionem de *comtemptu*, videtur nova esse facienda;[4] actus autem invalide electi ipso iure sunt nulli (can. 434).

---

[1] Iure antiquo, suffraganeae ecclesiae capitulum metropolitanum, exemptae episcopus vicinior vicarium, capitulo negligente, deputabat. — Sed quid iuris si sedes metropolitae synodalis est vacans? Nihil in C.; recurrendum ad S. Sedem.

[2] Hucusque in Gallia tolerata, ubi duo vel plures in solidum constituebantur. *Bargilliat*, I, 814 ss.

[3] cen. 160-182, vide supra nn. 137 ss. Hactenus sollemnis electio non requirebatur. *Wernz*, II, 795, II cum communi.

[4] Nec *alter* nec *tertius* casus in C. expresse consideratur: solutio data quoad *illum* innititur can. 161 et 432 § 2, quoad *hunc* doctrinae hucusque receptae.

Conc. Trid. iusserat ut vicarius esset doctor vel licentiatus in *iure canonico*. Quae dispositio multis controversiis et disceptationibus originem dedit. Doctrina communis, pluribus C. C. decisionibus suffulta, hactenus has regulas firmaverat: *a)* Existente graduato iuris canonici in capitulo, ceterum idoneo, hic erat ad valorem eligendus; *b)* Doctori non idoneo praeferendus erat canonicus idoneus, licet non graduatus; *c)* Si idoneus, etiam non graduatus, in gremio aderat, capitulum non tenebatur doctorem extra gremium quaerere; *d)* Gradus in theologia in casu nihil referebant.[1]

218. Potestas et obligationes. In *capitulum* transit episcopi ordinaria iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, eamque per octiduum etiam collegialiter exercere potest. Deputato vicario, ad hunc *tota* devolvitur, nec ullam limitationem aut conditionem a capitulo positam admittit (can. 437).[2] Unde, cum de eadem potestate agatur, sufficit exponere quaenam vicario capitulari competat.

a) Vicarius capitularis est *Ordinarius loci* (can. 198 § 1), qui vi officii omnia agere potest quae episcopus, exceptis iis tantum quae in iure expresse sunt eidem prohibita, Nedum igitur iurisdictionem vicarii generalis, sed ampliorem obtinet, cum nec reservationibus episcopi, nec necessitate specialis mandati coarctetur.[3] Insuper ei fas est cuilibet episcopo *exercitium pontificalium* in dioecesi permittere, et si charactere episcopali sit ornatus ipse quoque ea peragere potest, excluso tamen usu throni et baldachini, quem etiam aliis concedere nequit (can. 435 §§ 1 et 2).

b) Limitatur autem potestas vicarii capitularis generali illo iuris principio: «Sede vacante nihil innovetur» (can. 436).[4] Quare tum ipse tum capitulum omni studio cavere debet ne quidquam agat quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium afferre possit, nominatim vero eisdem aliisque

---

[1] Vide plures decisiones C. C. apud *Richter*, 373, nn. 4 ss.; *Bargilliat*, I, 812 ss.; *Wernz*, II, 795.

[2] In hac re incerta fuit longo tempore iurisprudentia, dum C. C. usque ad saec. XVIII limitationes in favorem capituli admitteret, C. Ep. et Reg. eas respueret. (cf. dec. C. Ep. et Reg. ap. *Bizzarri*, 260, 277, 279, 410; C. C. apud *Richter*, 374 nn. 11 ss.). Tandem quaestionem definite resolvit *Pius IX*, const. *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1873 (Coll. 1496).

[3] cf. can. 368 § 2 et supra n. 200. c. Tenetur autem habere *Officialem*, in iurisdictione contentiosa, qui idem est quem episcopus nominaverat, quia nec a munere cessat nec a vic. cap. removeri potest; si autem ille deficiat aut ipse in vicarium eligatur, debet novum constituere (can. 1573).

[4] Rubrica tit. 9, l. 3, X.

omnibus, adiecta poenali sanctione,[1] interdictum est quaelibet documenta Curiae subtrahere, destruere, celare, corrumpere (can. 435 § 3).

c) Honoris causa, omnibus clericis dioecesis *praecedit,* nisi quis episcopali dignitate fulgeat, ipse ea careat; durante munere *insignibus* et *privilegiis* protonotarii apostolici titularis utitur (can. 439, 370); *ius* habet ad congruam *retributionem,* a concilio provinciali vel consuetudine determinatam, quae ex reditibus mensae episcopalis desumitur, reservatis ceteris emolumentis, quae sede plena episcopo pertinerent, futuro antistiti (can. 441).

d) Obligationes vicarii capitularis, praeter studiosam administrationem dioecesis, sunt *residentia* et *applicatio* missae *pro populo,*[2] secundum easdem normas quae de episcopo vigent (can. 440).

Actus a iure expresse vicario capitulari *prohibiti* sunt: incardinationem vel excardinationem nondum ab anno vacante sede concedere (can. 113); convocare synodum (can. 357 § 1); nominare canonicos honorarios (can. 406 § 1); inamovibiles declarare paroecias amovibiles (can. 454 § 3); paroecias liberae collationis conferre infra annum a vacatione sedis (can. 455 § 2 n. 3); condere congregationes religiosas (can. 492 § 1); pias associationes erigere aut consensum pro earum erectione vel aggregatione praebere (can. 686 § 4); peccata reservare (can. 893 § 1); dare dimissorias, intra annum, non coarctatis; omnino vero reiectis ab episcopo (can. 958); stipem ecclesiae dandam pro missae celebratione definire (can. 1303 § 3); unire duas paroecias aut paroeciam cum beneficio non curato (can. 1423 § 1); beneficiorum permutationes permittere (can. 1487 § 1); Officialem, vice-officialem, promotorem iustitiae, vinculi defensorem amovere (can. 1573 § 5, 1590 § 1).

219. Cessatio. Vicarius capitularis legitime constitutus a sola S. Sede *removeri* potest; eius potestas autem *cessat* iisdem modis ac in reliquis magistratibus ecclesiasticis et praeterea statim ac novus episcopus canonicam possessionem dioecesis coeperit. Si durante munere *renuntiare* velit, id intimare debet quidem in authentica forma capitulo, sed nulla huius acceptatio est necessaria. Ad capitulum autem pertinet, quomodocumque vicarius deficiat, etiam per remotionem, novum eligere, secundum normas communes (can. 443).

---

[1] can. 2405. cf. can. 382.

[2] Ab hac hucusque liber erat.

Novi episcopi ius et officium est a capitulo, a vicario capitulari et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti, *rationem exigere* iurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet, ac scripturarum ad ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint, et quavis ratione reos punire, etiamsi a capitulo vel a capituli deputatis absolutionem et liberationem impetraverint (can. 444).

Oeconomus, qui ad res temporales tantum gerendas et praesertim ad mensam episcopalem administrandam deputatur, eodem iure ac vicarius capitularis, quoad electionem, remunerationem, remotionem, reddendam rationem, utitur. *Qualitates* in eo requisitae sunt fides et diligentia, in munere obeundo subest vicario capitulari (can. 432, 433, 441, 442, 443, 444).

XI. PASTORES INFERIORES.

220. Subdivisio dioecesis. *a)* In constitutiva ordinatione Ecclesiae uti regula generalis habetur *competentia territorialis*, qua ordinarie omnis iurisdictio circumscribitur. Hoc in superioribus gradibus hierarchiae iam initio factum est (supra n. 180), decursu temporis intra fines quoque dioecesium fere universim invaluit, nunc ubique induci iubetur. Ex iuris dispositione (can. 216) enim territorium cuiuslibet dioecesis dividendum est in *distinctas partes territoriales,*[1] unicuique parti sua peculiaris *ecclesia* cum *populo* particulari assignanda, suusque peculiaris *rector,* tamquam proprius eiusdem pastor, pro necessaria animarum cura praeficiendus. Haec territoria vocantur *paroeciae.*[2] Pari modo, ubi commode fieri potest, dividendi sunt in *quasi-paroecias* vicariatus et praefecturae apostolicae.[3]

Hoc posito principio, ut *exceptiones* censendae sunt paroeciae in quibus competentia *ratione personarum* determinatur. Huc veniunt quae pro diversitate sermonum seu

[1] Cuius *fines* certi, determinati, perpetui, immutabiles sint oportet, qui mutari non possunt pro lubitu a privatis civibus aut a civili auctoritate, sed dumtaxat ab ecclesiastica, ad normam canonum, cf. can. 1509 n. 4; R. 21 iul. 1911 (dec. XXXIII, n. 6).

[2] Hae esse debent in qualibet *dioecesi,* etiamsi recenter ad ius commune traducta. Quodsi interim aliquae ecclesiae in paroecias erigi nequeant, constituendae sunt ut *subsidiariae* vel *cappellaniae,* intra fines tamen alterius paroeciae canonicae. C. Cons. 1 aug. 1919 (A. XI, 346). At in dioecesibus quae adhuc sub iurisdictione C. P. F. sunt permittitur ut aliqua pars territorii *indivisa* maneat, partes divisae autem veniunt quidem *nomine paroeciarum* sed utuntur *iure quasi-paroeciarum.* C. P. F. 9 dec. 1920 (A. XIII, 17).

[3] C. P. F. 25 iul. 1920 (A. XII, 331), ubi S. C. urget ut *quasi-paroeciae* erigantur, etsi in toto territorio hoc fieri nequeat aut limites accurate definiri non possint.

nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium extant *(nationales)*, quae pro personis ad certum ordinem, v. c. ad militiam *(personales)* aut ad certam familiam *(familiares, gentilitiae)* pertinentibus sunt erectae.[1] Quae omnes aut ex historicis aut ex opportunitatis causis derivantur, ob suam singularitatem autem *nec* novae constitui *nec* constitutae innovari vel supprimi possunt inconsulta Sede Apostolica (c. c. § 4).

b) Insuper alia circumscriptio in dioecesi esse debet: in regiones seu districtus pluribus paroeciis constantes, qui veniunt nomine *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus* etc. Haec quoque necessaria est, si autem ratione circumstantiarum, ex. gr. parvitatis dioecesis, videatur impossibilis vel inopportuna, episcopus tenetur consulere S. Sedem, nisi ab eadem iam fuerit provisum (can. 217).

c) In paroecia cura animarum et cultus divinus commissi sunt parocho eiusque vicariis (can. 464). Dari tamen possunt ecclesiae quae, etsi paroecialitate careant, aliqua independentia gaudent et inter certos limites necessitatibus fidelium inserviunt. Qui has administrant dicuntur *rectores*.

a) Primis saeculis ad ecclesiam urbanam, ubi episcopus cum presbyterio cultum divinum celebrabat et sacramenta administrabat, omnes fideles conveniebant, etiam qui forte ruri degerent. Aucto in *vicis* et *villis* numerus christianorum, etiam ibi ecclesiae conditae sunt, in quibus sacerdotes ab episcopo missi officia persolvebant, initio quidem qualibet vice in civitatem revertentes, deinde vero (saec. V) *stabili modo* constituti. Sensim hae communitates a matrice plene distinctae sunt, praecipue cum inde a saec. VI beneficia incoeperint, earumque pastores totam curam animarum, exceptis iis quae episcopo erant reservata, exercuerunt, clerici iisdem addicti collegium ad instar praesbyterii episcopalis efformaverunt, cui praeerat *archipresbyter*.[2]

Decursu temporis in locis quoque minoribus, imprimis in praediis dominorum feudalium, minora aedificia sacra extructa sunt, quibus aut episcopus aut ipse dominus sacerdotem praeponebat *(oratoria, martyria, basilicae, cappellae, tituli, « ecclesiae propriae »)*. Attamen ad sollemniores functiones et nominatim ad baptismum recipiendum fideles ad ecclesias

[1] De his plura ap. *Oietti*, In ius antep. et pianum, 67 ss.

[2] His dictis *summae lineae* processus iuridicae evolutionis indicantur. Ceterum nec eodem tempore, nec eodem modo ubique locum habuit. In *Oriente* iam saec. III memoria extat presbyterorum in agris, in *Occidente* saec. IV; alicubi prius alibi serius residentes facti sunt, ita etiam varia aetate ab ecclesia civitatis plane soluti. Notitiae, quae supersunt, paucae et incertae, unde multa coniecturis innituntur. cf. *Hinschius*, II, 262 ss.; *Scherer*, I, 627 ss.; *Zorell*, Die Entwicklung des Parochialsystems in AK LXXXII (1902) 74 ss. 258 ss.

principialiores confluere debebant, proinde hae *tituli maiores, eccl. baptismales* dicebantur et archipresbyter tamquam praepositus titulorum minorum rectores regebat. Qui tamen paullatim sui iuris facti suas *plebes* uti veri parochi obtinuerunt *(plebani).*

Evolutio tardius completa est in *urbibus.* Erectae sunt quidem hic quoque multae ecclesiae, iisque proprii sacerdotes addicti, sed usque ad exitum saec. XI *unica* paroecia fuit ecclesia cathedralis, in qua plerumque archipresbyter, prius nomine episcopi serius nomine capituli, curam animarum exercebat.[1] Demum hac aetate aliquae ecclesiae urbanae iura paroecialia assequi coeperunt, at nondum absoluta erat circumscriptio in civitatibus episcopalibus tempore *Conc. Trid.,* quod (sess. XXIV, c. 13 de ref.) praecepit ut ubique induceretur. Sed vel hoc decretum non ubique adamussim executioni mandatum est.[2]

b) Inde a saec. IX mos invaluit ut plures paroeciae in ampliores districtus adunarentur, quibus vel archipresbyter tituli maioris vel alius clericus ab episcopo deputatus praeficiebatur. Qui in fontibus frequenter etiam nomine *Decani* venit.[3] Territoria *(archipresbyteratus, decaniae)* saepe, at non semper, cum civilibus regionibus congruebant, Archipresbyteri seu decani munus fuit invigilare ut clerici honestam vitam ducerent, sua officia implerent, in populo abusus non irreperent, patrimonium ecclesiasticum bene administraretur. Cui fini conventus semel in mense, serius bis in anno convocabant. Medio aevo omnes clerici decaniae constituebant corporationem *(capitulum rurale)* cum suis statutis et iure eligendi ac praesentandi decanum.

Tempore potestatis archidiaconorum, horum sub sua quisque iurisdictione plures archipresbyteratus habuit. Ex qua ordinatione illud mansit, quod adhuc aliquae dioeceses in regiones plures decanatus continentes divisae sunt.

A. VICARIUS FORANEUS.

221. Institutio et officium. *a) Vicarius foraneus* (Decanus) est sacerdos qui vicariatui foraneo praeest (can. 445). Libere *eligitur* ab episcopo, qui prudenti arbitrio assumere potest quem dignum et aptum iudicaverit, praesertim inter parochos districtus, quin tamen hac conditione alligetur, eo minus con-

[1] Exceptio quae communiter affirmatur quoad urbes *Romam* et *Alexandriam,* in quibus iam saec. III-IV fuissent paroeciae, modernis scriptoribus non videtur satis probata. Erant quidem in illis tituli et stabiles presbyteri qui certa munia obirent (imo presbyteri Alexandrini forte episcopali charactere insigniti), at num totam curam exercerent, non constat. cf. *Zorell,* l. c. 84 s.

[2] Antiquae unitatis vestigium erat *unicus fons baptismalis* in cathedrali, qui usque ad recentissima tempora in compluribus urbibus Italiae habebatur.

[3] *Decani,* «quod praeerant decaniis quae singulae decem titulos sive ecclesias comprehendebant» *(Devoti,* Ius can. l. I, t. 14, § 4). Alii nomen derivari dicunt ex decanis qui praepositi civiles vicorum aut inspectores praediorum feudalium erant *(Scherer,* I, 619), alii denique, et verisimilius, ex decano capitulorum vitae communis.

ditione certae sedis.[1] Tenetur tamen in vicariatu vel in loco non valde distanti *residere* (can. 448 § 2). Est ad nutum *revocabilis* (can. 446).[2]

b) Potestas decani ex parte ordinaria ex parte delegata est dicenda. *Ordinaria* quatenus a iure communi vel a iure synodi provincialis aut dioecesani officio adnectitur,[3] *delegata* quatenus episcopus speciales facultates singulis committere potest.[4]

Quae autem ex *iure communi* ei competit potius quam ad veram iurisdictionem ad munus inspectoris et relatoris reducitur. Est enim eius ius et officium potissimum *invigilare* in vitam et honestatem clericorum; in parochos num obligationes suas adimpleant et decreta ab episcopo in visitatione lata executioni mandent; in res liturgicas praesertim circa materiam Eucharistiae, nitorem ecclesiarum et suppellectilium, caeremonias in missa aliisque functionibus sacris servandas; in administrationem bonorum ecclesiasticorum et piarum fundationum. Quae omnia ut bene perspiciat, statutis ab episcopo temporibus debet sui distictus paroecias *visitare*. Pertinet etiam ad decanum curare ut parocho *aegrotanti* spiritualia et temporalia auxilia, *defuncto* honesta funebria non desint, ac ne hac occasione libri, documenta vel obiecta ecclesiae pereant aut asportentur (can. 447).

c) Vicarii foranei est convocare ad normam canonum *conferentias* casuum eisque praesidere, aut si in diversis locis districtus habeantur saltem invigilare ut recte fiant (can. 448 § 1).

d) Vi muneris, et seclusa iuris particularis concessione, *nequit* per se decanus *provisiones* capere nisi ad interim, sed si quae extraordinaria et immediatum remedium exigentia occurrant, statim; secus saltem semel in anno ad Ordinarium

---

[1] Est quidem in multis dioecesibus consuetudo ut officium decani cum certa paroecia semper coniunctum sit, at haec consuetudo evidenter non est efficax ad potestatem episcopi limitandam.

[2] Ex aequa et rationabili causa (can. 192 § 3), cf. R. 27 iul. 1909 (dec. XIII) et 10 iun. 1910 (dec. XX).

[3] Mere *delegatam* esse tenet *Vermeersch-Creusen*, 393. Non videtur: nam nunc officium vicarii foranei est in iure communi receptum, eius quaedam munia hoc ipso iure definiuntur *explicite* et *taxative*, alia *implicite* quatenus iuri particulari determinanda relinquuntur. Haec omnia aut *saltem illa* respondent definitioni can. 197 § 1.

[4] Vide ex. gr. Const. dioeces. Tridentinam «*de officio decani*», 6 apr. 1911 in Raccolta di atti dioces. Trento 1913, 122 ss. aut in AK XCII (1912) 316 ss.

referre tenetur. In ratione reddenda status suis territorii, omnibus fideliter expositis, quidquid agendum existimet ad tollendos abusus aptius, episcopo proponere debet (can. 449).

e) Vicarii foranei non sunt dignitates, solent tamen habere aliquod insigne vel titulum honorificum, et limitatas facultates gratiosas obtinere, *praecedunt* omnibus parochis et sacerdotibus sui districtus,[1] utuntur peculiari sigillo (can. 450).

B. PAROCHUS.

222. Officium. Nomine *paroeciae* venit subinde *coetus* fidelium quem parochus regit, subinde *ecclesia* in qua hic functiones sacras peragit, plerumque autem intelligitur ultimum *territorium* in subdivisione dioecesis (n. 220) et *officium* curae animarum, quod huius pastori committitur. Paroecia nedum officium sed pro regula etiam *beneficium* est, quia aut dotem habet adnexam aut pro dote a lege certae et debitae praestationes, oblationes fidelium, iura stolae considerantur.[2] Eius *erectio*, proinde, *innovatio, suppressio* fiat oportet secundum normas iuris beneficialis, quod praeter communes plures quoque beneficiis curatis proprias continet, cum praecipuus finis cui intendit et suprema regula qua utitur salus animarum sit.[3]

Paroeciarum *partitiones*, quae potissimum referunt, sunt:

a) in *independentes*, quae omnino sui iuris sunt, et *incorporatas* quae aut in temporalibus et spiritualibus aut saltem in temporalibus unitae sunt alteri officio vel instituto ecclesiastico. Si, ut plerumque, incorporatio facta est *pleno iure* personae morali, curam *habitualem* haec retinet, *actualis* vero committi debet vicario (can. 471). Eiusmodi uniones, quae olim frequentes fuerunt, sunt hodie reservatae S. Sedi (can. 452).

b) in *inamovibiles* et *amovibiles*. Antiquo iure communi omnes paroeciae erant beneficia perpetuitate obiectiva et subiectiva praedita. Tamen decursu temporis alicubi institutae sunt paroeciae, quarum rectores ad nutum essent revocabiles, idque ob adiuncta temporum et locorum a S. Sede toleraba-

[1] Hanc praecedentiam interpretandam esse extensive et abrogata esse per can. 450 § 2 omnia contraria decreta C. R. affirmat ME XXXII, 26 ss.

[2] can. 1410.

[3] can. 1415 § 3, 1423, 1424, 1425, 1426, 1427, 1429 § 2, 1430.

tur.[1] Etiam novum ius paroecias inamovibiles praefert. Ideoque quae tales sunt *nequeunt* amovibiles reddi sine beneplacito apostolico; quae amovibiles *possunt* ab episcopo, audito capitulo, inamovibiles declarari; quae ex novo eriguntur *debent* inamovibiles esse, nisi ob speciales causas episcopus de consilio capituli amovibilitatem magis expedire decreverit. *Quasi-paroeciae* sunt omnes amovibiles (can. 454 §§ 3-4).

c) in *saeculares* et *religiosas,* prout ad solos clericos saeculares vel ad solos clericos religiosos spectant. In dubio saeculares *praesumuntur* omnes extra ecclesias vel domus religiosorum erectae.[2] Si religioni sunt *ad temporalia* tantum unitae, instituendus est parochus saecularis, si *pleno iure* incorporatae, vicarius religionis alumnus.[3] At fieri etiam potest ut ex privilegio, indulto, necessitate ecclesia paroecialis sit religiosis concredita. In quolibet casu autem parochus vel vicarius religiosus est semper *ad nutum* tum Ordinarii tum superioris *revocabilis.* Qua in re uterque, altero monito, pari iure fruitur, alterius consensu minime indiget, nec alteri causam sui iudicii aperire multoque minus probare tenetur; contra decretum recursus datur in *devolutivo* tantum (c. c. § 5).

d) in *locales, personales, gentilitias.* Locales regulam, reliquae exceptionem constituunt. At paroeciae personales saepe etiam ad certum territorium limitantur (v. n. 220).

e) in *matrices* et *filiales.* Historice hae ab illis originem habuerunt, iuridice matricitas ex conventione vel consuetudine secumferre potest ut a filiali, salva eius paroecialitate, aliquod signum honoris illi exhibendum sit.[4]

Quae omnes divisiones etiam *parochis* applicari possunt.

a) Paroeciae antiquitus *ecclesiae rusticanae, dioecesanae, parochitanae, dioeceses* quoque vocabantur, dum nomen paroeciae dioecesi tribuebatur. De origine nominis non una est sententia, sed ea praeferenda, quae illud a *παροικεῖν* = in terra aliena commorari, peregrinari, deducit.

---

[1] Ita pluries respóndit S. Sedes episcopis Galliae et Belgii, imo prohibuit ne, ipsa inaudita, ulla immutatio fieret. *Bargilliat,* II, 1016; *Eiusdem,* Droits et devoirs des curés [14], Paris 1920, 39. Parochi *amovibiles* (desservants) inducti sunt in Gallia lege civili (articl. organ. 31), sed postea fuerunt etiam in Anglia, America et alibi.

[2] cf. can. 1411 n. 2

[3] can. 1425.

[4] cf. can. 1427 § 4. Olim saepe fons baptismalis, coemeterium, annuus census reservabatur. Ius huiusmodi reservationibus non favet. *Wernz,* II, 821; *Scherer,* I, 640. Peculiariter interdictum est in novis erectionibus fontem baptismalem reservare.

In antiquissimis enim documentis christianis conceptus ecclesiae quae in mundo nonnisi peregrina est frequentissime occurrit, saec. II titulus *παροικοῦσα* ecclesiae additus est iam terminus technicus.[1]

Nomen *parochi* e contra demum post *Conc. Trid.* (decr. *Tametsi*) factum est commune, saec. XV labente prima eius vestigia in Hispania inveniuntur, priore medietate saec. XVI autem in synodis Gallicis, Germanicis et Hispanicis interdum usurpatur. Ortum esse dicitur ex abbreviatione, qua « parochianus (sacerdos) » *parochus* scribebatur.[2] In antiquis fontibus appellatur *sacerdos proprius, presbyter parochianorum, dioecesanus, plebanus, curatus, persona, rector ecclesiae, pastor, curio.*

b) Si quaestio oritur an aliqua ecclesia ut paroecia habenda sit, a matrice independens, attendenda sunt *signa paroecialitatis.* Quae ad quinque reducuntur: fons baptismalis, assistentia matrimoniis, ius distribuendi communionem paschalem, ius funerandi, applicatio pro populo. Si omnia adsunt ecclesia est certe paroecia, at si unum vel alterum deficit non statim contrarium affirmari potest, cum praesertim fons et supultura olim saepe matrici reservarentur.[3] Ceterum usque ad C. officium parochi fere exclusive a *doctrina* et a *iurisprudentia* erat determinatum, cum in antiquis fontibus textus illud respicientes desiderarentur.

c) Officium parochorum est *institutionis ecclesiasticae.* Hoc vel historia tam perspicuum est, ut sententia quae eos iuris divini esse tenuit vix refutationem mereri videatur. Primus qui eam incidenter protulit, fuit *Guilelmus de S. Amore,* doctor Parisiensis († 1272), durante celebri controversia inter professores saeculares et mendicantes de iure docendi in universitate.[4] Maioris ponderis fuit auctoritas *Gersonii* († 1429), qui eam ex instituto defendendam suscepit.[5] Deinde facta est apud Sorbonam translaticia, eique Gallicani, Febroniani et Iansenistae summo ardore adhaeserunt.[6] Duobus praecipue argumentis utebantur: parochi sunt successores 72 discipulorum; Christus presbyteros instituit, ergo hos gradum in hierarchia iure divino habere necesse est. Illud historicae veritatis, hoc logicae conclusionis defectu laborare, palam est.[7]

---

[1] cf. *I Petr.* 1, 1; 1, 17; 2, 11; *Hebr.* 11, 13; *I Clem.* inscr.; *Polyc.* ep. inscr.; *Martyr. Polyc.* inscr.; *ep. eccl. Lugdun.* (ap. *Euseb.* H. E. 5, 1); *ep. ad Diognetum,* 5, 5. *Vizzini,* Bibl. SS. Patrum (Romae s. a.) I, 122; II, 204; *Harnack,* Entstehung 36 s.; *Stolz,* *Παροικία,* parochia und parochus in Th. Q. Schrift LXXXIX (1907) 424 ss.

[2] Unde derivationes a *parocho* classicae latinitatis (praefecto stationum, copiario, caupona) falsae sunt. At concedi potest humanismum, qui iam nomina *curiam* et *curionem* invexerat, receptionem et diffusionem novi nominis promovisse. *Stolz,* Zur Geschichte des Terminus parochus, l. c. XCV (1913) 193 ss.

[3] *Aichner,* o. c. § 126, 2; cf. *Bouix,* Tractatus de parocho, Parisiis 1855, 174 ss.

[4] cf. *Kirchenlex.* XII, 1580-1586; *Iallonghi,* La grande discordia tra l'Università di Parigi e i mendicanti in *Scuola catt.* XIII (Milano 1917) 489 ss. XIV (1918) 104 ss. 178 ss. 374 ss. Eum refutavit S. Thomas in opusc. Contra impugnantes Dei cultum et religionem.

[5] De statu curatorum considerationes XII; De statibus ecclesiasticis.

[6] cf. *Pius VI,* const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, contra syn. Pistor. pp. 9 et 10. (*Denz,* 1509, 1510).

[7] In refutando *parochianismo* vel *parochismo* plus quam centum paginas impendit *Bouix,* o. c. 46-164, quem adeat qui plura desiderat.

223. Notio et potestas. *a)* «*Parochus* est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda» (can. 451 § 1). Quae definitio comprehendit etiam parochos habituales, licet ii ab actuali cura sint omnino exclusi. Vicissim titulus non competit *quasi-parochis,* qui quasi-paroeciis praeficiuntur, nec *vicariis* etiam plena potestate praeditis, quamvis tum hi tum illi parochis *aequiparentur* in omnibus iuribus et obligationibus et in iure quae de parochis statuuntur iis quoque conveniant (c. c. § 2), nisi contrarium exprimatur.

b) Ex tradita notione deducitur parochos esse *veros* sui populi *pastores,* qui in territorio sibi adsignato *ordinaria* potestate, nomine et iure proprio curam animarum exercent (can. 216 § 1). Quare carent quidem perfecta iurisdictione fori externi, sed, praeter ordinariam *fori interni,* habent quoque potestatem domesticam seu oeconomicam in suos subditos et *publicam administrationem* gerunt, qua plura externa munia vi officii explent. Insuper, cum in *titulum* eis conferatur paroecia, *stabili modo* ea potiuntur et inde removeri possunt dumtaxat ad normam iuris, regulari iudicio vel speciali processu administrativo; facilius amovibiles, difficilius inamovibiles (can. 454 §§ 1-2).[1]

c) Potestas parochi, iure communi definita et sancita, nequit ab episcopo arbitrarie *auferri* aut ita *limitari* ut fere inanis reddatur. Attamen, cum episcopus immediatam et ordinariam iurisdictionem in totam dioecesim retineat, semper potest alium, invito quoque parocho, ad singulos actus vel functiones *delegare,*[2] religiosas familias vero et pias domos in paroeciae territorio existentes et ipso iure non exemptas etiam in perpetuum, iusta et gravi de causa, a parochi cura *subducere* et proprio rectori committere (can. 464 § 2). Quae exemptio etiam legitima consuetudine vel praescriptione acquiritur.[3]

d) Unicuique paroeciae *suus* debet esse parochus et *unicus.* Quae regula violatur *tum* si uni parocho plures paroeciae in titulum conferantur, quod invalide fieret, quia sunt

[1] cf. supra n. 149 et can. 2147-2161, 2182-2185.

[2] Monent tamen doctores ut id nonnisi raro et iusta causa fiat, ne iura parochorum laedantur. *Wernz,* II, 828; *Bargilliat,* II, 839; C. C. 14 aug. 1863 (Coll. 1241).

[3] cf. R. 25 febr. 1919 (A. XII, 129); R. 29 mart. 1915 (A. VII, 332).

officia incompatibilia (can. 156), nisi aeque-principaliter unita; *tum* si in una paroecia et in eosdem subditos plures *cumulative* et alter ab altero independens paroecialem exerceant iurisdictionem, quod monstrum sane dicendum est et prorsus interdicitur, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet privilegio (can. 460).

Exemptionem ab iurisdictione paroeciali concedere posse episcopum nullo hucusque explicito textu iuris probari poterat et multi doctores negabant. At sententia affirmans apud recentiores censebatur verior[1] et his ultimis annis etiam in iurisprudentia erat recepta.[2] Cuius *ratio iuridica* in eo quaerenda videtur, quod parochus habet quidem ius quaesitum iurisdictionis in toto territorio paroeciali exercendae, sed non habet ius quaesitum, iure communi ipsi agnitum, ut hic vel ille locus iuridice pertineat ad territorium paroeciale, secus divisiones et dismembrationes per auctoritatem ordinariam episcopi fieri non possent. Quantum autem exemptio pateat, a terminis decreti vel a possessione aestimandum est, cum subinde etiam partialis esse possit.

Superioribus saeculis haud rarum erat paroecias inveniri, in quibus *duo* vel *tres* parochi essent constituti, qui *aut* iure praeventionis *aut* alternatim in communes subditos curam exercebant. Imo adhuc nonnullae in Italia supersunt. Nec deerant canonistae qui contenderent hunc rerum statum non esse anticanonicum.[3] Revera C. C. illum interdum toleravit, praescriptis certis cautelis, at pro regula institit ut auferretur. Moderno iuri autem ac modernae curae animarum prorsus repugnare, evidens est. Non ita absolute prohibitum videtur in *una ecclesia* esse sedem duarum paroeciarum, ubi necessitas urgeat.[4]

224. Institutio. *a)* Parochos *nominare* et *instituere* spectat ad *episcopum*, minime vero ad vicarium generalem sine mandato speciali. *Vicarius capitularis* potest tantummodo confirmare parochum electum vel acceptare praesentatum ac utrumque instituere, elapso autem integro anno a vacatione sedis etiam paroecias liberae collationis conferre. Eodem iure, sede *impedita*, fruitur vicarius generalis aliusve qui dioecesim administrat. Contra intentionem Ordinarii loci in iure fundatam nulla valet consuetudo, quae reprobatur, at salva manent privilegia electionis aut praesentationis, si cui legitime competant, et praevalent, uti par est, reservationes pontificiae (can. 455).

---

[1] *Gennari*, Quist. can. p. 407 n. 337; *Wernz*, II, 828; *Scherer*, I, 637; *Many*, De locis sacris, 172.

[2] R. 29 mart. 1915 (A. VII, 332); C. C. 21 apr. 1917 (A. X, 138).

[3] *Bouix*, o. c. 188 ss.; *Hinschius*, II, 305 s.

[4] cf. C. C. 17 mart. 1917 (A. IX, 343), 9 febr. 1918 (A. X, 285) et ME XXX, 216.

Paroeciae *incorporatae* vicarium, nisi exceptio probetur, praesentat persona moralis, quae retinet curam habitualem (can. 471 § 2), paroeciae *religioni concreditae* superior, a constitutionibus definitus; institutio vero semper ab Ordinario est concedenda, praemissa inquisitione de idoneitate (can. 456). *Quasi-parochos* saeculares nominat Ordinarius, audito consilio consultorum (can. 457).

b) Qualitates, quibus parochum praeditum esse oportet, sunt imprimis sacerdotium, quod ad valorem provisionis exigitur,[1] insuper boni mores, doctrina, animarum zelus, prudentia, aliaeque dotes quae ad vacantem ecclesiam cum laude gubernandam tum iure communi tum particulari requiruntur (can. 453). Inter plures dignos Ordinarius ex *gravi obligatione* tenetur praeferre *magis idoneum,* non quidem absolute sed *relate ad paroeciam* de qua agitur, ratione habita proinde non solum doctrinae sed etiam omnium aliarum qualitatum, quae ad regendam *illam* paroeciam aliquem prae aliis aptiorem reddunt (can. 459 §§ 1 et 2).

c) Iudicium pertinet ad Ordinarium. Qui ut recte procedat, iure communi, debet *documenta* consulere, si qua sint in archivo Curiae, quae clericum nominandum respiciunt; *notitias* prudenter exquirere, secretas quoque si opportunum iudicaverit, tum in dioecesi tum, ubi opus est, extra dioecesim; videre quonam exitu *examina* scientiae in primis sacerdotii annis subierit; denique promovendum *examini* super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subiicere, a quo dispensare potest sacerdotem scientia theologica praestantem dumtaxat de consensu examinatorum. Ab examine eximitur parochus amotus vel ex officio translatus non autem qui sponte sua aliam paroeciam petit.[2]

Ubi vero in provisionibus viguit hucusque forma concursus, sive specialis sive generalis, haec retinenda est, donec S. Sedes aliud decreverit (c. c. §§ 3 et 4).

d) Paroecia conferenda est intra *sex menses* ab habita notitia vacationis, attamen episcopus permittitur, ob peculiaria locorum ac personarum adiuncta, ut terminum protrahat (can. 458).

[1] Hucusque, iure communi, satis erat si promovendus *tonsuram* haberet, tenebatur autem *intra annum* presbyteratum suscipere.

[2] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573). Si clericus ab episcopo idoneus reputatus renuat examini subiacere recurrendum est ad C. C.

e) Curam animarum parochus obtinet a momento *captae possessionis*, ad normam legis vel consuetudinis dioecesanae, et in eo actu, si non antea, *fidei professionem* emittere tenetur (can. 461).

225. Concursus. Legem concursus in conferendis paroeciis servandam tulit *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 18 de ref., eam vero accuratius definiverunt *Pius V* (qui eam substantialem esse decrevit), *Clem. XI* et praesertim *Ben. XIV*. At decursu temporis *duplex* eius forma invaluit, concursus specialis et concursus generalis.

a) Concursus *specialis,* qui decreto Tridentino propius respondet, adhuc alicubi adhibetur et ad normam const. Ben. XIV, *Cum illud,* 14 dec. 1742, instituendus est.[1] Habita notitia vacationis, *publico edicto* ad concursum certo die celebrandum omnes quorum interest invitandi sunt, exclusis dumtaxat qui aut iure communi aut iure particulari ad paroeciam obtinendam inhabiles dignoscuntur. Interim *documenta* suarum qualitatum, meritorum, munerum et huiusmodi Curiae episcopali praesentare debent, elapso termino adsignato nulla amplius recipiuntur. Documentorum a cancellaria *summarium* conficiendum est ac episcopo singulisque examinatoribus exhibendum. Die concursus, omnibus praesentibus, in conclavi clausis, *eaedem* quaestiones, *iidem* casus, *idem* textus pro exaranda conciuncula proponenda sunt, et ab omnibus eodem tempore responsio in *scriptis* est danda. *Examinatores* deinde, saltem tres, non solum de scientia sed de omnibus singulorum qualitatibus iudicium ferre oportet, idoneos renuntiare, indignos reiicere. *Episcopo* denique competit quem inter illos digniorem aestimaverit *libere* eligere. A mala relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio episcopi datur quidem, intra decem dies, *recursus,* sed in *devolutivo* tantum, et duplici sententia conformi causa omnino concluditur, negato ulteriore remedio.

b) Huic formae substitutus est in multis locis, praesertim ubi sunt ampliores dioeceses, concursus qui dicitur *generalis*. Quolibet anno, semel vel bis, indicitur examen, ad quod accedere possunt omnes qui parochi fieri optant. In hoc de *sola scientia* inquiritur, probati per certum tempus (ex. gr. sexennium) ad *omnes vacantes* vel *vacaturas* paroecias aspirare possunt. At cum de *unaquaque* paroecia conferenda deinde agitur, examinatores convocantur ut perpendant omnes ceteras qualitates et renuncient quos ad *illam* idoneos censeant. Qui periculum in doctrina superavit bene respui potest in hoc altero examine, imo id saepe fit. Unde elucet omne quod de essentia concursus specialis est etiam hac forma servari.[2] Adhibetur in Germania et Austria;[3] alibi (in Hispania, in prov. Mediolanensi)[4] concursus indicitur pro pluribus paroeciis *vacantibus* et inter idoneos renunciatos episcopus ad singulas singulos eligit. Quae methodus sane incommodis non caret.

[1] C. app. doc. IV.
[2] cf. C. P. F. instr. 10 oct. 1884 (Coll. 1627).
[3] *Aichner,* § 86; *Laurentius,* 262; *Sägmüller,* I, 322.
[4] C. C. 17 dec. 1904 (A. II, 324); 27 ian. 1912 (A. IV, 296 ss). Etiam in venetis dioecesibus.

c) Iure hucusque vigenti a concursu *eximebantur* paroeciae amovibiles, pleno iure incorporatae, patronatus laicalis vel mixti, quae nimis exiguos reditus habebant, quae a nullo expetebantur (post alterum experimentum),[1] quae permutabantur, denique eae in quibus instituto concursu factiones, rixae et tumultus praeviderentur.[2] At iure particulari etiam paroeciae patronatus laicalis legi concursus subiectae esse possunt, quod ius sustinetur.[3] In aliquibus regionibus autem (Gallia, Belgio) nullus adhibebatur concursus, cum ex consuetudine tolerata alio modo episcopi de scientia et qualitatibus promovendorum se certiores redderent.[4]

d) C. innuit legem concursus esse aliquando *abolendam.*[5] Inde nonnulli occasionem sumunt eam exhibendi tamquam iuri minus conformem, utpote fontem incommodorum et querelarum. Quod olim certum fuit, cum nondum certis regulis ordinatus esset concursus,[6] at post reformationem Ben. XIV abusibus aditus praeclusus est. Ideoque si auferetur non haec certe erit praecipua ratio legislatoris, qui eam interim ubicumque vigeat retineri iubet.[7] In agnoscenda autem eius utilitate et opportunitate, quae Patres Tridentinos ad eam inducendam moverunt, omnes hucusque canonistae conveniebant.

226. Iura. *a)* Parochi ius, in ipso munere contentum, est ea omnia agendi quae ad curam animarum et ad paroeciae administrationem necessaria sunt. Nonnulli actus et functiones autem, iure communi et nisi specialis exceptio probetur, *exclusive* parocho reservantur, adeo ut nemo, illo invito, eas exercere possit in toto ambitu paroeciae. Haec dicuntur *iura* stricte *paroecialia.* Sunt: *1.* baptismum *sollemniter* conferre; *2.* sanctissimam Eucharistiam *publice* ad infirmos deferre, privatim autem quilibet sacerdos eam deferre potest, si ex iusta et rationabili causa id fiat;[8] *3.* morientibus viaticum et extremam unctionem ministrare, salvis casibus iure exceptis (episcopo, religiosis, in necessitate);[9] *4.* publicationes ordinationum et nuptiarum peragere, matrimonio assistere, benedictionem nuptialem impertiri; *5.* funebria persolvere suis subditis

---

[1] C. C. 17 iun. 1916 (A. XIII, 271).

[2] C. C. 21 iun. 1919 (A. XI, 318) respondit non esse necessarium concursum iu translatione ob bonum paroeciae *ad quam* facta; idem dicendum videtur in translatione post amotionem.

[3] C. C. 14 febr. 1920 (A. XII, 163).

[4] *Bargilliat,* II, 863.

[5] cf. C. C. 13 apr. 1918 (A. XI, 236).

[6] cf. *Ben. XIV,* const. *Cum illud* §§ 3-5, 12.

[7] Discrimen inter formam Trid. et novam formam provisionis in eo est, quod in *illa* episcopus cum examinatorius, in *hac* solus episcopus de idoneitate (excepta scientia) iudicat. — In multis regionibus ubi concursus generalis de doctrina et specialis de aliis qualitatibus a diuturno tempore fit, numquam aut vix umquam querelae vel recursus occurrerunt.

[8] can. 847-849.

[9] can. 397 n. 3, 514, 848 § 2, 938 § 2.

vel iis qui in sua ecclesia sepulturam elegerunt;[1] 6. domibus benedicere sabato sancto vel alia die pro locorum consuetudine; 7. fontem baptismalem in sabato sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa et sollemnitate impertiri. At in ecclesia capitulari *has* functiones potest sibi reservare capitulum, quoad processiones vero tecta manent iura aliis quaesita (can. 462).[2]

Iuri parochi respondet in fidelibus *obligatio* ut huiusmodi functiones ab eo petant. *Parochianus* autem est qui in territorio paroeciae domicilium vel quasi-domicilium fovet vel actu commoratur si vagus est aut solum domicilium dioecesanum habet.[3]

b) Aliae functiones sacrae, quae a parocho ex officio peraguntur — missa sollemnis, praedicatio, distributio communionis paschalis, missa in feria V hebdomadae maioris, benedictio palmarum, cereorum etc. — competunt quidem *praecipue* parocho, at in aliis ecclesiis fieri non prohibentur et nulla quoad eas limitatio fidelibus imponitur.

c) Ius est parocho ad *praestationes,* quas in celebratione cultus divini aut occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium ei tribuit probata consuetudo vel taxatio dioecesana aut provincialis legitime statuta;[4] at potiores exigens ad restitutionem tenetur et pauperibus gratis ministerium impendere debet. Praestationes cedunt parocho etiamsi ab alio *functio* stricte *paroecialis* expleta fuerit, et solummodo summa *ultra* taxam oblata potest a celebrante retineri si *certo* constet hanc fuisse offerentium voluntatem (can. 463).

d) Parochus est *administrator* bonorum tam beneficii quam ecclesiae; paroeciam iuridice *repraesentat* eiusque nomine agere valet.[5]

---

[1] can. 1216.

[2] can. 1291 § 2.

[3] can. 94, vide supra n. 92 d. — Si dubium autem exoritur ad quam paroeciam domus in duarum confinio posita pertineat, recepta regula solvitur: «aditus domus (non horti) principalis seu magis frequentatus dat normam iurisdictionis» R. 21 iul. 1911 (d. XXXIII).

[4] can. 1234, 1507 § 1. Recusare praestationes legitime debitas est delictum ecclesiasticum, sanctioni poenali obnoxium (can. 2349), item eas augere aut ultra eas aliquid exigere (can. 2408).

[5] Paroecia non est corporatio sed *institutum* ecclesiasticum in personam moralem erectum. Sub hac ratione parochus est eius legitimus repraesentans, tum iure canonico (can. 1649; R. 29 iul. 1919, A. XIII, 47) tum iure civili, etiam italico, uti egregie demonstravit *Lavitrano.* Sulla rappresentanza giuridica della parocchia in ME XXVII (1915) 169 ss. cf. etiam *Scherer,* I, 641 ss.

e) Ex concessione iuris parochi possunt, iusta de causa et in singulis casibus, *dispensare* a lege de observantia festorum, ieiunii et abstinentiae.[1]

Ius exclusivum parochi ad curam animarum exercendam, cultum divinum celebrandum, sacramenta ministranda et *obligatio* parochianorum ad eum tantum in iis omnibus recurrendi, longo tempore rigorose servata est. Mediis saeculis fideles tenebantur in ecclesia paroeciali missam et praedicationem audire, confiteri, communionem recipere, omnia sacramentalia et benedictiones petere. Limitatio huius exclusivitatis inducta est per privilegia regularium (imprimis *mendicantium)* et innumerae sunt querelae illa aetate inter parochos et regulares ortae. Deinde vero sensim magis magisque libertati fidelium tum consuetudo tum etiam ius positivum favit, hodie ne obligatio quidem recipiendi a parocho Eucharistiam in Paschate aut prima vice sustinetur[2] et fideles tantummodo monentur ut, ubi commode fieri possit, suam paroeciam non negligant (can. 467 § 2).

Ad dirimendas controversias inter parochos et regulares vel ecclesiarum rectores, canonistae, innixi celebri decreto C. R. 10 dec. 1703,[3] distinguebant *iura paroecialia*, *functiones paroeciales* et *functiones mere sacerdotales*: *illa* dicebantur quae parocho aliquam utilitatem non tantum honorem afferebant, *istae* quae licet utilitatem non afferrent parocho spectabant vel saltem convenientius ab eo exercebantur; *hae* quae per se libere a quolibet sacerdote peragi poterant.[4] Quae distinctio, si excipias iura certe paroecialia, quae fere eadem erant ac nunc exclusive parocho reservata, non omnibus probabatur et hodie vix practicae utilitatis esse videtur. At etiam nunc attendendae sunt leges vel consuetudines dioecesanae, quae forte aliquas functiones iure communi non paroeciales soli parocho permittunt.

227. Obligationes. Parochus *ex officio*, ideoque *ex iustitia*, tenetur curam animarum exercere in omnes suos parochianos, qui non sint legitime exempti (can. 464 § 1). Hac universali formula ei iniungitur ut omnia agat quae *sive* ex natura rei *sive* ex particularibus statutis aut consuetudinibus *sive* ex mandato episcopi ad munus fideliter et salubriter explendum apta et opportuna sunt. Peculiariter autem a iure quaedam eius speciales obligationes determinantur:

a) Residentia in domo paroeciali prope suam ecclesiam, nisi Ordinarius permittat ut alibi commoretur, non ita longe tamen ab ecclesia ut munerum perfunctio aliquid detrimenti capiat. Abesse ei conceditur *a lege* per duos menses quotannis,

---

[1] can. 1245.
[2] cf. can. 854 §§ 4-5, 859 § 3.
[3] Decr. generale n. 2123, etiam Coll. 261.
[4] *Ben. XIV*, Inst. 105; *Bouix*, 442 ss.; R. 6 apr. 1909; 12 iul. 1913.

sive continuos sive intermissos, non computatis diebus quibus exercitiis spiritualibus vacat; at est in facultate Ordinarii, *gravi* de causa, tempus vel contrahere vel prorogare.

Parochus qui *ultra hebdomadam* paroeciam derelinquere vult debet *licentiam* scriptam Ordinarii obtinere et *vicarium* ab eodem approbatum loco sui constituere. Si est religiosus, requiritur licentia et approbatio *etiam* superioris. Si ob urgentem causam tempus adeundi Ordinarium non suppetit, parochus discedens tenetur quamprimum *per litteras* ei causam discessus et nomen vicarii indicare. Etiam in brevioribus absentiis parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria adiuncta postulent (can. 465). *Non residentes* ultra duos menses ipso iure fructus amittunt aliisque poenalibus sanctionibus plectendi sunt.[1]

b) Applicatio missae pro populo, ad quam parochus eodem modo ac episcopus, quasi-parochus ac vicarius apostolicus tenetur.[2] Duas paroecias unitas aut alteram in titulum alteram vel plures in administrationem habens, *uno* sacrificio satisfacit. Obligatio, *statis diebus* implenda,[3] est *personalis, realis* et etiam *localis,* quia missa celebranda est in ecclesia paroeciali nisi rationabilis causa excuset. Tamen legitime absens potest *vel* ipse applicare in loco ubi degit *vel* per substitutum in paroecia: Ordinario fas est permittere ut alia die ab ea quam ius statuit applicetur (can. 466).[4]

c) Cetera officia praecipua parochi sunt: sacra celebrare, sacramenta ministrare quoties rationabiliter petantur, oves suas cognoscere et prudenter corrigere, pauperes et miseros adiuvare, aegrotos sedulo visitare, morientibus assistere (quibus ipso iure quilibet sacerdos assistens benedictionem papalem impertiri potest), verbum Dei praedicare et catecheticam instructio-

---

[1] can. 2381, 2168-2175. cf. *Chelodi,* Ius poen. 98.

[2] cf. can. 306, 339 et supra nn. 184, 192. — C. C. 13 iul. 1918 (A. XI, 46) respondit *non teneri* ad missam pro populo curatos, licet exerceant totam curam animarum in distincto territorio, dummodo hoc non sit in canonicam paroeciam erectum.

[3] In compluribus dioecesibus conceditur indultum apostolicum, quo episcopus permittere potest ut missa in *festis suppressis* applicetur pro oblatore et stipes tribuatur piae causae. Parochi tenentur mandatum episcopi exequi et integram eleemosynam tradere. C. C. 8 maii 1920 (A. XII, 536). At retineri potest *pars stipendii* quae excedit taxam dioecesanam, si data sit pro missa nuptiali aut exequiali *(iura stolae)* aut intuitu maioris laboris (missa *cantata),* consentiente in altero casu Ordinario. C. C. 10 nov. 1917 (A. X, 368).

[4] Iusta causa id concedendi esset *paupertas sacerdotis,* qui eo die pinguiorem eleemosynam a benefactore vel occasione funeris aut huiusmodi acciperet. Hae causae saepius insufficientes declaratae sunt a SS. CC. ut parochus *ipse* posset transferre in alium diem applicationem, nunc autem C. hanc facultatem *episcopo* tribuit.

nem tum pueris tum adultis tradere, scholis inspicere publicis ac privatis, errores scandala abusus praecavere aut tollere, pias associationes fovere, munditiam et decorem ecclesiae curare, bona ecclesiastica fideliter administrare (can. 467 § 1, 468 § 1, 469).[1]

228. Notariatus paroecialis. Parocho commissum est insuper, relate ad quosdam actus publicos, officium *notarii,* quod iura ei tribuit (etiam interdum utilia) sed praesertim gravem obligationem imponit. Debet enim habere, conscribere et custodire *libros paroeciales,* qui authentici sunt et *publicam* fidem faciunt, prout etiam eorum transumpta.[2] Forma et modus determinatur tum iure communi[3] tum propius usu vel lege dioecesana, numero autem *quinque* sint oportet (can. 470).

Principalis et fundamentalis est *liber baptizatorum.* In hoc enim, praeter nomina cunctorum qui baptizantur, cum omnibus personalibus indicationibus, adnotandum est etiam de unoquoque si *confirmationem* receperit, *matrimonium* contraxerit (excepto matrimonio conscientiae),[4] *subdiaconatum* susceperit, *professionem* sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in omnibus quoque transumptis semper referendae sunt. Unde elucet hunc librum completum statum iuridicum fidelis cuiusque exhibere et occurrentes abusus aptissime praecavere. Quibus de iure autem incumbit obligatio has notitias parocho communicandi.[5]

Alii libri praescripti sunt liber *confirmatorum, matrimoniorum* et *defunctorum;* liber *de statu animarum* conficiendus est pro viribus, at non ita rigorose imponitur.

In fine cuiuslibet anni parochus tenetur transmittere *authenticum exemplar* quattuor priorum librorum Curiae episcopali, quae eos asservat,[6] ut si libri in paroecia pereant per haec apographa suppleantur.

---

[1] cf. etiam can. 1178, 1330-1332, 1334, 2147 § 2 n. 5, 2182, 2382. Quae omnia etiam *sanctione poenali* urgeri possunt.

[2] can. 1813 § 1 n. 4.

[3] cf. can. 777, 798, 1103, 1238.

[4] cf. can. 1107.

[5] 799, 1011, 576 § 2, 1103.

[6] Hoc ex can. 383 § 1 colligitur et certa videtur esse mens legislatoris. Non ideo satis esset mittere librum qui post revisionem parocho restituatur. Ceterum haec ordinatio in multis dioecesibus nova non est (in Germania ex. gr. a saeculo viget) et eius utilitas in recenti bello apparuit, cum plurimi libri paroeciales (ita in dioec. Trident.) destructi sunt. At decursu an-

Officium paroeciale debet habere suum *sigillum* et *tabularium*, in quo libri et alia documenta necessaria vel utilia asserventur; religiosa archivi custodia recensetur inter gravia parochi munia et ab Ordinario est visitatione ac, ubi opus sit, etiam *poenis* urgenda.[1]

Libri paroeciales iam ante Tridentinum in multis locis habebantur. At demum hoc concilium obligationem statuit ut omnes parochi librum *baptizatorum* et *matrimoniorum* conficerent. Iure particulari deinde etiam alii tres praescripti sunt et in Rit. Rom. (tit. 10, c. 2, 7) normae traditae quomodo essent conscribendi. Usque ad exitum saec. XVIII hi soli in *foro* quoque *civili* agnoscebantur, inde vero auctoritas laica occasionem coepit sese in hoc negotium, et haud raro indiscrete, immiscendi. Primo revolutio gallica, l. 20 sept. 1792, officiales status civilis induxit, at nonnisi altera medietate saec. XIX haec innovatio fere ubique invaluit, imo in quibusdam rebuspublicis nondum recepta est.[2] Non ideo tamen libri paroeciales etiam in foro civili scripturis *mere privatis* aequiparantur, sed si quaestio est de probando baptismo vel matrimonio religioso plenam fidem faciunt, si de aliis factis saltem eam habent auctoritatem, quae ex notoria diligentia qua conscribuntur et ex vigilantia ab Ecclesia in eos exercita derivatur.[3]

C. VICARII PAROECIALES.

229. Vicarii plena potestate praediti. Cum parochi interdum aut ex toto aut ex parte *impares* vel *impediti* sint suis officiis implendis, aliis sacerdotibus cura animarum est committenda, qui utpote nomine alieno[4] agentes *vicarii* dicuntur. *Vicarius paroecialis*, in genere, est «sacerdos qui parochi vices agit in cura animarum». At haec communis notio plures species complectitur, prout etiam admodum varia sunt nomina quibus in diversis locis hi ministri veniunt. C. *quinque* species distinguit, quarum tres priores iuridice ad

---

norum alia difficultas in amplioribus dioecesibus exurgit: tot libris in archivo dioecesano non suppetit spatium. Unde, ubi a longo tempore haec praxis servatur, iam coacti sunt episcopi iubere ut transumpta deponantur apud decanos.

[1] Normae de *archivo paroeciali* continentur etiam in can. 383, 384; cf. supra n. 202. *Poenae*, can. 2383, 2406.

[2] *Hinschius*, II, 308 ss.; *Knecht*, Personenstand in *Staatslex.* IV, 87 ss.

[3] *Hinschius*, II, 312. In *Italia* publicam fidem faciunt transumpta ex libris ante 1866 conscriptis.

[4] Quod lato quodam sensu intelligitur, nam sub alia ratione ex. gr. vicarius perpetuus verissime *nomine proprio* curam actualem exercere dicitur. cf. *Bouix*, 187. Vicissim iurisdictio cooperatoris est mere delegata. Unde elucet nomen vicarii potius *historice* quam *iuridice* sumi.

unam reduci possunt, nam ad eas pertinentes *totam* curam animarum habent, ideo etiam a canonistis *administratores* vocantur.

a) Et imprimis *vicarius perpetuus*. Est ille qui in paroecia pleno iure incorporata constitui debet, ut curam *actualem* exerceat. Quam *integram* et *exclusive* obtinet; idcirco est quoad omnia verus parochus, licet hoc titulo careat (can. 451 § 2 n. 2). *Praesentatur* a persona morali, penes quam est cura habitualis, nisi ex privilegio, consuetudine vel conventione sit liberae nominationis episcopalis, *examinatur* et *instituitur* ab Ordinario, *removetur* si religiosus ad nutum,[1] si saecularis ad instar aliorum parochorum, nullo in hac causa concesso iure praesentanti, nisi quod moneatur (can. 471).

b) Vicarius oeconomus deputandus est paroeciae vacanti. Id pertinet ad Ordinarium, de consensu superioris si de religioso agitur. Antequam constituatur paroeciae regimen assumit, ipso iure, cooperator, vel si plures sint primus, inter pares antiquior; si nullus adsit, parochus vicinior semel pro semper ab episcopo determinandus; si paroecia concredita est religiosis, domus superior. Hi omnes tenentur quamprimum Ordinarium certiorem reddere de secuta vacatione (can. 472).

Eiusmodi vicarii *potestas*, quoad curam animarum, est *ordinaria*[2] et paroeciali in omnibus aequalis. Eadem sunt etiam officia. Cavere tamen tenetur ne quidquam faciat quod iuribus parochi vel beneficii praeiudicium afferat. Ius habet ad congruam mercedem ex fructibus beneficii ab Ordinario assignandam. Est ad nutum Ordinarii amovibilis (at vicarius generalis indiget *mandato speciali*, can. 477 § 1) et a munere cessans successori, coram decano vel delegato episcopi, tradere debet clavem archivi, documenta aliasque res ad paroeciam pertinentes et rationem reddere administrationis temporalis (can. 473).

c) Vicarius substitutus dicitur cum paroecia non vacat, sed parochus ab ea abest. Quod in *duplici* casu contingit: si parochus ultra hebdomadam discedit (can. 465 §§ 4-5), si

---

[1] Nimirum *tum* ab Ordinario *tum* a superiore ad normam can. 454 § 5.

[2] Hucusque, utrum ordinaria esset an delegata, disputabatur (*Bargilliat*, II, 1036; *Scherer*, I, 654), C. C. 9 maii et 12 sept. 1874 (AS VIII, 129) quaestionem dirimere noluerat sed declaraverat vicarium posse etiam ad universitatem causarum delegare « nisi obstet voluntas Ordinarii ».

remotus est at causa nondum finita quia ad S. Sedem appellavit.[1] In primo ipse parochus vicarium constituere debet, in altero Ordinarius. Locum tenet parochi in omnibus iuribus et obligationibus, excepta missa pro populo; qui eum nominat autem potest aliquid ei subtrahere (can. 474).[2]

His normis antiquum ius *Conc. Trid.* (sess. XXIV, c. 18; XXIII, c. 1; VII, c. 7; XXV, c. 16 de ref.) confirmatur. Novum est dumtaxat quod capitulis quoque sublata est quaelibet facultas exercendi curam actualem, aut per vicarium temporarium aut immediate ex. gr. per turnum canonicorum. In medio aevo id pro regula fiebat; sequenti aetate autem complura capitula, fere per exceptionem, hoc retinuerant. Sed non sine multis incommodis, unde recentior iurisprudentia hanc praxim adversabatur.

Institutis vicariis inducta est distinctio inter parochos *habituales* et *actuales*. Olim controversia fuit an et quantam partem iurisdictionis parochus habitualis sibi reservare posset, hodie definitum est nullam habere. Quare eius munus eo limitatur ut possit et debeat providere ut cura animarum per alium exerceatur, parochus vero non est sed titulus nonnisi ad certa iura tecta servanda usurpatur.

230. Vicarius coadiutor. Si parochus ob *permanentem* causam, ut puta senectùtem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem,[3] suis muniis rite obeundis impar fit, pro regula non est a paroecia removendus, nisi id bonum animarum omnino exigat, sed potius dandus ei vicarius *coadiutor*, qui eius vices suppleat, ex toto vel ex parte, prout parochus aut nihil aut aliquid facere potest.

Deputatio pertinet ad Ordinarium, salvo iure praesentandi in superiore si paroecia religioni est concredita. Officium autem huiusmodi vicarii non semper idem est. Nam

a) Si parochus *ex toto* est impeditus, adeo ut in omnibus supplendus sit, vicario iura omnia et onera competunt paroecialia, excepta missa pro populo quae parochum gravat, proinde eius potestas est *ordinaria*, licet exercenda sub auctoritate parochi, si hic sui compos sit. Ordinarii erit in decreto nominationis certas normas statuere, quibus relatio inter utrumque definiatur, ne querelae oriantur.

---

[1] can. 1923 § 2, 2146 § 3, 2156 § 1.

[2] Ille qui parochum in brevioribus absentiis (infra hebdomadam) substituit nullam *a iure* videtur habere iurisdictionem (in can. 474 enim citantur dumtaxat §§ 4-5 non vero § 6 can. 465), sed id tantum posse ad quod *delegatur*.

[3] Enumeratio est *demonstrativa*, non taxativa.

b) Si vero supplet *ex parte* dumtaxat, proxime accedit ad cooperatorem et est merus *delegatus*, cuius iura et obligationes ex litteris deputationis desumenda sunt.

Congrua *sustentatio* ei assignanda est ex reditibus beneficii, nisi aliter provisum sit (can. 475). Amovibilis est ut vicarius oeconomus.

231. Cooperatores. *a)* Si propter territorii amplitudinem, magnum numerum fidelium aliasve causas parochus solus nequit *convenientem* curam paroeciae gerere, ei dandi sunt unus vel plures auxiliarii, *cooperatores*. Iudicium de necessitate remittitur Ordinario, cuius est etiam statuere utrum cooperator pro universa paroecia an pro determinata parte constituatur, necnon eius remunerationem, a parocho solvendam, definire.[1]

b) Ius *nominandi* cooperatores saeculares competit Ordinario, qui tamen tenetur ad valorem actus prius *audire* parochum;[2] regulares, item audito parocho, praesentat superior, approbat Ordinarius. Cum beneficium non habeant, *amoventur* pro regula ad nutum[3] (non autem a vicario generali sine mandato speciali, can. 477 § 1), si quando vero vicaria est beneficium et confertur in titulum, eo privari nequeunt nisi ad normam iuris, nimirum ut parochi *inamovibiles* et propter easdem causas, quibus addenda est gravis detrectatio subiectionis parocho debitae in exercitio ministerii (c. c. § 2).

c) Vi officii et iure communi cooperator *nullam* iurisdictionem aut potestatem habet, tenetur vero parochi vicem supplere eumque adiuvare in omnibus muniis, excepta missa pro populo. In hunc finem debet *residere* in paroecia, imo quan-

---

[1] Si autem beneficium paroeciale huic oneri ferendo impar sit, quia ex. gr. honestae sustentationi parochi vix sufficit, Ordinarius deberat aliunde providere. cf. R. 1 aug. 1911 (dec. XXVIII).

[2] *Conc. Trid.* (sess. XXI, c. 4 de ref.) quod parochis iniunxit ut assumerent, si opus esset, cooperatores, *eisdem* facultatem illos nominandi tribuerat, Ordinariis autem tantummodo potestatem eos *cogendi* vel *supplendi* si suam obligationem neglexissent. Hoc erat *ius commune*, pluribus documentis pontificiis et decisionibus CC. confirmatum. At in Germania, Gallia, Belgio, Austria, Hispania etc. ex consuetudine episcopi *libere* prorsus cooperatores deputabant et removebant. Mediam viam inivit C. necessitatem *audiendi* parochum statuens. Ordinarius quidam qui C. C. interrogavit, utrum sustinere posset consuetudinem, *negativum* accepit responsum (C. C. 14 nov. 1920, A. XIII, 43). Quod tamen aliis Ordinariis non adimit facultatem can. 5.

[3] Ex iusta et rationabili causa, naturali aequitate servata can. 192 § 3. cf. *Wernz*, II, 838, VI.

tum fieri potest in domo paroeciali. Ceterum ad *ius dioecesanum* pertinet iura et obligationes cooperatorum propius determinare et practice ex recepta consuetudine ac ex decreto nominationis desumenda sunt. Quae ei vel Ordinarius vel parochus committit ut *delegatus* exequitur, utrum autem delegatio ad universitatem causarum sit necne a iure particulari pendet.

d) Relatio inter parochum et cooperatorem ea sit oportet, ut hic parocho reverentiam et obedientiam exhibeat, parochus vero cooperatorem paterne instruat ac dirigat in cura animarum eique invigilet. Saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referre debet (can. 476).

Praecedentia vicariorum hoc modo est ordinata: vicarius capituli cathedralis (haud secus parochus ecclesiae cathedralis) praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis; oeconomi habendi sunt ut parochi et praecedunt prout antiquiores sunt promotione, ordine, aetate (can. 106); substituti et coadiutores praecedunt durante munere cooperatoribus; hi aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addicti (can. 478).

D. ECCLESIARUM RECTORES.

233. Notio et munus. *a)* Ecclesiae *rector*, sensu specifico, intelligitur «sacerdos cui cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis nec adnexa communitati religiosae, quae ipsa in ea officia celebret» (can. 479 § 1). Agitur proinde de ecclesiis saecularibus, quae omnibus patent et, licet in territorio paroeciae existentes, a clero paroeciali non administrantur.[1] Hac ratione distinguitur rector a *cappellanis* religiosarum, sodalitatis religiosae laicalis, confraternitatis, aliusve legitimae associationis, quorum munus aliis locis C. determinatur, et in cappellano communitatis, concessa exemptione, etiam paroeciale esse potest (can. 464 § 2). Vicissim cappellanus confraternitatis, quatenus haec ecclesiam publicam uti propriam habet, haud raro est etiam rector (can. 716 § 1).

b) Ecclesiae rector *nominatur* ab Ordinario, salvo iure praesentandi aut eligendi aliis quaesito; si ecclesia pertinet

[1] In can. 1341 § 2 clare distinguitur «ecclesia paroecialis aliave eidem subiecta» ab «ecclesia parochi auctoritati non obnoxia» et haec dicitur habere rectorem. Eiusmodi ecclesiae in multis regionibus rarissimae occurrunt; ideo etiam canonistae de rectoribus vix agunt.

ad religionem exemptam a superiore; in quolibet casu autem *approbatio* Ordinarii requiritur, quae sane nequit denegari subiecto idoneo.[1] Si ecclesia coniuncta est cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, superior domus est ipso iure rector, nisi Ordinarius aliter constituerit (can. 480).

c) Rector in sua ecclesia *potest* omnes functiones *non* stricte *paroeciales* peragere, dummodo paroeciali ministerio non noceat (can. 481). An noceat ad Ordinarium pertinet iudicare, item normas statuere quibus detrimentum caveatur (can. 482). Unde rector in exercitio et ambitu suarum facultatum a superiore dioecesis pendet. At in sua ecclesia ipse *exclusive* ministerio fungitur et nullus alius eo invito aut sine eius licentia saltem praesumpta, quae autem non pro lubitu sed ad normam iuris danda vel neganda est (can. 484).[2] Parochus, ex rationabili causa, semper valet ex huiusmodi ecclesia desumere SS. Sacramentum pro infirmis (can. 483 n. 2).

d) Rector *tenetur*, sub auctoritate Ordinarii servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, curare et invigilare ut in sua ecclesia omnia secundum canones et leges liturgicas recte fiant, bona fideliter administrentur, onera impleantur, aedes et suppellectiles sacrae cum debito decore conserventur (can. 485). Cui obligationi Ordinarius alias addere potest, gravibus quoque statutis poenis, nimirum celebrandi officia horis populo commodioribus, denunciandi dies festos et ieiunia, tradendi catecheticam instructionem et explicationem evangelii. Haec onera vero non sunt imponenda nisi ecclesia paroecialis ita distet ut fideles sine gravi incommodo eam adire nequeant (can. 483). Contiuncula vero, in missa habenda diebus dominicis et festis, in qualibet ecclesia praescribi potest (can. 1343).

e) Amovere rectorem fas est Ordinario *ad nutum* ex qualibet iusta causa; si religiosus est, monito superiore, qui ceterum aequo iure utitur (can. 486). Quodsi *beneficium* in titulum habeat, servandae sunt normae iuris.

---

[1] cf. *Bargilliat*, II, 1022.

[2] Ita in admittendis sacerdotibus ad missae celebrationem servandus est can. 804 § 1, ad conciones can. 1342.

CAPUT V.

DE CONCILIIS ET SYNODIS

234. Notiones generales. Potestas iurisdictionis, imprimis legifera, exercetur in Ecclesia non tantum a *singularibus* magistratibus, sed etiam a *coetibus* qui *collegialiter* ea utuntur. Et quamvis haec organa regiminis potius extraordinaria dicantur, nec absolute necessaria sint, tamen ius ab eis conditum, sive historice respicitur in praeteritis aetatibus sive practice prout in moderna disciplina locum obtinet, magni momenti est in systemate canonico. Hi coetus vocantur *concilia* vel *synodi*.

Concilium itaque est « congregatio legitima episcoporum ad deliberandum et decernendum de rebus ecclesiasticis ». Quod si ex universa Ecclesia advocetur eamque totam repraesentet, *oecumenicum* dicitur; si partem tantum *particulare*. Huiusmodi autem aut *plenarium*, si episcopos plurium provinciarum ecclesiasticarum complectitur (can. 281), aut *provinciale* seu metropolitanum, si unius (can. 283), esse potest. Omnibus commune est ut sint veri coetus *iuridici*, peculiari potestate praediti, ab iurisdictione singulorum episcoporum distincta, qua per suffragia ad normam canonum negotia expediunt. Et in hoc differunt a conventibus seu *conferentiis*, quae ex novo iure etiam celebrandae sunt, saltem quinto quoque anno, ab episcopis cuiusque provinciae, sed eo fine ut collatis consiliis videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur eaque praeparent de quibus in futuro concilio provinciali erit agendum (can. 292). Sunt ii proinde congressus *amicabiles*, in quibus decreta non feruntur et si quid ab omnibus faciendum statuitur id nonnisi *personali* obligatione episcopi suscipiunt et *sua* auctoritate exequuntur.[1]

Porro differunt a *synodo dioecesana*, cui nunc ne nomen quidem concilii amplius tribuitur,[2] nam in ea congregatio coa-

---

[1] *Laurentius*, o. c. 228. Conferentiae inductae sunt ut *aliquo* modo concilia supplerent at iuridice eis aequipollentes nullatenus haberi possunt. Saepe tamen a S. Sede commendatae sunt (cf. C. Cons. 22 mart. 1919, ubi etiam statuitur in *Italia* quotannis cogendas esse, A. XI, 175). Hactenus erant plerumque *nationales* seu generales alicuius reipublicae, nunc *provinciales*.

[2] cf. *Ben. XIV*, de syn. l. I, c. 1; *Wernz*, II, 858 not. 1.

dunatur non ad dandas, verum ad recipiendas leges, et convenientes *consilio* dumtaxat in eas definiendas et ferendas influxum exercere possunt, non autem iurisdictione.

Apud antiquos nomina *concilii* et *synodi* promiscue adhibebantur. Utrumque ad civiles coetus significandos iampridem in usu erat. Inde tamen non sequitur etiam institutum a politicis ordinationibus Romani imperii Ecclesiam derivasse.[1] Etenim tam pronum erat tamque naturae christianae societatis consentaneum, pastores ad communes res agendas convenire, ut iam Apostoli id pluries facerent. Quorum exemplum imitati, inde a medio saec. II episcopi graviora negotia in synodis dirimere coeperunt, a saec. III autem eiusmodi conventus in Asia, in Graecia, in Africa iam certis intervallis celebrabantur,[2] quod ut in omnibus provinciis fieret *Conc. Nicaen.* 325 lege firmavit.[3]

Maximi momenti, in historia iuris, sunt concilia *oecumenica,* quorum viginti a Nicaeno I (325) usque ad Vaticanum (1870) numerantur.[4] At praeterea plurima concilia *particularia* celebrata sunt, inter quae multa, praesertim antiquioribus saeculis, in disciplina efformanda et evolvenda magnas partes habuerunt.[5] Variae eorum species ex ambitu distinguuntur: *generalia,* ad quae episcopi aut totius Orientis aut totius Occidentis conveniebant; *plenaria*, quae praesules magnae alicuius vel plurium regionum coadunabant, eo nomine venerunt olim concilia africana et appellari merentur ea quae medio aevo (saec. XI-XII) R. Pontifices vel eorum legati, reformationis causa celebrarunt (synodi Sedis Apostolicae); *patriarchalia, primatialia, provincialia;* denique *nationalia*, ex praelatis unius regni vel nationis conflata, his accenseri possunt *concilia mixta* in regno Francorum. *Modernum* ius autem non agnoscit nisi concilia plenaria vel provincialia, reliqua ad historiam pertinent.[6]

Concilium oecumenicum *divinae institutionis* recte dicitur, quatenus episcopi simul sumpti in collegium Apostolorum succedunt et ideo universam repraesentant Ecclesiam. At nullum est praeceptum ut statis temporibus habeatur aut certa negotia ei reserventur.[7] Alia concilia vero iuris humani tantum esse et nullimode absolutae necessitatis, perspicuum est. Haud minus perspicuae tamen sunt rationes quae eorum maximam *utilitatem* ostendunt, unde facile est intelligere cur Ecclesia perpetuo institerit ut celebrarentur.

---

[1] Quae sententia, a modernis quibusdam heterodoxis propugnata, vel ab aliis protestanticis viris non admittitur. cf. *Harnack,* Entstehung 114 ss.

[2] *Firmilianus* ep. ad Cypr. (inter Cypr. ep. 75, 4); *Tertull.* de ieiun. c. 13; *Cypr.* ep. 71, 4; 73, 3.

[3] *Conc. Nicaen.* c. 5 = c. 3, d. 18.

[4] Basileense simul cum Ferrariensi et Florentino unum (XVII) constituere censetur.

[5] Vide quae diximus de antiquis iuris collectionibus, supra nn. 41 ss.

[6] Singularis species est quae dicebatur *σύνοδος ἐνδημοῦσα* et Constantinopoli cum episcopis qui forte in urbe erant praesentes celebrabatur. Simili modo Romae, R. Pontifices ad synodum presbyterii arcessebant, ubi de gravioribus causis esset iudicandum, episcopos viciniores aliosque qui ex quacumque causa in Urbe aderant, cf. *Ben. XIV*, de syn. l. I, c. 1, n. 3.

[7] Ex divina *institutione* enim non sequitur positivum *praeceptum* ea celebrandi. cf. *Suarez,* de leg. l. X, c. 2, n. 16. Hoc sensu videntur intelligendi qui negant institutionem divinam, ex. gr. *Scherer,* I, 660; *Sägmüller,* I, 494.

I. DE CONCILIO OECUMENICO.

235. Principia. Quaestio praecipua quae de universali concilio moveri potest, nimirum circa eius relationem ad *Primatum*, ad dogmaticos pertinet magis quam ad canonistas; ii enim doctrinas catholicas tamquam axiomata assumunt. Quare brevissime hic revocari sufficit nullum concilium oecumenicum dari posse quod a R. Pontifice non fuerit *convocatum*, sub eius auctoritate *celebratum*, ab eo *confirmatum*. At primae et alterius conditionis defectum per subsequentem ratihabitionem sanari certum est. Eidem integrum est concilio per se vel per alios praeesse, res tractandas ordinemque servandum constituere et designare, ipsum transferre, suspendere, dissolvere (can. 222).

Concilium oecumenicum *suprema* pollet in universam Ecclesiam *potestate* (can. 228 § 1), eius decreta constituunt *ius commune*, sive leges dogmaticas sive disciplinares condant. Et ambitus huius potestatis nullis humanis limitibus circumscribitur. At decreta vim definitivam obligandi habent demum cum a R. Pontifice fuerint, tacite aut expresse, antecedenter aut consequenter, absolute tamen et specialiter *confirmata* et eius iussu *promulgata* (can. 227).

Unde elucet *subiectum* iurisdictionis in concilio esse *duplex*, episcopatum et Summum Pontificem, realiter quidem sed inadaequate distinctum,[1] et proinde concilium non esse supra Papam nec ad illud ab huius sententia dari posse appellationem (can. 228 § 2).[2] At cum R. Pontifex, vi primatus, pari fruatur suprema auctoritate, leges concilii etiam a se vel a decessore sancitas abrogare, reformare, eis derogare, ab eisdem dispensare amplissime valet.

Quia denique corpus sine capite esse nequit, si contingat R. Pontificem, durante concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit (can. 229).

Haec principia, quae a *doctrina* primatus in Conc. Vatic. *definita* immediate descendunt,[3] iam antea uti unice genuina ab omnibus habebantur, cum a longo tempore explosa esset *theoria conciliaris*, primum

---

[1] *Wernz*, I, 180.

[2] *Poenae* in appellantes: excommunicatio singulis, interdictum personis collegialibus, l. s. speciali modo reservata, can. 2332.

[3] Et diserte etiam in const. Vaticana ad concilium innuitur verbis: «cuiuscumque ritus et dignitatis *pastores* atque fideles, tam seorsum singuli quam *simul omnes*, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur» (*Denz.* 1827, cf. 1830).

occasione schismatis occidentalis invecta, deinde a Gallicanis diu defensa.[1] De facto vero octo priora concilia oecumenica ab *imperatore* convocata sunt. Quod ex variis causis historicis explicatur et saltem non sine consensu R. Pontificis fieri potuit.[2] Quamnam positivam partem autem ipse in singulis his convocationibus habuerit, controvertitur.[3] Sed hoc parum refert: factum enim qualecumque praeiudicium nequit afferre *iuri,* quod in ipsa fundamentali constitutione Ecclesiae innititur. Nam perspicuum est neminem posse universam Ecclesiam congregare, nisi qui in universam iurisdictione potiatur. Et idem dicendum de *celebratione* et *confirmatione,* cum concilium totum corpus referens non intelligatur si caput aut absit aut dissentiat. De octo synodis orientalibus non constat omnes fuisse a R. Pontifice *expresse* approbatas, at certum est quoties S. Sedes aliquam synodum, licet se oecumenicam praetenderet, reprobavit (Ephes. 448, Costantinop. 754) hanc numquam uti talem agnitam esse. Confirmatio imperialis autem tantummodo ad *executionem* decretorum, auxilio brachii saecularis urgendam, spectabat.

236. Convocatio et celebratio. *a)* Synodum oecumenicam cogere pertinet *exclusive* ad R. Pontificem, qui ipse iudex est de necessitate, opportunitate, tempore ac loco.[4] Quaelibet congregatio episcoporum, etiam legitima, a Pontifice non indicta numquam proinde haberi potest ut verum concilium universale, nisi serius defectus sanetur.[5]

b) Vigente iure *advocantur* et votum *deliberativum* obtinent: Cardinales, etsi non episcopi; omnes cuiusque gradus episcopi residentiales, licet nondum consecrati; abbates et praelati *nullius;* abbas primas, abbates superiores congre-

[1] cf. supra n. 39. — *Theoriam conciliarem* scriptis defenderunt Henricus de Langenstein († 1397), Petrus d'Ailly, cardinalis († 1420), Nicolaus Cusanus, episcop. Brixinensis et cardinalis († 1464), Aeneas Sylvius Piccolomini, postea Pius II († 1464) et plures alii, inter omnes autem eminet Ioannes Gerson († 1429). Reiecta fuit iam a *Leone X* (Conc. Later. V) const. *Pastor aeternus,* 19 dec. 1516, imo implicite a *Pio II,* bulla *Execrabilis* 18 ian. 1458 (*Denz.* 717) Nihilominus eam reassumpserunt Gallicani (declar. art. II) ab Alex. VIII et demum a Pio VI damnati (*Denz.* 1325, 1511).

[2] Imo inde ab Ephesino de explicito consensu Pontificis ab Imperatore petito et impetrato historice constat.

[3] *Funk,* Die Berufung der oekum. Synoden des Altertums in Abh. u. Unters, 1, 39 ss. 498 ss.; III, 143 ss. 406 ss. Contra *Kneller,* Papst u. Konzil im ersten Iahrtausend in Z. für kath. Th. (Innsbruck 1903, 1904, 1908) XXVII, 1 ss. XXVIII, 58 ss. XXXII, 75 ss. Vide etiam *Forget,* Conciles in *Dict. apol.* I, 595 ss.

[4] *Conc. Constantiense,* decr. *Frequens* (sess. XXXIX, c. 1, 1417) statuerat ut concilium quolibet decimo anno indiceretur et locus a Patribus praecedentis synodi approbaretur. Quod decretum tum *Martinus V* tum *Eug. IV,* const. *Ad ea,* 5 febr. 1447, confirmaverunt, at propter evidentem inopportunitatem in desuetudinem abiit. Nec eo Pontifices ligari palam est. Aliquot episcopi Galli in Conc. Vatic. postulaverunt concilium singulis vicenniis.

[5] Duo soli casus, in quibus legitime episcopi ex tota Ecclesia coadunari possent, nimirum si Papa *dubius* aut in *haeresim* lapsus, a canonistis considerantur quidem, sed magis theoretici quam practici dicendi sunt. Tertius casus, si Papa *simoniace* electus, post *Pii X* const. *Vacante sede,* non amplius datur.

gationum monasticarum ac supremi moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum (can. 223 § 1).

Vocari *possunt*, et convenienter vocantur, episcopi *titulares*, qui in casu suffragium decisivum habent, nisi eis *expresse* denegetur; superiores generales non exempti si invitarentur novum esset (quamvis a C. non absolute exclusum) nec suffragium haberent nisi *expresse* eis tribueretur. *Theologi* et *canonistae* votum non habent nisi consultivum (c. c. §§ 2-3).

c) Vocati interesse *debent* (can. 224 § 1),[1] nec cuiquam licet antea discedere quam concilium sit rite absolutum, nisi a praeside probata fuerit abeundi causa et impetrata licentia (can. 225). Ex iis qui *iure* advocandi sunt (non autem ex aliis) si quis legitime sit impeditus, mittere tenetur procuratorem et impedimentum probare. *Procurator* potest esse unus ex Patribus, qui tamen ideo duplici suffragio non gaudet, si alius, nullum suffragium obtinet, sed sessionibus publicis interesse potest et acta concilii subscribere (can. 224 § 2).

d) Concilium, post *generalem* convocationem etiam per edictum factam, legitime est *constitutum* simul ac tot convenerint episcopi ut moraliter totam Ecclesiam referre dici possint. Omnes aut maiorem partem aut certum numerum praelatorum adesse oportere nullibi est statutum nec probari potest;[2] iudicium utrum aliqua synodus essentiali conditione oecumenicitatis praedita fuerit pertinet ad infallibile magisterium. Quaestiones tractandae pro regula iam antecedenter a R. Pontifice praefinitae sunt, habent tamen Patres *ius proponendi* seu *postulandi*, at de consensu praesidis (can. 226). Negotia, in congregationibus generalibus, *libere discutienda* sunt, decisiones autem, in sessionibus sollemnibus, per *vota maiora* feruntur et ne in dogmaticis quidem definitionibus requiritur unanime suffragium, ut ex ipsa rei natura patet. At nihil prohibet quominus R. Pontifex accedat *minori* et *saniori* parti, quae ita praevalens fit quia in ea est Ecclesia, aut etiam simpliciter repudiet quod maiori parti placuit.[3]

---

[1] Etiam vi *iuramenti* in consecratione emissi: «Vocatus ad synodum veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditione (*Pontif. Rom.* form. iuram.).

[2] At certe nequit R. Pontifex *conciliare* decretum edere cum paucis episcopis, forte unius regionis. cf. *Wernz*, II, 847.

[3] *Ben. XIV*, de syn. l. XIII, c. 2, n. 3. *Wernz*, II, 847.

A competentia concilii *per se* iudicia sive civilia sive criminalia, poenarum illatio, actus administrativi, gratiarum concessiones non excluduntur.

Fundamentum quo innititur ius interessendi cum decretorio suffragio concilio oecumenico est *iurisdictio* episcopalis. Quare iure proprio et ordinario in eo locum et vocem habent episcopi *residentiales;* reliqui omnes ex privilegio et R. Pontificis concessione, quae pro aliquibus iure communi sancitur, pro aliis singulis vicibus tribuenda est. Solus *ordo* episcopalis autem, cum nullam *actualem* iurisdictionem conferat, nullam quoque continet potestatem in universam Ecclesiam exercendam.[1] Unde tum episcopi *titulares* tum *resignati* nullum ius habent ut advocentur, sed profecto id convenienter fit praesertim cum vicariis apostolicis qui ordinariam iurisdictionem obtinent et amplissimas regiones repraesentant. Nunc can. 223 omnes antiquas quaestiones, quae adhuc occasione Conc. Vatic. agitatae sunt, authentice dirimit.

II. DE CONCILIO PLENARIO ET PROVINCIALI.

237. De utroque. *a)* Cum cuiusque episcopi iurisdictio ultra propriam dioecesim non pertingat et par in parem non habeat auctoritatem, etiam plures simul nequeunt leges dare ampliori territorio, easque ipsos legislatores obligantes. Cum autem constet eiusmodi esse naturam iuris in concilio particulari conditi, tenere oportet *collegio* competere peculiarem et superiorem potestatem, quae minime *summa* potestatum eorum qui intersunt est, sed *a iure* ei confertur.[2] Ideo etiam, decreta rite promulgata obligant in *territorio universo,* nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa (can. 291 § 1).

b) Concilia particularia non celebrantur ad dirimendas *controversias dogmaticas* sed ad *disciplinam* promovendam. Quare ab illis omnino abstinere debent,[3] at optimo iure latas authentice definitiones sollemniter recipiunt, probatas catholicas doctrinas proponunt, explicant, commendant, quae ad

---

[1] Pro iure episcoporum titularium multi dimicarunt et variis argumentis illud probar studuerunt. *Bolgeni* fuit inventor theoriae, secundum quam in consecratione confertur a Deo iurisdictio universalis praecise in concilio exercenda (cf. *Biederlack,* o. c. 125 s.). *Ferraris* ad iurisdictionem in actu primo confugit (Prompta bibl. v. *Concil.* n. 29, etiam *Herg.-Hollw.* 347) alii denique, etiam inter modernos, ex ordine derivare potestatem magisterii dixerunt, ideoque facultatem authentice docendi (*Sägmüller,* I, 497, n. 3).

[2] S. O. 10 sept. 1896 (Coll. 1952); *Wernz,* I, 181. Aliter, sed non recte, sentit *Scherer,* I, 660, item *Toso,* 178 qui vim legum conciliarium ex tacita pactione deducit.

[3] *Ben. XIV,* de syn. l. VII, c. 1, nn. 1 ss.

fidei incrementum conferunt decernunt. In re *disciplinari* autem nihil *contra*,[1] non nimia *praeter ius commune*[2] statuere opus est, praecipue vero *secundum* ius ea inquirere et iubere quae ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eamdemque disciplinam servandam vel inducendam opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur (can. 290). Sunt praeterea nonnulla quae ius expresse synodo provinciali determinanda committit.[3]

c) Simili ratione ac de concilio oecumenico statutum est, etiam synodo particulari qui vocantur cum suffragio deliberativo *interesse debent*, si impediti *procuratorem* mittere, qui impedimentum probet (can. 287 § 1), nec sine licentia et legitima causa *discedere* possunt (can. 289). Procurator si unus e Patribus est, *unum* votum habet, si alius, dumtaxat consultivum (can. 287 § 2). In concilio plenario causas abeundi probare, ordinem servandum determinare, synodum aperire, transferre, prorogare, absolvere soli praesidi competit; in provinciali Patrum consensus requiritur (can. 288, 289).

d) Cuiuslibet particularis concilii acta et decreta, ante promulgationem, a C. C. vel a C. P. F.[4] *expendenda* et *recognoscenda* sunt. Quae recognitio eo fine instituitur ut si quid in eis minus recte aut minus opportune actum vel sancitum fuerit *corrigatur*. Confirmatio vero non datur, nisi per exceptionem, multo minus in forma specifica, quae sola efficeret ut decreta suam naturam mutarent et fierent leges pontificiae.[5] Tamen approbatio maiorem auctoritatem *extrinsecam* eis confert et certiores nos reddit rite ac legitime esse confecta nihilque censura dignum continere.[6] Transmissio omnium actorum curanda est a praeside et demum postquam approbatio impetrata et indicatae emendationes peractae, publicatio *valide* et *licite* perfici potest (can. 291 § 1).

---

[1] cf. C. C. 19 febr. 1921 (A. XIII, 228).

[2] Non nimia, ne videantur quasi absorbere liberam iurisdictionem episcoporum. At nostra aetate, *uniformitas* disciplinae inter dioeceses eiusdem provinciae vel nationis valde utilis est et intentioni moderni iuris respondet. cf. *Wernz*, I, 181; C. C. 11 dec. 1920 (A. XIII, 350). — Potius a *nimia* severitate vel a novitate cavendum est, de qua re vide *Ben. XIV*, de syn. l. XI per totum.

[3] cf. can. 441 n. 1, 1507 § 1, 1909 § 1.

[4] Si in terris missionum celebrata, can. 250 § 4, 252 § 2, 304 § 2.

[5] cf. supra n. 83.

[6] *Wernz*, II, 855, V.

Cum antiquioribus Ecclesiae saeculis interdum in conciliis particularibus recens subortae haereses damnarentur, saepe factum est ut eorumdem acta ad S. Sedem transmitterentur, ut huius accedente auctoritate quod ab episcopis deliberatum fuerat ab omnibus reciperetur. Sed generalem obligationem ut omnes synodi locorum, licet sola disciplinaria decreta condidissent, ut recentiore aetate regula fuit, revisioni Sedis Apostolicae subiiciendae essent, demum Sixtus V, const. *Immensa,* 22 ian. 1589, statuit. Non semel olim accidit ut Summus Pontifex, expresse rogatus, decretis *confirmationem* tribueret. Quae tamen in forma communi dabatur et proinde decreta *conciliaria* manebant.[1] Sed etiam haec confirmatio a praxi Romana est aliena.[2]

238. Plenarium est igitur «concilium in quo conveniunt Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum» (can. 281), pro regula omnes alicuius nationis vel reipublicae.[3] Ad illud habendum necessaria est, singulis vicibus, *venia R. Pontificis,* qui territorium ac forte etiam res tractandas determinat et suum *legatum* designat, ad concilium convocandum eique praesidendum.[4]

a) Assistere *debent* de iure habentque suffragium deliberativum, praeter legatum, omnes archiepiscopi et episcopi residentiales, qui loco sui mittere possunt coadiutorem vel auxiliarem, administratores, vicarii, praefecti apostolici, abbates et praelati *nullius,* vicarii capitulares. Episcopi *titulares* ipso iure non intersunt, si autem legatus ex suis instructionibus eos advocet, accedere *debent* et gaudent voto decisivo, nisi aliud expresse caveatur. Reliqui omnes, forte ad conciiium invitati, etiam regulares, obtinent suffragium mere consultivum (can. 282).

b) Concilium legitime *constituitur* si adsit sufficiens numerus Patrum, de qua re, si in decreto indictionis nihil peculiariter praefinitum fuerit, iudicat Praeses. Negotia expediuntur *collegialiter,* libere discutiuntur, per vota maiora decernuntur. Legatus, haud secus ac alii, unum suffragium fert, nec praevalere potest contra maiorem partem, dirimit autem si hinc inde est paritas.[5]

---

[1] *Ben. XIV,* de syn. l. XIII, c. 3, nn. 1 ss.

[2] cf. C. C. 19 febr. 1921 (A. XIII, 220).

[3] At etiam regionis tantum (in Italia) aut plurium rerumpublicarum (Americae latinae).

[4] *Primatum* enim, moderno iure, nulla est iurisdictio (can. 271).

[5] cf. can. 101 § 1 n. 1.

c) Patres designare debent modum *promulgationis* decretorum et tempus quo obligare incipiant, si vacationem concedere opportunum duxerint. Ipsa promulgatio vero, post recognitionem S. Sedis, facienda est a legato (can. 291 § 1).

Antiqua aetate haud raro episcopi in concilia maiora convenerunt. Huiusmodi sunt plura orientalia, gallica, hispanica, praesertim vero africana, in qua regione stabili modo sub auctoritate Primatis habebantur *(plenaria)*. Durante medio aevo R. Pontifices in multis locis synodos *generales* promoverunt, quibus vel ipsi vel eorum legati praesidebant. Frequentia fuerunt praeterea concilia *nationalia,* saepe a principibus indicta et sub eorum vigilantia et influxu celebrata. In eis enim nedum de rebus ecclesiasticis sed de civilibus agebatur (concilia *mixta*).[1] Serius *Gallicanismus,* theoretice et practice, conciliis nationalibus abuti studuit ad deprimendam potestatem Sedis Apostolicae: inde et damnatio eorum errorum[2] et difficultates huiusmodi synodis cogendis oppositae.[3] Sed recentioribus temporibus, cum de episcoporum sensibus nihil dubitare sineret et utilitas multiplici ratione perspicua esset, S. Sedes iterum permisit concilia *plenaria,* quae sane etiam nationalia esse possunt, at ius ab hoc nomine abstinet.

Quamvis nunc haec concilia fundamentum habeant in iure,[4] nec necessitas nec tempus ea cogendi statuitur. Sunt igitur conventus extraordinarii. Peculiare est in *Italia* quod, cum plerique archiepiscopi, ex defectu suffraganeorum, convenienter habere concilium provinciale nequeant, huius locum tenent concilia plenaria regionalia, quae idcirco ex obligatione quolibet vicennio celebranda sunt.[5]

239. Provinciale. Institutum iure communi stabili modo inductum et certis intervallis necessario habendum est *concilium provinciale.* Etenim in singulis provinciis *vicesimo* saltem quoque anno celebrandum est (can. 283).

a) Convocatio pertinet ad metropolitam, eoque legitime impedito vel sede archiepiscopali vacante, ad suffraganeum qui antiquior est promotione in provincia. *Locus,* intra fines provinciae, eligendus est auditis omnibus qui assistere *debent* cum suffragio deliberativo, et praeferenda, seclusis iustis impedimentis, ecclesia metropolitana (can. 284).

b) Iure advocari et convenire *debent* atque suffragium decisivum obtinent *omnes Ordinarii* eadem ratione ac ad con-

---

[1] cf. *Scherer,* I, 676 s.

[2] *Pius VI,* const. *Auctorem fidei* prop. 85; *Pius IX,* Syll. 36, 37 (*Denz,* 1593, 1736-37).

[3] *Pius IX,* litt. ad ep. Germ. 17 maii 1849; litt. ad ep. Galliae eiusd. diei (Coll. Lac. V, 995; IV, 3).

[4] Tali modo factum est satis postulationibus episc. Galliae in Conc. Vaticano oblatis.

[5] C. Cons. 15 febr. 1919 (A. XI, 72). Exceptae sunt tantummodo provinciae eccl. Veneta, Mediolanensis, Vercellensis, Taurinensis, Ianuensis et Romana.

cilium plenarium. Invitari *passunt*, cum consensu maioris partis Patrum, episcopi *titulares*, et invitati habent votum deliberativum, nisi aliud expresse caveatur.

Suffragio mere *consultivo* gaudent: duo procuratores cuiusque capituli cathedralis vel coetus consultorum, collegialiter designati; superiores maiores religionum exemptarum, qui in provincia resideant; alii ex utroque clero viri forte invitati. Tum capitula (coetus) tum superiores invitari *debent* et invitati adesse, hi si impedimento detineantur, se excusare (can. 286).

c) Celebrandum est concilium sub praesidio eius qui illud indixit, servatis analogice iisdem normis, quae de plenario vigent. Decreta, post revisionem, promulgantur a metropolita, iuxta modum a Patribus determinatum (can. 291 § 1).

d) Episcopi exempti, abbates et praelati *nullius*, archiepiscopi sine suffraganeis, semel pro semper libere sed praevia S. Sedis approbatione, *eligere* tenentur *metropolitam*, cuius synodo intersint. Qua electione peracta, quoad synodum (et etiam quoad plura alia) illi provinciae aggregati censentur (can. 285).

Conc. Nicaen. (c. 5) *bis* in anno synodum provincialem fieri iusserat, serius in multis locis praescriptum est ut *semel* quotannis coadunaretur. Revera, antiquioribus saeculis, plurima eiusmodi concilia habita sunt, quorum amplissima erat competentia et maxima auctoritas, cum totam fere disciplinam suo iure ordinarent. Cum autem labente medio aevo celebratio intermissa esset, *conc. Constant.* statuit *tertio* quoque anno esse cogenda. Quod decretum *Conc. Trid.* (sess. XXIV, c. 2 de ref.) innovavit et hucusque ius commune fuit, quamvis recepta praxis minime ei responderet. Cuius rei rationem habuit C. dum longiora intervalla permisit.

In quo etiam claris normis definitum est quinam et quomodo vocandi sunt, itaque multae antiquae controversiae resecatae.[1] Peculiariter nunc archiepiscopi suffraganeis carentes (hactenus liberi) ad eligendum metropolitam pro synodo obligantur.[2]

Qui ad synodum provincialem iidem ad *conferentias* convenire debent. Proximi huius congressus locus a congregatis designatur, non enim opus est ut habeatur apud metropolitam (can. 292).

---

[1] cf. *Scherer*, l. 671 s. Hactenus plurimum valebat consuetudo, cum Trident. generali formula usum sit: « qui de iure vel consuetudine interesse debent ».

[2] Obligationem eligendi metropolitam exemptis imposuerat Conc. Trid. sed propius determinavit Congregatio part. 26 maii 1725. Quae tamen archiepiscopos liberos declaraverat *Ben. XIV*, de syn. l. XIII, c. 8, nn. 13 ss.; l. II, c. 4, n. 4.

III. DE SYNODO DIOECESANA.

240. Notio et natura. Synodus dioecesana est «legitima congregatio ab episcopo coacta ex clericis suae dioecesis aliisque qui accedere tenentur, in qua de iis quae ad particulares dioecesis necessitates vel utilitates referuntur agendum est» (can. 356 § 1). *Legitimam* dicimus, quia ea sola quae secundum canones convocatur et absolvitur *iuridice* vera synodus est, quamvis non prohibeatur episcopus, imo si id fecerit laudandus sit, quominus aliis quoque modis suos clericos coadunet, ut eis instructiones et praecepta impertiatur.

Synodus non est collegium, cui propria iurisdictio competat,[1] sed in ea *unicus* legislator est *episcopus,* ceteris votum tantum consultivum habentibus (can. 362). Unde leges latae, quae nomine *canonum* non sunt appellandae, sed *constitutiones* vel *statuta* dici possunt,[2] sunt mere episcopales quae ab aliis extra synodum forte conditis essentialiter non differunt. Et in usu potestatis episcopus eo dumtaxat *limitatur*, quod tenetur suas propositiones liberae adstantium disceptationi subiicere, eorumque *consilium* audire (can. 361).[3] In hoc autem est etiam potissima synodi *utilitas,* nam episcopus accepta per parochos totius dioecesis notitia, pleniore *cognitione* ac maturiore *deliberatione* leges suas fert et simul sollemnius promulgat; sacerdotes vero *libentius* ea exequuntur, in quibus statuendis consilium impenderunt.[4] Imo in quibusdam suffragio *deliberativo* gaudent, scilicet in approbatione examinatorum, parochorum consultorum et iudicum synodalium (can. 385 § 1, 1574 § 2).

At nedum utilis, *necessaria* est synodus ex praecepto. Etenim in singulis dioecesibus *decimo* saltem quoque anno celebranda est, nec huic dispositioni novi iuris communis, qua

---

[1] Huiusmodi doctrina, a syn. Pistor. prolata (prop. 9), notata est a Pio VI uti *falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aërianae a Calvino innovatae* (*Denz.* 1509-1511).

[2] *Ben. XIV,* de syn. l. I, c. 3, nn. 2 ss.

[3] Quare *mutatum* est in hac re ius. Hactenus doctrina communis, innixa decisionibus C. C. (*Richter,* 329 n. 5; *Ben. XIV,* o. c. l. XIII, c. 1) docebat posse episcopum constitutiones promulgare inauditis congregatis. At vicissim necesse ei erat audire *capitulum* in qualibet lege ferenda, etiam extra synodum. *Hodie* hoc ius capitulum amisit et in eius locum ipsa synodus successit. Unde, ni fallimur, dicenda non esset constitutio *synodalis* quae intimata esset ab episcopo, absque praevia disceptatione, obligaret tamen qua episcopalis; at episcopus synodum cogens et hoc modo procedens expressum praeceptum iuris violaret.

[4] *Ben. XIV,* o. c. l. I, c. 2; *Bargilliat,* I, 589.

temperata est antiqua disciplina, iam opponi potest consue tudo, licet inveterata, numquam cogendi synodum, quae ma nifesto est *irrationabilis.*[1]

Antiqui episcopi omnia graviora negotia suae ecclesiae cum cor silio presbyterii expediebant. Cum autem multi clerici ruri permanente constituti sunt consentaneum erat ut etiam ii saltem subinde in urbe convenire deberent. Inde synodus, cuius origo in Oriente iam saec. III-IV in Occidente saec. V forte ponenda est. *Quotannis* esse celebrandam pr mum conc. Antissiodoren. (585?) iussit, mox alia concilia particular sanxerunt, demum *Conc. Later. IV* (c. 6 = c. 25, X. 5, 1; a. 1215) g *nerali* lege confirmavit. Sed de facto, quamvis summo medio aevo valc frequentes fuerint, deinde rarius synodi cogebantur, tum ante *Tridentinu* tum post hoc concilium, quod praeceptum innovavit (sess. XXIV, c. de ref.). Etiam graves poenae in episcopos negligentes statutae antiqu tae habebantur.

Et re quidem vera fatendum est aliquos ex finibus, quibus an quiore aetate synodi ordinabantur, evoluta administratione dioecesana auctа facilitate communicandi inter episcopum et clerum, aptius et c lerius aliis modis hodie obtineri posse. Ceterum praetermissis concil provincialibus fere sponte sua etiam synodales conventus desierunt, u pote quae illorum quasi complementum et corollarium censebantur. cum aliae utilitates, eaeque maximi momenti, quolibet aevo synodoru celebrationem consequantur, S. Sedes nusquam destitit eas commenda et modernum ius, ratione quidem habita mutatae temporum condition et adhibitis opportunis temperamentis quoad eos qui vocandi sunt, e iterum inculcat.

241. Convocatio. *a)* Ad indicendam synodum *compete* est episcopus, modo iurisdictionem assecutus, etsi nondu consecratus,[2] coadiutor plena potestate praeditus (can. 381 § abbas et praelatus *nullius* (can. 323 § 1) et vicarius apostolic (can. 304 § 2); non autem vicarius generalis sine mandato sp ciali, nec vicarius capitularis aut administrator apostolicus te porarius (can. 357 § 1), nec praefectus apostolicus (can. 304 § Episcopus qui plures dioeceses aeque principaliter uni regat, aut unam in titulum alteram aliasve in *perpetuam* a ministrationem habeat potest *unam* synodum ex omnib dioecesibus convocare (can. 356 § 2).[3]

---

[1] *Ben. XIV*, o. c. l. I, c. 6, n. 5.

[2] Est enim actus iurisdictionis. *Ben. XIV*, o. c. l. I, c. 4 et l. II, c. 5, nn. 4 ss. — scopum qui privilegio *pallii* fruitur, ante huius receptionem, synodum cogere posse certum (*Ben. XIV*, l. II, c. 6, n. 4), sed etiam de archiepiscopo idem tenendum videtur. *Wernz*, II, *Scherer*, I, 680. Alii aliter (*Bargilliat*, I, 592), at quaestio non est valde practica.

[3] *Potest;* ideo non ei sublata est facultas distinctas synodos cogendi. C. C. 8 iun. (*Richter*, 35, n. 6); cf. C. C. 2 oct. 1706 (*Richter*, 36, n. 7). In alia causa C. C. 8 maii (*R.* 36, n. 8) responderat teneri episcopum ad habendam synodum in *utraque* dioecesi *alterna*

b) Advocandi sunt et *accedere debent: 1.* vicarius generalis, *2.* canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani, *3.* rector seminarii saltem maioris, *4.* vicarii foranei, *5.* deputatus uniuscuiusque capituli collegialis e gremio a canonicis eligendus, *6.* parochi civitatis in qua synodus celebratur, *7.* unus saltem deputatus ex quolibet decanatu, inter eiusdem parochos ab omnibus qui curam animarum actu inibi exercent eligendus, *8.* abbates de regimine et unus superior ex singulis religionibus clericalibus in dioecesi existentibus, a provinciali designandus nisi ipse provincialis, qui in dioecesi sedem habeat, interesse maluerit (can. 358 § 1).

Hi ex dispositione iuris invitandi sunt, habent proinde, nedum officium, *ius* interveniendi. Episcopus autem *potest,* si opportunum iudicaverit, alios quoque vocare, et etiam omnes canonicos, parochos, superiores religiosos, imo quemlibet sacerdotem saecularem dioecesis, dummodo cautum sit curae animarum in paroeciis; invitati parere tenentur et iure suffragii gaudent in omnibus, perinde ac ceteri, nisi in invitatione aliud expresse dicatur (c. c. § 2).

Legitime impediti *nequeunt* mittere *procuratorem,* sed debent episcopo impedimentum probare; *negligentes* possunt etiam poenis compelli et puniri, nisi agatur de religiosis exemptis qui parochi non sunt (can. 359).

Habemus nunc ius certum in materia hucusque nec in fontibus clare definita nec ab auctoribus sine controversia proposita. Dubitabatur praesertim quinam essent necessario vocandi, quinam *ius* tantum, quinam *obligationem,* quinam utrumque haberent.[1] Multum pendebat etiam a *consuetudine.* Ex qua alicubi *procuratores* admittebantur, hanc consuetudinem servare, si centenaria sit, non videtur episcopus prohibitus, cum nec reprobata nec irrationabilis dici possit.[2]

Sed potissima *innovatio* ea est, quod non iam omnes parochi accersendi sunt, sed principium *deputationis* sancitur. Quae quam opportuna sit elucet, si attendatur illud fuisse praecipuum impedimentum quod celebrationi synodi in amplioribus dioecesibus obstare protendebatur. Modernam disciplinam praeformaverant C. C.[3] et C. P. F.;[4] iure communi tamen hactenus episcopus indigebat peculiari indulto, ut posset cum solis delectis clericis synodum habere.

---

[1] cf. *Ben. XIV,* o. c. l. III, cc. 1-9; *Scherer,* I, 681 ss.; *Wernz,* II, 860.
[2] *Wernz,* l. c. not. 36.
[3] *Ben. XIV,* o. c. l. I, c. 2, n. 5; *Scherer,* I, 684, qui plura allegat exempla.
[4] C. P. F. 29 iul. 1889 (Coll. 2276).

242. Celebratio. *a)* Synodus celebranda est in ecclesia *cathedrali,* nisi aliud rationabilis causa suadeat (can. 357 § 2). Hoc praeceptum autem limitatur ad sessiones *sollemnes*, quae pro regula *tres* esse deberent. Functiones sacrae in eis peraguntur, in Pontificali Rom. et Caeremoniali Episcop. descriptae. Negotiis discutiendis vero habendae sunt sessiones *praeparatoriae* seu congregationes generales. Legitime *constituta* est synodus, si tot adsint quot sufficiunt ad dioecesim repraesentandam et nemo qui ius habet interveniendi excludatur. Ei *praeest* per se vel per delegatum episcopus (can. 361), a quo etiam *officiales* synodi libere eliguntur: *promotor,* cuius munus est actiones synodales urgere et curare ut omnia recte fiant, *secretarius* et *notarius*, ad acta authentice redigenda, *magistri caeremoniarum, procurator cleri* qui nomine omnium obiectiones contra decreta et optata congregatorum proponat.[1]

b) Episcopus *potest,* si id ipsi expedire videatur, opportuno ante synodum tempore, unam vel plures e clero *commissiones* nominare, quae res in synodo tractandas parent, *debet* vero ante sessiones omnibus qui convenerunt decretorum *schema* tradendum curare (can. 360). Super quo in congregationibus praeparatoriis libera adstantium disceptatio permittenda est (can. 361). Ex natura rei consequitur, ut etiam per *suffragia* eorum sententia exquiratur,[2] licet haec nonnisi consultiva esse possit (can. 362).

c) Definitiva decisio enim soli *episcopo* competit, qui ideo unus decretis *subscribit.* In sessionibus sollemnibus, nullius requisita sententia, *promulgantur*, cum approbatio S. Sedis nec exigatur nec concedatur,[3] et eo ipso obligare incipiunt, nisi vacatio expresse statuatur (can. 362).

A decretis synodalibus *non* datur appellatio in *suspensivo,* sed dumtaxat in devolutivo, si quis se iniuste gravatum probare valeat.[4]

---

[1] De iis aliisque minoribus officialibus, qui non omnes sunt necessario eligendi, agit *Ben. XIV,* o. c. l. IV, cc. 1-4.

[2] In pluribus dioecesibus usus invaluit ut sententia exprimatur verbis « placet » vel «non placet». Quod prohibitum non est, at naturam suffragii non mutat. *Ben. XIV,* o. c. l. XIII, c. 1.

[3] *Ben. XIV,* o. c. l. XIII, c. 3, n. 6.

[4] *Ben. XIV,* o. c. l. XIII, c. 5, nn. 12-13.

CAPUT VI.

DE RELIGIONIBUS ET RELIGIOSIS

Sectio Prima: De Religionibus.

I. DE STATU RELIGIOSO.

243. Natura iuridica. *a) Status,* proprie, est iuridica conditio personae, stabili modo lege inducta, ex qua illius capacitas iuridica dimetitur.[1] Latiore sensu, et consequenter, est stabile vitae institutum.[2] Unde intelligitur status in prima acceptione dari posse dumtaxat in societate, in qua non omnibus paria iura sint.[3] Haec est Ecclesia, in qua fundamentalis habetur distinctio in *statum clericorum* et *statum laicorum.*[4] At sub alia etiam ratione christiani considerari possunt, nimirum prout communem sanctitatem intendunt, per observantiam mandatorum, aut perfectiorem prosequuntur, consilia evangelica sectantes. Et si qui ad hunc ordinem pertinent *publice* secernuntur et in peculiarem conditionem *iuridicam* a legitima auctoritate constituuntur, verum statum obtinent. Quod re vera fit, quare habetur *status religiosus,* a clericali et laicali non quidem adaequate distinctus, sed medium quasi locum inter utrumque tenens, cum ex utroque in eum membra cooptari queant, propriis vero iuribus et officiis, ab iis quae clericis et laicis competunt diversis, praeditus.[5]

b) Itaque *status religiosus* definitur «stabilis in communi vivendi modus, quo fideles praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt» (can. 487). Unde, moderno iure, ad essentiam status religiosi pertinent: *1. vita communis,* quia Ecclesia aliam formam religionis non admittit; *2. observantia trium consiliorum,* his enim omnes hominum passiones coercentur et obstacula perfectionis removentur, proinde

---

[1] Romani triplicem distinguebant statum: *libertatis, civitatis, familiae;* illius amissio maximam, istius mediam, huius minimam capitis deminutionem afferebat. cf. Inst. 3, 16; D. I, 5 de statu hominum; *Arndts,* o. c. § 28; *Vidal,* Inst. iur. civ. Rom. 50 ss.

[2] Hoc sensu loquimur de statu mercatorum, militum, opificum, aut etiam de statu sacerdotali, matrimoniali etc. in quibus omnibus acceptionibus vox «status» plus minusve proprie, non autem *stricte* iuridice sumitur. cf. *Biederlack-Führich,* De religiosis[2], Oeniponte 1919, 1.

[3] Non ideo in modernis rebuspublicis. cf. *Commentarium pro religiosis,* I (Romae 1920) 18.

[4] can. 107. cf. supra nn. 104 et 105.

[5] Ex hoc perspicitur etiam ratio *practicae* divisionis l. II C. in *tres* partes et secundi loci religiosis assignati. cf. *Comment.* l. c.; *Wernz,* II, 12.

omnia et sola sunt essentialia; *3.* eaque *votis externis* et saltem *virtualiter perpetuis* firmata, per quae necessaria stabilitas obtinetur; *4. approbatio Ecclesiae*, agitur enim de statu iuridico, publice recognito, quod inscia, eoque magis contradicente, publica auctoritate non intelligitur.

c) Statum religiosum doctrinae et exemplo Christi apprime congruere,[1] sanctitati Ecclesiae mirifice conferre, saluti animarum maxime conducere, ideoque in ordine supernaturali *praestare* et ab omnibus *in honore* habendum esse, ex eius natura et fine perspicuum est.[2]

Ad statum religiosum quaedam ex natura rei necessaria sunt, quaedam ex dispositione Ecclesiae, quae profecto normas et conditiones statui iuridico ponere potest. *Re ipsa* requiritur observantia trium *consiliorum*, cum in ea contineatur substantialis exercitatio illius perfectionis, ad quam assequendam vita religiosa ordinatur. *Perfectio christiana* est quidem in caritate, ideoque per se et directe in *praeceptis*,[3] at qui consilia sequitur potissimis mediis utitur, quibus ad superiorem gradum caritatis perveniat et ab impedimentis naturae liberetur. Et cum *triplex* sit concupiscentia,[4] triplici consilio complete retunditur.[5] Est autem status alius *perfectionis exercendae* alius *acquirendae*. In illo dicuntur esse episcopi qui ex munere omnes suas actiones impendere tenentur in exercitio virtutum, propter aliorum salutem,[6] in hoc religiosi qui suae imprimis solliciti ex *speciali* obligatione efficacia media adhibenda suscipiunt, ut quam nondum habent perfectionem acquirant.

Deinde necesse est ut obligatio per *vota* suscipiatur. Status enim exigit stabilitatem, cui practice hoc modo aptissime cavetur. Eadem est ratio cur vota *externa* et *publica* esse debent et etiam *perpetua*. Quod si temporaria admittuntur, haec in intentione tum Ecclesiae tum voventis elapso tempore renovanda intelliguntur (can. 488 n. 1) et ipsi naturae

---

[1] *Matth.* 8, 20; 13, 22; 19, 11-12 et 21-23; *Luc.* 9, 58. cf. *Vermeersch*, De religiosis[2], I, Brugis 1907, 11 ss.

[2] *Mart. V* (in Conc. Constant.), const. *Inter cunctas*, 22 febr. 1418, errores Io. Wicleff, 31, 34, 35; errores Huss 30 (*Denz.* 611, 614, 615, 680).

[3] *Thomas Aq.*, II, II, q. 184, aa. 1 et 3.; *Suarez*, De statu perfectionis et religionis, Moguntiae 1625, l. I, c. 11.

[4] *I Io.* 2, 16: «omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae».

[5] Consilia hoc ordine referuntur c. 1 Extrav. Io. XXII, 14: «Magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo». cf. *Thom. Aq.* l. c. q. 186, a. 8. — In multis religionibus emittitur etiam *quartum votum*, quod tamen ad essentiam status non pertinet (exempla in *Vermeersch*, Rel. 82), imo in novis institutis S. Sedes non permittit ut praeter tria consueta alia nuncupentur, nam cetera in voto obedientiae comprehenduntur. *Battandier*, Guide canonique des instituts a vouex simples[5], Paris 1911, 185 ss. *Normae* C. Ep. et Reg. 28 iun. 1901, art. 102.

[6] Haec doctrina communior (*Suarez*, l. I, c. 15), at *Vermeersch*, Rel. 19 negat episcopos proprie poni posse in statu perfectionis acquisitae. Unde consequitur ut qui in episcopum assumitur non debeat iam esse perfectus. cf. *Biederlack*, 4.

instituti repugnaret dispositio quae renovationem excluderet. Unde potest quidem aliquis esse perfectus sine votis, aut vota emittere secreta vel privata, sed neuter in *statu* religioso *iuridice* esse dignoscitur.

Ex *sola ordinatione* Ecclesiae est, e contra, *vita communis,* cum iam a multis saeculis, haud quidem prohibitum sit ne quis in eremum secedat, sed Ecclesia hanc formam *religiosi status* non agnoscat; inde sequitur etiam necessitas *traditionis* ad aliquem coetum, per quasi-contractum inter voventem et religiosam familiam initum, ex quo utrique parti iura et obligationes oriuntur (cf. infra n. 271); *approbatio formalis* et *positiva,* dum per se negativa vel implicita sufficeret;[1] *sollemnitas votorum*, quae in certis tantum religionibus occurrit.

II. NOTIO, VARIETAS, HISTORIA RELIGIONUM.

244. Religio. Cum, vigenti iure, status religiosus nonnisi in forma sociali agnoscatur, sequitur ut peculiarem societatem ingredi debeat qui illum assequi vult. Eiusmodi plures sunt; comune et generale nomen eis *religio,* sodalibus *religiosi.* Qui utriusque sexus esse possunt, sed, ex recepta regula, quae in iure masculino vocabulo exprimuntur ad feminas quoque trahuntur, nisi aut contextus sermonis aut natura rei prohibeat (can. 490). Est itaque *religio:* «societas, a legitima auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt» (can. 488 n. 1). Ex qua definitione colligitur imprimis religiones esse *personas morales collegiales,*[2] quae ex positivo actu potestatis *ecclesiasticae,* eiusque solius,[3] existentiam iuridicam sortiuntur; porro eas in concreto continere omnia essentialia elementa status religiosi, secundum modernam disciplinam: nam vita communis natura ac sponte sua et superiores et leges postulat. Revera nulla est religio quae suas *regulas* et particulares *constitutiones* non habeat, eaeque si novo iuri communi non sint contrariae vim suam servant, reliquae abrogatae censentur (can. 489).[4]

---

[1] Est quidem de hac re *duplex* sententia, at argumenta affirmantium *iure divino* requiri approbationem Ecclesiae a petitione principii immunia non dixeris. *Suarez,* l. II, c. 15; *Piat,* Praelectiones iuris regularis[3], Parisiis 1906, I, 16 s.; *Wernz,* III, 590, IV; *Vermeersch,* Rel. 27; *Fanfani,* De iure religiosorum, Taurini 1920, 7.

[2] Ideoque eis conveniunt omnia quae de iis personis moralibus ius commune statuit. cf. can. 100 ss. et supra nn. 97 ss.

[3] Unde iam apparet quid tenendum sit de omnibus praetensionibus et attentatis auctoritatis laicalis in hac provincia.

[4] C. Rel. 26 iun. 1918 (A. X, 290) iussit ut omnes religiones iuris pontificii et societates vitae communis sine votis suo submitterent examini exemplaria regularum et constitu-

Ipsa terminologia C. ostendit nunc absolutam esse, in hac provincia, eam *evolutionem iuris* quae abhinc duobus saeculis incoepta praesertim his ultimis decenniis multiplici ratione praeformata erat. Olim veri nominis status religiosus solummodo profitentibus vota sollemnia agnoscebatur.[1] Congregationes autem primum adversatae, postea toleratae, demum etiam laudatae, paulatim dumtaxat et in quibusdam tantum ordinibus aequiparatae fuerant, sed essentiali discrimine ab iis separari censebantur et de iure regularium in plerisque non participabant.[2] At durante saec. XIX, mutatis societatis conditionibus et in immensum auctis eiusmodi institutis, per gradus elaborata est *peculiaris legislatio,* eorum naturae et studiis apta, quae per *Leonis XIII* const. *Conditae a Christo,* 8 dec. 1900, et *Normas* a C. Ep. et Reg. 28 iun. 1901 eiusdem executioni editas,[3] unitatis et universalitatis notam assecuta est. C. autem evolutionem complevit. Iam nulla fere est *essentialis* distinctio inter ordines et congregationes: omnes sunt verae *religiones,*[4] omnes statum religiosum nedum theologice sed canonice obtinent, omnes eodem iure communi generatim utuntur, quod in multis a vetere regularium deflectens recentiores normas institutis votorum simplicium proprias recipit.

245. Varietas. Cunctae religiones in substantia status religiosi, in fine primario, in mediis essentialibus conveniunt, magna tamen varietas in fine proximo et in vitae genere. Varia etiam *iuridica conditio,* quae imprimis nostra interest. Distinguuntur:

1. *Ordines* in quibus vota sollemnia nuncupantur et *congregationes* in quibus vota dumtaxat simplicia, sive perpetua sive temporaria, emittuntur. Illorum sodales, si masculi *regulares,*[5] si feminae *moniales* vocantur,[6] harum *religiosi votorum simplicium* et *sorores* dicuntur.

2. Religio, *iuris pontificii,* quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est assecuta, et *iuris dioecesani,* quae adhuc in omnibus iurisdictioni Ordinariorum subest.

---

tionum *emendatarum*; item ut instituta *mulierum* exhiberent libros quoslibet continentes consuetudines, usus, preces proprias instituti, in communi recitari solitas (C. Rel. 29 mart. 1919, A. XI, 239); decr. 26 oct. 1921 (A. XIII, 538) normas dedit in emendatione attendendas.

[1] cf. *Wernz,* III, 593; *Piat,* 8 s.; *Comment.* I, 173 ss.

[2] Hanc rem historice late prosequitur *Comment.* I, 45 ss. 133 ss. 171 ss.

[3] cf. *Vermeersch,* Rel. II, monum. 15; supplem. 128 ss.

[4] Nomina *religionis* et *religiosorum* olim ordinibus eorumque alumnis erant reservata.

[5] Etiam ii qui sola vota simplicia emiserunt, quod hactenus solummodo de professis in S. J. ex privilegio valebat.

[6] In quibusdam regionibus (Gallia, Belgio, America sept. Bavaria) eiusmodi religiosae, ex pontificia dispositione, nuncupant *vota simplicia;* nomine tamen monalium in iure veniunt, nisi ex rei natura vel ex contextu aliud constet. cf. *Bizzarri,* 72, 86, 451, 454, 487, 723; *Piat,* I, 12 ss.

3. Religio *exempta,* quae ab iurisdictione Ordinarii loci est subducta, et *non exempta* quae a potestate episcopali pendet, nisi in iis quae expresse excipiantur.

4. Religio *clericalis,* cuius plerique sodales sacerdotio augentur, et *laicalis* in qua praevalent laici [1] (can. 488).

Ex fine *proximo* autem et mediis secundariis distingui solent:

5. Religiones *contemplativae, activae, mixtae,* prout principaliter aut in divinis rebus contemplandis, aut in operibus misericordiae praesertim corporalis exercendis, aut in illa et in ministerio spirituali versantur.

6. Religiones *mendicantes* et *non mendicantes;* illae ne in communi quidem aliquid possidere possunt, hae uti societates dominii sunt capaces.[2]

7. Religiones *monachales, militares, hospitalariae.*

Ratione *regiminis interni* duplex forma distinguitur: pleraeque religiones habent ordinationem *centralem;* unus supremus moderator totam societatem regit, haec divisa est in *provincias,* quibus praesunt superiores provinciales, provincia plures *domus religiosas* aut *regulares* (si alicuius ordinis) continet, quae omnino tum a generali tum a provinciali pendent. Aliquae antiquiores religiones habent, e contra, formam *foederativam;* unumquodque monasterium est *sui iuris* et a proprio *abbate* regitur, plura monasteria coalescunt quidem in *congregationem monasticam* sub *abbate superiore,* imo hodie omnes congregationes benedictinae unionem aliquam efformant sub *abbate primate,* at vinculum iuridicum quo singulae partes inter se devinciuntur valde laxius est quam in altero regimine (can. 488 nn. 2, 5, 6, 8; can. 501 § 3).

Ex natura status religiosi sequitur regula ut clerus saecularis *praecedat* religiosis, religiosi laicis. At in ecclesia propria religio clericalis praecedit clericis saecularibus, exceptis capitulis. Inter *ipsas religiones* vero, partim ex historicis partim

[1] Distinctio non praecise ex numeri proportione deducenda est, sed ex genere instituti, quod finem sibi proponit aut clericis aut laicis aptum.

[2] Magni ordines mendicantes quattuor: S. Dominici, S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum; alii minores deinde accesserunt (*Vermeersch,* Rel. 53). Conc. Trid. (sess. XXV, c. 3) permisit ut mendicantes bona immobilia possidere possent, exceptis ordinibus franciscalibus, qui soli veri mendicantes sunt. His autem addenda est S. J. ex explicita declaratione Pii V cf. *Biederlack-Führ.* 18 s.

ex iuridicis rationibus, praecedentia ita ordinatur: religiones clericales praecedunt laicalibus, canonici regulares monachis, monachi ceteris regularibus, regulares congregationibus, congregationes iuris pontificii congregationibus dioecesanis; in eadem specie praecedentia desumitur ex quasi-possessione vel, hac deficiente, ex prioritate fundationis (can. 491, 106 n. 5).

246. Origo et vicissitudines. Statum religiosum *divinae* esse *institutionis* recte dicitur, quatenus Christus consilia dedit, in quibus eius substantia continetur, expressis verbis ac exemplo ad ea sectanda suos incitavit, potestatemque Ecclesiae tradidit religionibus instituendis et regendis.[1] Quare iam a primordiis christianismi fuerunt utriusque sexus fideles qui in exercitio consiliorum, praesertim castitatis, perfectionem vitae intendebant, sive domi viventes *(virgines* Deo dicatae, *ascetae)* sive in solitudinem secedentes *(anachoretae).*[2] Erant haec *privata* studia, licet Ecclesia ea et laudaret et foveret, sensim vero, communi aliqua lege ordinata et ad uniformitatem redacta, *religionibus* viam paraverunt.

a) Prima forma vitae religiosae fuit *monastica.* A medio saec. III in Aegypto multi, viri et mulieres, tum ut persecutiones effugerent tum ut Deo liberius vacarent, in deserta loca abeuntes ibi eremiticam vitam ducebant. Celeberrimi sunt *S. Paulus Thebanus* († 341) et *S. Antonius* († 356),[3] quorum alter multos discipulos habuit. Ita decursu temporis (saec. IV) efformatae sunt *coloniae* anachoretarum *(laurae),* in quibus unusquisque solus et libere orationi ac labori incumbebat, mero vinculo morali cum sociis coniunctus. Hoc institutum latissime in toto *Oriente* diffusum est.

Sed mox *altera* accessit forma: *coenobitica.* Auctor fuit *Pacomius* († 346), qui primum monasterium Tabennisi ad Nilum fluvium fundavit et primam *regulam* scripsit. Etiam hoc vitae genus celerrime per omnes orientales regiones dilatatum est, eius assiduus propagator et praecipuus legislator fuit *S. Basilius* († 379), cuius regula hodiedum a plerisque religiosis Ecclesiae orientalis servatur.

b) In *Occidente* monachismum iam ineunte saec. IV extitisse pluribus argumentis ostenditur,[4] at imprimis ab exule S. Athanasio eiusque comitibus magnum incrementum coepisse constat In Italia (Ambrosius, Euseb. Vercell. Paulinus Nol.) in Africa (Augustinus), in Gallia (Martinus Turon. Cassianus, Honoratus) multa monasteria, tum virorum tum fe-

---

[1] Ulterius vero affirmare Christum *in particulari* statum religiosum instituisse, imo apostolos veros religiosos fuisse (*Suarez,* o. c. l. III, c. 2) nimium est. cf. *Wernz,* III, 599, n. 62; *Bieder.-Führ.* 7. — Sententiae autem quorumdam modernorum, qui monachismum christianum a similibus studiis apud cultores Serapidis, buddhistas, neo-platonicos occurrentibus derivare voluerunt, vix mereri videntur refutationem. cf. *Schiwietz,* Vorgeschichte des Mönchtums in AK LXXVIII (1898) 8 ss.; *Besse,* Monachisme in *Dict. apolog.* III, 860.

[2] *Vermeersch,* Rel. II, 3 ss.; *Schiwietz,* 14 ss. 305 ss.

[3] Quaestiones historicas et criticas circa S. Paulum et S. Antonium motas fuse expendit *Schiwietz,* 454 ss.

[4] *Spreitzenhofer,* Die Entwicklung des alten Mönchthums in Italien, Wien 1894, 5 ss.

minarum,[1] excitata sunt. At *patriarcha* monachorum Occidentis fuit *S. Benedictus* (480-543), qui monasterium Montis Cassini fundavit (529) et celeberrimam illam regulam composuit, quae usque ad saec. XII communis omnium religiosorum occidentalium norma vivendi facta est. In constitutione benedictina unumquodque monasterium *sui iuris* est et monachus vovet in eo perpetuam *stabilitatem*. Tamen iam a saec. X plura monasteria in *congregationes* adunata sunt, sub quadam praeeminentia coenobii principalis (prima *Cluniacensis*).[2] Sapienti distributione religiosi in *opus Dei* et *opus manuum* tempus impendere debent; *Cassiodorus* († 580) addidit studia litterarum et codicum exscriptionem.[3] Greg. M. qui etiam in Italia magnopere ordinem promovit, illum in Angliam introduxit, unde in Galliam et Germaniam (Bonifatius) transmigravit.

Ex arbore benedictino, progressu temporis, multi rami prodierunt, qui in distinctos ordines constituti sunt: *Camaldulenses*, *Vallumbrosani*, *Carthusiani*, *Cistercienses* (saec. XI).

c) Vitae monasticae hucusque propria et fere exclusiva intentio fuerat singulorum sanctitas. Ideo etiam plerique religiosi *laici* erant et ex necessitate tantum non ex instituto aliqui sacerdotio augebantur. At saec. XII canonici multorum capitulorum vitam communem instaurantes regulam *S. Augustini*[4] assumpserunt et votis adstricti veri *regulares* facti sunt *(canonici regulares)*, qui ex professo clericalia munia cum religiosis coniunxerunt. Eodem tempore, occasione expeditionum contra infideles, *ordines militares* oriebantur (Eq. Templi, a. 1118; Eq. S. Ioannis Hierosolym. serius Melitenses, a. 1118; Eq. Teutonici, a. 1199), in iis, praeter quartum votum militiae Christi, speciali mentione digna est *constitutio* stricte *monarchica* et *hierarchica*, sub uno supremo magistro et magistris provincialibus.

Utrumque elementum receptum est deinde in constitutione *ordinum mendicantium*. Fratres Praedicatores (1216 et 1221), Fratres minores (1209 et 1223), Carmelitae (1226), Eremitae S. Augustini (1255) saec. XIII fere simul orti vel restituti et a S. Sede expresse approbati, omnes in formam *unicae* et *universalis* societatis sub *uno* moderatore (ministro generali) coalescunt et vitam activam in apostolicis ministeriis cum contemplativa componunt. Praeterea eis peculiare fuit ut *absolutam paupertatem* etiam in communi profiterentur.[5] Quintus ordo mendicans, Servitae B. M. V. a. 1256 approbatus est, alii minores deinde accesserunt.

d) Saec. XVI, novae temporum necessitates novum religionum genus excitaverunt: *clericos regulares*. Qui ex ipsa constitutione pro suis alumnis sacerdotium intendunt, nam ministeria clericalia universim exercenda

---

[1] Utrum autem omnes veri religiosi in posteriore acceptione cum *tribus votis* essent, merito videtur dubitandum. Saltem quoad viros saepe agebatur potius de *clericis* vitam communem agentibus.

[2] *Conc. Trid.* hoc universim fieri, per provincias, iusserat, nisi amittere vellent exemptionem. At completa eiusmodi ordinatio demum his ultimis decenniis absoluta est.

[3] cf. Reg. monach. S. Benedicti ap. *Kirch* 975 ss.; *Galante* 269. — Merita O. S. B. in cultum civilitatemque Europae narrant historici.

[4] Ita dicta quia ex variis scriptis S. Augustini excerpta et compilata.

[5] Causa occasionalis absolutae huius paupertatis in corruptione cleri et antiquorum religiosorum, ex avaritia, et in haeresibus eo praetextu exortis, quaerenda est.

suscipiunt. His accensentur: *Theatini* (1524), *Barnabitae* (1533), *Somaschi* (1540), *Societas Iesu* (1540), *Ministri infirmorum* (1591), *Scolopii* (1621, 1663), *Clerici Matris Dei* (1621).

e) Moderna aetate plurimae exortae sunt *congregationes* votorum *simplicium*, sive virorum sive praesertim mulierum, imo harum maxima pars nunc in eiusmodi institutis profitentur, quae eis aptissima sunt. Ab antiquiore iure status religiosus sine votis sollemnibus non agnoscebatur.[1] *Iuridice* maximi momenti fuit innovatio S. Ignatii, qui in sua societate alumnos vota simplicia dumtaxat nuncupantes admisit et expressa declaratio Greg. XIII, const. *Quanto fructuosius*, 2 febr. 1583 et *Ascendente Domino*, 25 maii 1584, eos vere religiosos esse. Qua *theoretice* resoluta censeri poterat quaestio de sufficientia voti simplicis, *practice* autem demum saec. XVIII agnita est opportunitas instituta cum iis votis prius permittendi deinde etiam promovendi. Imo abhinc plus centum annis S. Sedes nullum voluit novum *ordinem* approbare, nec sollemnia vota ulli congregationi ea petenti concedere. Pro evolutione iuris institutorum muliebrium fundamentalis fuit *Ben. XIV* const. *Quamvis iusto*, 30 apr. 1749,[2] eam acceleraverunt quoque conditiones politicae et sociales Europae post revolutionem gallicam, cum vel moniales in pluribus locis ad vota simplicia reducere opus fuerit.

Antiquiores et praecipuae congregationes virorum sunt *Fratres scholarum christianarum* (1679), *Passionistae* (1738), *Redemptoristae* (1732), recentiores multae aliae existunt.

Sunt denique societates vitae communis *sine votis* aut cum votis mere privatis, quarum prima fuit *Oratorium* S. Philippi Neri (1566).[3]

III. ERECTIO ET SUPPRESSIO RELIGIONIS, PROVINCIAE, DOMUS.

247. Religionis. *a)* Institutio vel suppressio *ordinis* religiosi est *causa maior* R. Pontifici aut concilio oecumenico omnino reservata.

b) Congregationis *votorum simplicium* autem iuridica erectio fieri potest auctoritate *aut* Ordinarii *aut* S. Sedis. *Episcopus*, non vero vicarius generalis nec capitularis, *suo iure* piae societati personalitatem moralem conferre eamque approbationem tribuere potest, qua vera et legitima religio efficitur (can. 492 § 1, 488 n. 1). Ex natura rei id faciendum erit *scripto* decreto, quo sodalitium eiusque leges comprobentur. Ut *licite* agat autem, nedum debet inquirere utrum in statutis

[1] *Pius V*, const. *Circa pastoralis*, 29 maii 1566 *(Vermeersch*, II, 220); *Lubricum vitae genus*, 17 nov. 1568; *Ben. XIV*, const. *Quamvis iusto*, 30 apr. 1749 *(Verm.* 446).

[2] *Comment.* I, 47.

[3] Ampliora ap. *Wernz*, III, 602 ss.; *Vermeersch*, I, 36 ss.

fini primario recte cautum sit; finis proximus utilis, bene determinatus, conveniens electus; media apta ad utrumque proposita; nihil contra fidem, honestatem, ius commune contineatur;[1] sed praeterea *re adhuc integra* C. Rel. adire et docere de iis omnibus quae ad iudicium de opportunitate fundationis efformandum necessaria sunt eiusque *licentiam* impetrare.[2] Si agitur de congregatione tertiaria necesse est insuper ut a supremo moderatore primi ordinis suae religioni aggregetur (can. 492 § 1). Cum nomen et habitus religionis iam constitutae censeatur eius proprietas, nec ab ullo extraneo nec a nova religione assumi potest (c. c. § 3).

c) Eiusmodi congregatio est dioecesana seu *iuris dioecesani*, quia Ordinarii iurisdictioni ad normam iuris *plane* subiicitur (c. c. § 2). Qui proinde etiam *constitutiones* mutare potest, salvis punctis quae S. Sedi exposita et probata fuerant ante erectionem (can. 495 § 2). Et si decursu temporis in plures dioeceses diffunditur, non ideo naturam iuridicam mutat, sed singuli Ordinarii in eam habent potestatem,[3] omniumque consensus necessarius est ut constitutiones innoventur (can. 492 § 2, 495 § 2).

d) Approbatio *pontificia*, quamvis dari possit quoque congregationi ex novo instituendae, ordinarie tamen conceditur ei quae iam ut *dioecesana* existit, si post elapsum congruum tempus tum amplitudine tum salubribus fructibus eam mereri ostenderit.[4] Atque per gradus datur: *primo* decretum laudis,[5] *deinde* approbatio instituti, *postea* approbatio constitutionum ad tempus et experimentum, *denique* approbatio definitiva. Quorum actuum alter cum altero subinde coniungitur,[6] at cum vel per primum S. Sedes manus apposuerit, congregatio fit *iuris pontificii* (can. 492 § 2), cum omnibus

---

[1] *Leo XIII*, const. *Conditae a Christo*, c. I, nn. 1 et 2.

[2] *Pius X*, mp. *Dei providentis*, 16 iul. 1906 (*Verm.* II, 20); C. Rel. *Normae*, 6 mart. 1921 (A. XIII, 312), aa. 3 et 4. Ibi singillatim indicatur quid Ordinarius referre debeat.

[3] cf. C. Rel. 2 iul. 1921 (A. XIII, 481).

[4] *Normae* 1921, aa. 7, 9.

[5] Quod confundendum non est cum *litteris* forte in primordiis fundationis datis quibus finis conditoris et operis laudatur. Hae nullam vim iuridicam habent (*Normae* 1901, a. 1). Modus adeundi S. Sedem et documenta exhibenda in singulis gradibus approbationis determinantur in *Normis* 1921, aa. 8, 10, 19. Et cum stylus Curiae non sit mutatus videri possunt, quamvis vigentibus antiquis normis conscripti, *Battandier*, 23 ss.; *Vermeersch*, Rel. II, suppl. 132 ss.

[6] *Normae* 1921, aa. 12, 21.

effectibus qui hanc qualitatem consequuntur, et peculiarit
adempto omni iure constitutiones propria vel Ordinarii aucto
ritate immutandi vel emendandi.[1]

e) Suppressio cuiuslibet religionis, etiam dioecesanae
vel una domo constantis, *reservata* est S. Sedi, cui pertinet qu
que de *bonis* statuere, salva offerentium voluntate (can. 493).

Antiquiores ordines sine ulla explicita approbatione conditi sun
Demum conc. *Later. IV* (c. 9, X. 3, 36; a. 1215) prohibuit «ne quis
cetero novam religionem inveniat» et ita indirecte ad novam instit
tionem auctoritatem Sedis Apostolicae necessariam redidit. At praeci
post hoc concilium complures et variae religiones ortae sunt, inter qu
quattuor magnae mendicantium a R. Pontifice *expresse* approbatae. Qua
conc. *Lugdun. II* (c. 1 in VI. 3, 17; a. 1274), iis solis exceptis, reliqu
omnes *post* Lateranense inductas immediate vel mediate extinxit, nov
excitari iterum districte vetuit. Hoc ius deinde perpetuo viguit, cu
autem *regulares* respiceret, per se *congregationes* non attingebat.[2] Idcir
cum hae tolerari coeptae sunt usus inoluit ut ab *episcopis* approbarent
et dumtaxat *Pius X,* mp. *Dei providentis,* 16 iul. 1906, obligationem
duxit expetendae prius licentiae a Sede Apostolica. Unde congregation
dioecesanae ante illum annum erectae non habent plerumque in suis co
titutionibus puncta a S. Sede probata ideoque irreformabilia (can. 495 § 2

Sed inde a saec. XVIII ipsa Sedes Apostolica in singulis casib
rogata approbationem institutis votorum simplicium concessit et sens
efformatus est modus procedendi, qui adhuc servatur. Novum ius solle
niter sanxit et pressius definivit *Leo XIII*, const. *Conditae a Christo* (19
et tunc C. Ep. et Reg. *Normas* edidit (1901) secundum quas ipsa pro
dere *solebat.* Utrumque documentum quasi codex iuris institutorum
torum simplicium censebatur. Nuperrime C. Rel. 6 mart. 1921 (A. XIII, 3
novas normas publicavit, a prioribus haud multo diversas.[4]

Ex quibus constat: *a) non admitti,* nisi forte in missionibus, c
gregationes sine fine specifico sed universa pietatis ac beneficentiae op
exercenda suscipientes; *b)* nonnisi *per exceptionem* admitti congregatio
quae vivant ex eleemosynis atque stipe ostiatim collecta; *c) magna d*
cultate admitti instituta sororum quae sibi proponant finem assiste

---

[1] *Normae* 1921, a. 21 a). Quid in constitutionibus contineri quid omitti oporteat, modo conscribendae sint, aliaque huiusmodi habentur in *Normis* cc. IV-VI, aa. 22-28.

[2] Haud raro docetur legem Lateranensem, quoad *congregationes* abiisse in desu dinem (*Biederl.* 16), sed tempore concilii congregationes ignotae erant et quamdiu princi sustinebatur eas non esse religiones potius ex alio capite earum prohibitio sequebatur, quamvi tendum sit tum doctrinam tum iurisprudentiam saepe etiam ad prohibitionem conciliarem pro visse (*Piat,* I, 23). Unde cum episcopi eas approbare coeperunt, id non quasi *contra* ius comm praescribentes sed *secundum* ius sibi competens approbandi pias sodalitates, religion equidem similes, egerunt. Post factum autem hae societates paullatim ad gradum religic evectae sunt et ita implicite derogatum est conc. Lat. In hoc stadio evolutionis loqui p mus de desuetudine, a *Leone XIII* sancita.

[3] *Leitner,* o. c. III (Regensburg 1919) 266.

[4] At in novis normis omissa est integra secunda pars antiquarum, cum haec nu C. canones sit recepta.

infirmis utriusque sexus in privatis domibus diu noctuque, vel domesticum servitium quotidianum in familiis pauperum et operarium exercendi, vel quae uti scopum *specialem* habent instituendi in suis domibus valetudinaria aut diversoria pro personis utriusque sexus, vel hospitia pro sacerdotibus, vel docendi in scholis adulescentulorum aut mixtis; *d) absolute non admitti* congregationes quae sibi proponant curam immediatam infantium in cunis vel mulierum parturientium in domibus maternitatis vel alia caritatis opera quae religiosas dedecere videantur.[1] Quas regulas etiam episcopi prae oculis habere debent.

248. Provinciae. *a)* In religione *iuris pontificii* erectio, quaelibet innovatio et suppressio provinciarum est causa reservata S. Sedi. Idem dicendum de congregatione monastica. Extincta provincia, quae *bona propria* possidere potest (can. 531), ex iis imprimis secernenda sunt quae oneribus iustitiae (v. c. debitis) et voluntati fundatorum satis faciendum necessaria sunt; de reliquis disponendum est secundum constitutiones si hae casum praevideant, secus secumdum normas a capitulo generali vel, extra tempus capituli, a moderatore generali cum suo consilio statutas (can. 494).

b) Religionem *iuris dioecesani*, si in una dioecesi existit, in provincias dividere non expedit. Si autem velit ad alias dioeceses sese extendere pro regula non est impedienda, nisi gravis causa obstet. Indiget vero *consensu* utriusque Ordinarii, tum loci ubi domum principem habet tum loci quo vult commigrare (can. 495 § 1). Et cum ample diffusa fuerit potest sane necessitas divisionis exurgere. Ad quam perficiendam requiri videtur consensus singulorum Ordinariorum in quorum territoriis aedes sunt, nisi forte constitutiones de hac re dispositionem contineant,[2] salvo iure S. Sedis si conditiones in limine fundationis ab ea appositae tangantur.[3] Analogice innovatio quoque vel suppressio erit decernenda.

249. Domus. *a)* Hoc nomine intelliguntur nedum aedes in quibus religiosi stabili modo habitant sed *praecipue* ipsa communitas ab eis constituta, quae est persona iuridica[4] (can. 531). *Formata* dicitur si in ea saltem sex religiosi professi degunt, quorum si religio est clericalis quattuor saltem sint sacerdotes; secus *non formata* (can. 488 n. 5). *Conditio*

---

[1] *Normae* 1921, aa. 13-17.
[2] *Vermeersch*, Epit. 464.
[3] *Leitner*, 275.
[4] Domus religiosae non sunt *granciae, villae, hospitia.*

praevia ad cuiuslibet domus erectionem, tum a religiosis tum ab auctoritate attendenda, est ut prudenter iudicari possit congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum esse, sive ex reditibus propriis sive ex *consuetis* eleemosynis sive alio modo (can. 496). Cuius defectus iusta causa esse poterit ne nova fundatio antiquae nimis propinqua permittatur.[1]

b) Porro ut *valide* erigatur *licentia* requiritur: *Sedis Apostolicae* et *Ordinarii loci* si agitur de domo exempta *aut* de monasterio monialium[2] *aut* de qualibet domo in locis C. P. F. subiectis; solius *Ordinarii* si de alia quavis.[3] Licentia Ordinarii danda est *scriptura,* quae pertinet ad essentiam actus[4] (can. 497 § 1). Ad domum *iuris dioecesani* condendam consensus tum Ordinarii originis tum Ordinarii loci impetrandus est. Illegitime fundata domus *iuridice* non existit, quare nec *valide* iuribus aut privilegiis utitur, nec *licite* in ea religiosi manere possunt. At sollemnitatibus non est opus ad restituendam sedem quae, non formaliter suppressa, nondum a saeculo esse desierit (can. 102 § 1).

c) Domo legitime erecta, *omnes* religiones ius habent in ea exercendi pia opera religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis. Religiones *clericales* possunt praeterea ecclesiam vel publicum oratorium domui

---

[1] Ex fontibus ad hunc canonem subiectis *(Clem. VIII,* const. *Quoniam,* 23 iul. 1603; *Urb. VIII,* const. *Rom. Pontifex,* 28 aug. 1624; cf. *Vermeersch,* II, 71, 74) deducitur sub hac ratione sustineri quodammodo antiquum *privilegium,* quod dicebatur, *cannarum.* Ex quo multi ordines resistere poterant ne intra spatium 140 cann. (m. 3100 circ.) ab eorum conventibus alius aedificaretur. At erat etiam privilegium aedificandi intra cannas. cf. *Vermeersch,* Rel. 110; *Bied.-Führ.* 20; *Piat,* II, 343 ss. Hodie tamen potius attendendum erit principium generale in illis documentis expressum: «novum conventum sine aliorum detrimento commode *sustentari* posse». In dubio superiores aliarum domorum sane erunt audiendi et iniuste laesis patet *recursus* ad S. Sedem, quamvis hic hodie non sit amplius in suspensivo.

[2] Etiamsi vota simplicia tantum, ex S. Sedis praescripto, emittant (can. 488 n. 7). At ex decr. C. Rel. 22 maii 1919 (A. XI, 240) nimium deducere videtur *Vermeersch,* Epit. I, 465 qui affirmat in Gallia et Belgio sufficere licentiam Ordinarii. Nam decr. spectat potissimum ad excludendam iurisdictionem Praelatorum regularium (cf. *Maroto* in *Comment.* I, 258 ss.) et refertur ad *regimen,* non ad erectionem monasteriorum, ideoque non obtinent maius ius episcopi quam alibi praelati. Vicissim *Maroto* in *Comment.* II, 168 eandem libertatem a beneplacito apostolico deducere vult ex decl. C. I. 1 mart. 1921 (cf. infra n. 227 a), at haec quoque conclusio est valde dubia, nullo enim modo probari potest et nullibi in C. id innuitur, clausuram esse *unicam* causam quae movit legislatorem ad condendam normam can. 497 § 1. Et universim, si sententiam aperire licet, non videtur satis tuta illa interpretationis methodus, qua ad *reconditam mentem* legislatoris nimis fidenter appellatur.

[3] *Vicarium generalem* sine mandato speciali (cf. can. 369 § 1) et *vicarium capitularem* (cf. can. 436) hunc consensum praestare posse valde dubium est. cf. *Comment.* I, 115 ss.

[4] Contra *Vermeersch,* Epit. I, 465 at, uti videtur, non recte; C. enim dicit «requiritur consensus in scriptis» eodem modo igitur *et* consensus *et* scriptum. cf. *Comment.* I, 112, ubi etiam probatur idem valere de *venia* in aliis casibus. - *Pius IX,* litt. ad archiep. Parisien. 26 oct. 1865 declaravit defectum licentiae *sanari* posse per subsequentem ratihabitionem (*Verm.* II, 363).

adnexum habere, quod si *ex novo* aedificandum sit altera specialis licentia ab Ordinario loci est obtinenda.[1] Si vero religiosi cuiusque generis volunt aedificare et aperire *scholam, hospitium* vel aliud simile institutum non quidem in sua domo sed in aedibus separatis,[2] necessaria est et sufficit alia peculiaris *Ordinarii* scripta licentia (can. 497 §§ 2-3).

d) In constituta domo *mutationes* quae, salvis fundationis legibus, ad *internum* regimen et disciplinam religiosam tantum referuntur *libere* fieri possunt. Ut vero in *alios usus* convertatur eaedem sollemnitates requiruntur ac in erectione (can. 497 § 4). At simplex translatio conventus ex uno situ in alium eiusdem loci, nisi recidat in novam fundationem, hac lege non afficitur.[3]

e) Suppressio domus *exemptae* reservatur S. Sedi; domus *iuris pontificii* non exemptae fieri potest a supremo moderatore consentiente Ordinario loci, domus *iuris dioecesani* ab Ordinario audito congregationis superiore, nisi unica sit, quia tunc aequivaleret suppressioni ipsius religionis (can. 493). Contra extinctionem datur omnibus, quorum interest, recursus ad S. Sedem in *suspensivo* (can. 498).

Necessitatem *licentiae episcopi* ad erigendum monasterium statuit iam conc. Chalced. (451) c. 4, quod simul prohibuit (c. 24) ne semel erectum ad saeculares usus converteretur.[4] Legem denuo inculcavit conc. Trid. (sess. XXV, c. 3 de reg.) eamque plures Pontifices confirmaverunt, imo Urb. VIII, const. *R. Pontifex,* 28 aug. 1624 omnia contraria privilegia (mendicantium) sustulit.

Beneplacitum apostolicum vero primo requisitum est, pro erectione et alienatione conventuum *mendicantium* dumtaxat, a Bonif. VIII, c. un. in VI. 5, 6, deinde ab Innoc. X, const. *Instaurandae,* 25 oct. 1652 pro monasteriis *omnium religionum* in Italia et insulis adiacentibus. Sed stylus Curiae et communis doctrina idem ius extenderat ad omnes domos *regulares* ubique terrarum.[5]

---

[1] Can. 497 § 2 concedit religioni clericali *ius* habendi ecclesiam vel oratorium. Quare si religiosi acquirant domum cui iam ecclesia adnexa est nulla necessaria videtur licentia ut eam conservent, si novam aedificare velint, dummodo satis fiat conditionibus can. 1162 §§ 2-3 non videtur posse episcopus licentiam denegare. Aliter *Vermeersch,* Epit. I, 466.

[2] Sed quomodo separatae? Ni fallimur satis erit si domus religiosae partem non constituant, quamvis *materialiter* contiguae sint. Aliter *Fanfani,* 20.

[3] *Wernz,* III, 618; *Vermeersch,* Rel. I, 115. Varii casus mutationum perspicue distinguuntur et expenduntur in *Leon. XIII* const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881 (Coll. 1552).

[4] c. 10, C. 18, q. 2 et c. 4, C. 19, q. 3.

[5] *Wernz,* III, 616; *Bied.-Führ.* 18; *Piat,* II, 321 ss. Contra adhuc *Vermeersch,* Rel. I, 109.

Ceterae conditiones quae iure antiquo erant attendendae, ex. gr. ut duodecim essent religiosi, ut debita distantia servaretur, ut superiores aliorum conventuum aut populus audirentur,[1] nunc censendae sunt abrogatae.

IV. DE RELIGIONUM REGIMINE.

250. Duplex potestas. Religiones, cum non sint societates perfectae, carent natura sua potestate *iurisdictionis*. At earum sodales qua fideles, qua clerici, imo etiam qua religiosi subduntur communi iurisdictioni ecclesiasticae, quae in eos exercetur secundum normas et intra limites in iure definitos. Nihil tamen obstat quominus haec iurisdictio ipsis religionibus participetur, quae hoc modo ab ordinaria pastorum potestate eximantur et per suos superiores in utroque foro regantur. Cum autem exemptio pendeat a *positiva* concessione competentis auctoritatis, utrum re vera adsit est *res facti* de singulis religionibus probanda (can. 501 § 1).

Ex ipsa sociali constitutione est, e contra, in *omnibus* religionibus potestas *dominativa*. Nam haec vel in qualibet familia habetur ac connaturaliter sequitur, cum ea denegata eius finis frustretur; insuper vero religiosi plenam sui traditionem societati faciunt et *voto* se obstringunt ad obedientiam erga superiores, qui exinde dominium in voventes acquirunt. Distinguitur autem dominativa ab iurisdictione, quia ad sola *praecepta* danda et poenas inferendas quae limites *correctionis* non excedant, utraque intra finem ipsius societatis, coarctatur; sed nec legislativa, nec iudicialis, nec coactiva sensu proprio est.[2] Ideo eiusdem etiam *mulieres* capaces sunt.

Quare, cum de regimine religionum agitur, quaerendum est quaenam sit potestas in eas *exteriori* hierarchiae competens, quaenam *interiori* et propriae.

Ex generalibus principiis in aperto est *fontes iuris* pro religiosis esse: leges universales (can. 12), leges particulares, quatenus non sint exempti (can. 13), leges religiosorum proprias, regulas et constitutiones (can. 489), legitimas consuetudines (can. 27, 28), privilegia et indulta non abrogata (can. 4), decreta et praecepta omnium superiorum qui eis iure imperare possunt.

---

[1] cf. *Vermeersch*, Rel. I, 103 ss.; *Piat*, II, 324 ss. Necessitas audiendi *parochum* iampridem fere ab omnibus negabatur.

[2] cf. *Suarez*, De leg. l. I, c. 8, nn. 4 ss.; De virtute et statu rel. Tract. VIII, l. 2, c. 9.

251. Hierarchia exterior. *a)* Omnes religiosi subsunt imprimis *iurisdictioni* R. Pontificis, sive eam exerceat per se sive per Congregationes et Tribunalia Curiae (can. 7) sive per delegatos. At insuper R. Pontifex est supremus eorum *superior*, qua religiosi sunt, cui obedire tenentur etiam vi *voti* obedientiae (can. 499 § 1). Quae potestas *dominativa* esse communiter dicitur[1] et ad ea se extendit quae diserte vel tacite promissa sunt in professione, ideoque non eadem est in omnes, sed varia pro religionum varietate.[2] Haec plerumque exercetur per *Congreg. Relig.* cui religiosi qua tales subiecti sunt, iis exceptis in quibus expresse competentia alius dicasterii sancitur.[3]

Ex more a multis saeculis inolito fere omnibus religionibus deputatur *Cardinalis protector.*[4] Is autem neutrius generis obtinet potestatem, nisi in singularibus casibus aliquam delegatam accipiat, nec potest sese interiori disciplinae aut bonorum administrationi immiscere; sed eius est tantummodo bonum religionis *consilio* et *patrocinio* promovere (can. 499 § 2).

b) Etiam *iurisdictioni Ordinarii loci* religiosi subduntur. Ab ea autem liberari possunt per *exemptionem*, quae revera pluribus religionibus virorum concessa est (can. 615), ita tamen ut in quibusdam, a iure taxative definitis, Ordinarius suam potestatem in eos retineat (can. 500 § 1). *Moniales* eodem privilegio gaudent quatenus sub iurisdictione superiorum regularium ex sua regula constituuntur; in has quoque potestas Ordinarii est a iure valde limitata, maior tamen quam in viros.[5] Ceterae moniales et *congregationes* feminarum pro regula huis conditionis iuridicae non participant et secluso speciali apolico indulto nequeunt subditae esse religionis virorum, imo nec eius curae et directioni peculiariter commissae (c. c. §§ 2 et 3).

---

[1] Negat *Vermeersch*, Rel. 388 ex singulari sua sententia de voto obedientiae, quam tamen non videmus alios recepisse. cf. *Biederl.-Führ.* 36. — C. autem authentice resolvit quaestionem, olim disputatam, utrum R. Pontifex posset *vi voti* religiosis imperare. *Suarez*, tr. VII, l. 10, c. 11, nn. 9 ss.

[2] *Vermeersch*, l. c.

[3] cf. can. 251 et supra n. 166.

[4] Cardinalem protectorem, primi uti videtur, fratres minores vivente adhuc S. Francisco habuerunt, deinde omnes alii ordines, excepta S. J., et moderno tempore congregationes, dummodo iuris pontificii. Protectoris potestas olim amplissima et iurisdictionalis, sed propter abusus deinde pluribus pontificiis constitutionibus coarctata, demum ab Innoc. XII, const. *Christi fidelium*, 17 febr. 1694, ad modernos limites redacta est.

[5] In Gallia et Belgio moniales, quae iure communi regularibus essent subiectae subsunt iurisdictioni Ordinarii loci, ex speciali dispositione S. Sedis, nuper confirmata. C. Rel. 22 maii 1919 (A. XI, 240).

Moniales, sive S. Sedi sive Ordinario immediate subiectae, huic subsunt etiam qua religiosae; sodales vero omnium aliarum religionum, licet non exempti, *qua fideles* dumtaxat subduntur Ordinario, qui proinde in res ad internum regimen et administrationem spectantes se immiscere nequit, nisi in casibus a iure expressis (can. 512, 618). Solummodo congregationes *iuris dioecesani* plane subsunt episcopis, sed *ad normam iuris* (can. 492 § 2), fruuntur enim ea libertate, quae universim legitimis *collegiis* in Ecclesia competit et quae peculiariter eiusmodi societatibus a iure tribuitur. Si congregatio in pluribus dioecesibus diffusa est, Ordinarii *aequalem* auctoritatem in aedes sui quisque territorii exercent,[1] in negotiis autem quae totius instituti intersunt *unanimi* consensu decernant oportet[2] (can. 495 § 2).

A cura et iurisdictione *parochi* exemptos liberos esse, palam est. Sed etiam in quavis alia *religione clericali* viaticum et extremam unctionem aegrotis professis, novitiis, famulis, convictoribus, hospitibus in domo diu noctuque degentibus ministrare ius et officium est superioris. Et dicunt satis esse si quis per unum diem aut ad unum diem hospes sit, ut ius superioris oriatur,[3] qui illud per alium quoque exercere potest. In monasterio *monialium* idem ius et munus habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit. In aliis religionibus per se parochus suam potestatem retinet (can. 514), potest tamen Ordinarius eam excludere et curam spiritualem cappellano committere (can. 464 § 2).

Ius *sepeliendi* sodales religionis clericalis pertinet ad superiorem, moniales ad cappellanum, ceteros ad parochum (can. 1221, 1230 § 5).

252. Regimen internum in religione pertinet ad *superiores* et *capitula*. His plerumque reservantur negotia maioris momenti; a constitutionibus vero cuiusque religionis pendet utrum *generale* tantum aut etiam *provinciale* vel *locale* habeatur, quaenam res in unoquoque sint tractandae, quando et quomodo convocandum.[4] *Superiores* etiam varii sunt pro varia forma regiminis; omnes ad tres classes reduci possunt: generales, provinciales, locales, sed nec in qualibet religione

---

[1] Nulla specialis praeeminentia Ordinario domus principis conceditur, nisi in particulari casu can. 495 § 1. cf. de evolutione iuris *Battandier*, 331 ss.

[2] cf. C. Rel. 2 iul. 1921 (A. XIII, 481) et *Maroto*, in *Comment.* II, 322 ss.

[3] *Vermeersch*, Epit. I, 486, 4; *Fanfani*, 93; *Biederlack*, 48.

[4] In omnibus religionibus suprema potestas solet esse penes capitulum generale, ita ut superiores societatem regere teneantur secundum normas ab eo conditas. cf. *Bied.-Führ.* 26 et 37; *Vermeersch*, Rel. 403 ss. Hic capitulum consideratur quatenus diversum est a *consilio*, de quo infra dicetur.

tres gradus adsunt, nec eadem est eiusdem gradus potestas. Iuridice magis refert divisio in superiores *maiores* et *minores*. Illis accensentur abbas primas, abbas praeses congregationis monasticae, abbas monasterii sui iuris, moderator supremus et provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.[1] *Minores* sunt superiores locales qui praesunt domibus dependentibus (can. 488 n. 8).

a) Capitulis et superioribus omnibus, sive viris sive feminis, competit in suos subditos potestas *dominativa*. Haec eo spectat ut societas conservetur, augeatur, suos fines assequatur; ideo universim tribuit facultatem iubendi in virtute obedientiae, urgendi observantiam regulae vel in singulis casibus ab ea dispensandi, coercendi domestica correctione reluctantes, contumaces dimittendi, vota irritandi,[2] bona administrandi, novas domus erigendi et huiusmodi. Quibus *limitibus* autem in singulis superioribus circumscribatur tum a iure communi tum a constitutionibus definitur (can. 501 § 1).

b) Huic potestati, quae omnibus religionibus convenit, accedit in *religione clericali exempta* vera *iurisdictio* ecclesiastica utriusque fori. Quae natura sua includit legislativam, iudicialem et coercitivam, et revera triplex haec potestas in eiusmodi religionibus habetur, exercenda tamen ad normam iuris communis et constitutionum, quae non omnibus superioribus eam concedunt. In genere iurisdictione in foro externo potiuntur, praeter capitula, superiores *maiores,* qui proinde Ordinarii nomine veniunt et Praelati sunt (can. 110, et 198 § 1).[3] Hi, perinde ac episcopi (cf. can. 373 § 1), possunt *notarios* constituere, sed dumtaxat pro negotiis ecclesiasticis suae religionis (can. 503).

c) Supremus religionis moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, ideoque *universalem* et, nisi aliud constitutiones ferant, *immediatam;* supe-

---

[1] Sunt enim in variis religionibus sub diversis nominibus (inspectores, commissarii visitatores, vice-provinciales) superiores, qui ordinariam, saltem vicariam et temporariam, potestatem habent in omnes domus certi territorii; ii superioribus *maioribus* accensendi sunt. cf. *Comment.* I, 30 ss.

[2] can. 1312 § 1.

[3] Superiores *minores* habere utriusque fori iurisdictionem et esse veros Praelatos affirmat *Vermeersch,* Rel. 412, Epit. 477. Sed imprimis exhorbitans videtur omnibus iis superioribus, etiam parvae admodum domus, ius concessisse potestatem quasi-episcopalem. At quod pluris est, sive vi iuris communis sive vi constitutionum, isti nec legislativam, nec iudicialem, nec coactivam potestatem exercere possunt. Quibus demptis quorsum Praelatura? cf. *Biederl.-Führ.* 49. Excipe Praedicatores, quorum Priores locales habent potestatem iudicialem.

riores provinciales eadem fruuntur, sed tum territorio tum causis limitata (can. 502). Abbas primas et superior congregationis monasticae vero in hac re superioribus maioribus aliarum religionum non aequiparantur, sed eorum potestas et iurisdictio in confoederata monasteria et ibi degentes religiosos desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus S. Sedis decretis (can. 501 § 3) ac valde minor est, cum singuli abbates sui iuris sint aliquo modo superiores supremi.[1]

Peculiariter superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. O. spectantibus[2] se intromittant (c. c. § 2).

d) In exercitio potestatis superiores multipliciter *limitantur* necessitate audiendi vel amplectendi sententiam sive capituli sive consilii. Ex praescripto iuris *consilium* habere debent omnes superiores maiores, excepto abbate primate, et locales quoque saltem domus formatae. Quot et quae personae illud efforment, quomodo eligantur, quamdiu in munere durent costitutiones determinant;[3] eaedem etiam statuunt in quibus negotiis capitulum in quibus consilium competens sit, utrum in singulis consensus an consilium exquirendum, praeter casus iam a iure taxative definitos (can. 516 § 1). Ceterum servandae sunt communes normae, quae de actibus personae collegialis et de consilio aut consensu petendo et praebendo in C. continentur (can. 101, 105).[4]

Nunc primum in *iure communi* diserte sancitur principium omnes religiones clericales exemptas habere *iurisdictionem ecclesiasticam*. Hinc fundamentale momentum can. 501 § 1, cui innituntur complures dispositiones totius novi iuris religiosi. Hactenus eiusmodi effectus exemptionis in nullo textu legislativo authentice proponebatur, licet in doctrina esset communiter admissus, sed in singulis casibus per speciale decretum S. Sedis concessus erat. Revera autem, quamvis exemptio passiva sine iurisdictione concipi possit et ad regimen internum religionis sola potestas dominativa sufficiens sit, pronum tamen omnino erat ut, illa indulta, R. Pontifex sibi immediate subiectos, quos ipse per se regere nequit, non per delegatos sed per proprios superiores ordinarios gubernaret, dummodo ii iurisdictionis capaces, nimirum clerici essent.[5]

---

[1] Tantummodo de potestate iudiciali C. certas normas continet, can. 655, 1579 § 2, 1594 § 4.

[2] cf. can. 247, 1555 § 1, 888 § 2, 904, 2314, 2368, 2369; in genere omnes causae quae directe vel indirecte cum fide relationem habent.

[3] Subinde fieri potest ut idem sit capitulum et consilium. cf. *Biederlack*, 45.

[4] cf. supra nn. 99 et 102.

[5] cf. *Vidal*, Il nuovo codice di d. c. in *Civ. catt.* 68, 4 (1917) 502 ss.

253. Superiorum constitutio. De hac re nulla generalis norma habetur, sed cuiuslibet religionis leges attendi oportet. Ex natura rei supremus moderator in omnibus *eligitur*, in aliis etiam superiores provinciales, in quibusdam vel locales.[1] Ius commune supponere videtur in religionibus virorum universim superiores maiores eligi, item *eligenda* est antistita in monialium monasteriis (can. 506 §§ 1 et 2).

a) Omnes superiores *maiores*, ut *valide* constituantur, debent: a decem annis in *eadem* religione primam professionem emisisse; legitimos vel saltem per subsequens legitimatos esse;[2] triginta annos explevisse, imo quadraginta si de supremo moderatore aut de antistita monialium agitur. Firmae praeterea manent constitutiones quae provectiorem aetatem aut potiora requisita exigant (can. 504) et *inhabilitates* quas ius commune aut ad quodlibet officium ecclesiasticum aut peculiariter ad officium religiosum statuit. De *minoribus* nihil in C. dicitur.

b) Superiores *maiores* oportet sint *temporarii*[3] et ne finis legis frustretur non sunt pluries successive eligendi. Praesertim quoad *moderatrices* generales haec norma severe urgetur et praeter primam reelectionem, quae plerumque in ipsis regulis admittitur, altera non conceditur nisi ex gravissimis causis. Antistitis monialium in Italia regimen ad triennium omnino limitatur.[4] His exceptis, non reprobantur tamen constitutiones quae magistratus *ad vitam* conferunt.[5] Superiores *minores* vero ex praescripto legis nominari nequeunt ad tempus ultra *triennium*, quo exacto possunt ad idem munus iterum assumi, sed non tertio immediate in *eadem* domo (can. 505). Quod servandum quoque si ii superiores sint scho-

---

[1] cf. *Biederl.-Führ.* 30. In S. J. solus Generalis eligitur, in O. P. etiam locales. Palam est *R. Pontificem* posse, si velit, quoscumque superiores nominare.

[2] can. 1117.

[3] Hucusque mos et doctrina ferebat ut *fundator* vel *fundatrix* regimen retineret ad vitam, etiamsi constitutiones statuerent moderatorem supremum fore temporarium (*Battandier*, 374). C. Rel. 25 febr. 1922 edixit ad hoc necessarium esse speciale *indultum* apostolicum (A. XIV, 163).

[4] C. Rel. 9 mart. 1920 (A. XII, 365). In recentioribus congregationibus, imprimis feminarum, electio fit plerumque ad sex, rarius ad duodecim annos, et altera electio permittitur, ad tertiam necessaria est dispensatio S. Sedis, quam C. Rel. declarat magna difficultate exinde concedi. cf. *Battandier*, 374 ss.

[5] Praepositus gen. S. J. et abbates monachorum, imo quaedam superiorissae generales et (extra Italiam) abbatissae eliguntur ad vitam.

larum, hospitalium aliusve piae domus, dummodo sub sua potestate habeant alios religiosos etiam quoad religiosam disciplinam.[1]

c) Electio facienda est secundum normas iuris communis[2] et costitutiones huic non contrarias (can. 507 § 1). Antequam ad eam procedant, si eligendi sunt superiores maiores, omnes et singuli de capitulo in religione *virorum* iureiurando promittere debent se electuros quos coram Deo eligendos existimaverint (can. 506 § 1). Quaelibet suffragiorum *procuratio*, sive directa sive indirecta, pro se vel pro aliis, interdicitur; non tamen prudens cuiusque meritorum investigatio aut sincerum consilium quaerentibus impertitum.[3] *Forma* est pro regula scrutinium; non excluditur generatim compromissum, at profecto quasi-inspiratio.[4] Electio saepe per acceptationem perficitur; ius commune non exigit confirmationem.[5]

Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur (can. 507 § 3).[6]

d) De electionibus *mulierum* peculiaria quaedam statuta sunt. Comitiis eligendae *abbatissae* in monasterio monialium praeest, quin tamen clausuram ingrediatur, per se vel per alium Ordinarius loci, cui illae subiiciuntur, cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, qui monialium confessarii ordinarii esse nequeunt. Si monasterium subest praelato regulari, hic dirigit electionem; integrum est autem etiam in hoc casu Ordinario per se vel per delegatum assistere, qui proinde tempestive de die et hora monendus est, et si intersit ipse vel delegatus[7] praesidet (can. 506 §§ 2 et 3).

---

[1] C. I. 2/3 iun. 1918 (A. X, 344). At nihil prohibet, quominus iusta urgente causa, quae haud raro aderit, eiusmodi persona qua superior religiosus substituatur, qua superior scholae etc. conservetur.

[2] can. 160-182, vide supra nn. 137 ss. *Locum* ubi capitulum celebretur determinare est res interna collegii, ideo pertinet ad superiores societatis, numquam ad Ordinarium, etiam in congregationibus iuris dioecesani (can. 162). C. Rel. 17 iun. 1921 (A. XIII, 481).

[3] *Biederlack-Führ.* 32; *Vermeersch,* Epit. 483.

[4] Hactenus communis sententia docebat exclusum esse etiam compromissum, ex Conc. Trid. sess. XXV, c. 6 de reg. sed admittebat ut formam validam *compromissum limitatum,* quod hac conditione fit ut compromissarii exquirant vota singulorum illumque eligant, in quo maior pars consenserit. Est enim reapse scrutinium. Hoc compromissi genus dicitur hodiedum vigere apud plerosque ordines *(Piat,* I, 628) et retineri potest dummodo secreto satis cautum sit.

[5] De hae re consulendae singulae constitutiones, quae variae sunt.

[6] *Postulanda* est superiorissa generalis, quam sorores tertio habere velint. C. Rel. 9 mart. 1920 (A. XII, 365).

[7] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573). Et quidem ei competit non merus honor sed effective electionem gubernare.

Electioni *moderatricis generalis* cuiuslibet congregationis praeest, per se vel per alium, Ordinarius loci in quo fit:[1] si religio iuris pontificii electio perficitur acceptatione, si iuris dioecesani *confirmatione* Ordinarii assistentis,[2] qui pro conscientiae officio eam rescindere quoque potest. At ei non competit suo arbitrio moderatricem constituere, nisi forte ex devolutione hoc ius ei obtingat.[3] In electionibus aliarum antistitarum, si quae fiant, hae normae non vigent.

Tituli *dignitatum* vel *officiorum* (non vero alii v. c. academici) mere honorifici, cum humilitati religiosae minime congruant, prohibentur. Soli, si constitutiones id permittant, tolerantur tituli officiorum *maiorum*,[4] quibus religiosi in *propria* religione reapse functi sint (can. 515). Qua prohibitione non comprehenduntur honores, exemptiones vel praecedentiae, quae interdum honoris causa conceduntur, dummodo inter rationabiles limites; nec sublata sunt *privilegia*, ex quibus certi tituli (abbatis etc.) competunt.

254. Superiorum officia. Omnibus superioribus communes sunt obligationes:

a) Residentia; tenentur enim sua quisque in domo commorari, nec ab eadem discedere licet, nisi ad normam constitutionum (can. 508). Quod valet etiam de superioribus maioribus, quamvis ii frequentius quam alii a sua sede legitime abesse possint.

b) Divulgatio inter suos subditos decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt, et cura ut *executioni* mandentur. His decretis accensendae sunt praeprimis normae ipsius C., deinde novae leges et instructiones quae post illum latae vel ferendae sunt. Etiam proprias *constitutiones* perfecte callere oportet religiosos, quare imponitur ut saltem semel in anno, statis diebus, in qualibet domo publice legantur, itemque decreta quae S. Sedes legenda praescribet.[5]

---

[1] Hic non intersunt scrutatores sacerdotes, sed scrutatrices de gremio assumendae ad normam can. 171. *Vermeersch*, Epit. 483.

[2] C. Rel. 17 iun. 1921 (A. XIII, 481). Ex ipso textu elucet hoc ius non reservari Ordinario domus principis.

[3] cf. can. 178, 181 § 2. Ulterius *Vermeersch*, Epit. 482 et 483 Ordinario praesidenti tribuit ius *dirimendi* post tertium scrutinium paritatem et quidem in congregationibus tum iuris dioecesani tum pontificii. Quod verum non credimus. Can. 101 § 1 enim evidenter supponit superiorem qui «suo voto» dirimit habere vocem activam, at Ordinarius, qui de gremio non est, suffragium ferre nequit.

[4] His *Vermeersch*, Epit. 486 accenset officium assistentis seu definitoris generalis aut provincialis, at obstat can. 488 n. 8.

[5] Unde non amplius adest obligatio legendi decreta quae *hucusque* praescripta erant.

c) Institutio religiosa. Saltem bis in mense *christiana catechesis* tradenda est conversis et familiaribus, qui actu in domo religiosa habitant; praeterea omnibus de familia, item bis in mense, *pia exhortatio.* Altera obligatio maxime urget in religionibus laicalibus (can. 509).

d) Administratio temporalis. Cuius vel directionem et vigilantiam (maiores) vel ipsum exercitium etiam habent (minores), ut suo loco dicendum (v. infra n. 260).

Haec officia superiores aut per se aut per alium adimplere possunt, *ipsis* autem onus incumbit curandi ut omnia recte fiant.

Superioris *supremi* obligatio peculiaris est *relatio ad S. Sedem.* Quam *scripto* exhibere tenentur abbas primas, abbas praeses congregationis monasticae et supremus moderator cuiusque religionis iuris pontificii, *quinto* quoque *anno* vel saepius si id ferant constitutiones, atque in ea fideliter exponere statum materialem, moralem et disciplinarem religionis. *Formula* authentica institutis votorum simplicium a. 1906 data et nuper a C. Rel. secundum C. reformata ab iis servanda est; *ordines* regulares vero et etiam congregationes quae hucusque ad relationem non tenebantur interim eam exarare possunt forma quae instituti naturae aptior videatur.[1] Subscribenda est a moderatore et ab omnibus de consilio et si agatur de congregatione mulierum etiam ab Ordinario loci, in quo suprema antistita cum suo consilio residet (can. 510).

Exhibendae relationi nunc statuta sunt quinquennia fixa et communia, quae incipiunt a die 1 ian. 1923. In *primo* anno eam praesentare debent canonici regulares, monachi, ordines militares; in *secundo* mendicantes; in *tertio* clerici regulares; in *quarto* omnes congregationes virorum; in *quinto* piae societates sine votis publicis. Congregationes *feminarum* vero pro loco ubi domum principem habent: in I anno ex Italia, Hispania, Lusitania; in II ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia, Hibernia; in III ex reliquis Europae regionibus; in IV ex utriusque Americae partibus; in V ex aliis orbis partibus et insuper piae mulierum societates.[2]

255. Visitatio canonica. Prout dioecesis episcopo lustranda est, ut eius conditiones directe cognoscat, abusus corrigat, pietatem et disciplinam promoveat (can. 343 § 1), haud

---

[1] C. Rel. 8 mart. 1922 (A. XIV, 161). Formula *antiqua* (C. Ep. et Reg. 16 iul. 1906) ap. *Micheletti,* Ius Pianum, 682 ss. vel ap. *Battandier,* 503 ss., formula reformata C. Rel. 25 mart. 1922 (A. XIV, 278).

[2] C. Rel. 8 mart. 1922.

dissimili ratione et fine *singulae domus* religiosae, statis intervallis, sunt visitandae, ut quidquid minus rectum in eis irrepserit tempestive deprehendatur et emendetur.

a) Ius et *officium* visitandi habent imprimis *superiores maiores* a constitutionibus designati, qui temporibus in eisdem definitis, per se vel per alium si fuerint legitime impediti, hoc munus implere debent (can. 511). Visitator est praeterea *Ordinarius* loci, cui tamen haec potestas nec in omnes religiones nec semper in eodem ambitu competit. Etenim:

Ordines virorum ab ea sunt omnino exempti. *Unicus* visitator et *in omnibus* est Ordinarius monasteriorum *monialium* sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiectorum et congregationum utriusque sexus iuris dioecesani. Singula monasteria et singulas domos, per se vel per delegatum, quinto quoque anno visitare tenetur (can. 512 § 1).

Simul cum superiore religioso, at *limitata* iurisdictione, est visitator: 1. monasteriorum monialium quae regularibus subduntur, ordinarie circa ea dumtaxat quae clausuram spectant, per exceptionem circa omnia, si praelatus regularis a quinquennio suum munus neglexerit;[1] 2. domorum cuiusque congregationis iuris pontificii, etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae; 3. in omnibus domibus congregationis *laicalis* insuper inquirere potest et debet de iis quae pertinent ad observantiam constitutionum, sanam doctrinam, morum probitatem, clausuram, frequentem sacramentorum susceptionem; graves abusus, quibus superiores admoniti opportune non providerint, ipse corrigit, et si res sit maioris momenti quae moram non patiatur statim decernit, sed decretum ad S. Sedem deferre debet (c. c. § 2, 618 § 2).

Sed praeterea, cum visitatio sit corollarium iurisdictionis, *quaecumque* hac ratione ei subsunt Ordinarius iure suo visitat: ideo, intra *limites* a lege statutos, bona temporalia (can. 532-535), scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etiam exemptorum (can. 1382), opera pia (can. 1491-1493).

c) In ordinaria visitatione procedendum est *forma paterna* (can. 345); visitator potest et debet omnes religiosos,

---

[1] In Gallia et Belgio etiam eiusmodi moniales subsunt directe Ordinariis. C. Rel. 22 maii 1919 (A. XI, 240).

quos oportere iudicaverit, interrogare et de omnibus quae ad visitationem spectant inquirere;[1] cuncti autem tenentur ei secundum veritatem respondere, nec superioribus licet impune quoquomodo fallacias vel obstacula visitationi opponere.[2] A decretis non datur recursus nisi in *devolutivo*. Si vero in *extraordinario* casu visitator, qui iurisdictionem fori externi habeat, procedat forma iudiciali, appellatio patet in suspensivo (can. 513).[3]

Procurator. Quaevis *virorum* religio iuris pontificii iubetur habere *procuratorem generalem*, secundum constitutiones ex eiusdem alumnis designatum, qui in Urbe stabili modo commorari debet, ad negotia propriae religionis apud S. Sedem pertractanda.[4] Hactenus soli ordines hoc praescripto tenebantur, nunc etiam omnes congregationes, vel minores, nisi dispensationem obtineant. Si ad *certum* tempus constitutus, antea inconsulta Sede Apostolica amoveri nequit (can. 517). Procurator in quibusdam religionibus praeditus est iurisdictione, imo subinde est primus a generali, in aliis merus officialis.[5]

V. DE CONFESSARIIS ET CAPPELLANIS.

256. Confessarii virorum. *a)* In singulis domibus *religionis clericalis* deputandi sunt *plures*, in apta proportione ad numerum sodalium ut iusta eligendi libertas detur, confessarii legitime approbati. Iurisdictio semper conferri potest ab Ordinario loci, in religionibus exemptis *etiam* a superioribus secundum constitutiones;[6] si ab illo, ipso iure valet quoque pro casibus in religione (non per se in dioecesi) reservatis (can. 519), si ab his, debet in eadem amplitudine concedi (can. 518 § 1).

Superiores ipsi, qui utriusque fori vel saltem fori interni iurisdictionem habeant, possunt quidem confessiones audire subditorum, qui sponte sua accedant, sed omnino cavere de-

---

[1] Hunc modum adhibere posse Ordinarium circa ea quae clausuram spectant etiam in monasteriis monialium regularibus subiectis, declaravit C. I. 24 nov. 1920, quamvis iam in C. satis aperte diceretur.

[2] Religiosos vel religiosas in aliam domum transferre, eos directe vel indirecte inducere ut taceant aut dissimulent aut non sincere veritatem exponant, ob responsa molestiis afficere, est *delictum* gravibus poenis plectendum (can. 2413). *Chelodi,* Ius poen. 113, 4.

[3] Quoad procurationem aliaque ad visitationem pertinentia, applicandae sunt analogice normae de visitatione dioecesis, cf. supra n. 194.

[4] C. Rel. 4 iun. 1920 (A. XII,301).

[5] *Vermeersch,* Rel. I, 450; *Piat,* , 857 ss.

[6] can. 874 § 1, 875 § 1. Qui valent delegare etiam sacerdotes saeculares aut alius religionis.

bent ne, directe vel indirecte, *ullo modo* ad id faciendum eos inducant, imo sine *gravi* causa[1] ne ultro quoque petentium per modum habitus confessiones excipere eis licet (c. c. §§ 2-3).[2]

b) Multae constitutiones aut *iubent* aut *suadent* confessionem statis temporibus apud determinatos confessarios peragendam. Hoc sive praeceptum sive consilium prouti est sustinetur; nihilominus confessio cuiusvis religiosi, etiam exempti, qui ad suae conscientiae *quietem* confessarium adeat ab Ordinario approbatum, etsi inter designatos non recensitum, *licita* et *valida* est, revocato quolibet contrario privilegio, et absolutio complectitur quoque reservata et censuras religionis (can. 519).[3]

c) In religionibus *laicalibus* deputandus est confessarius ordinarius (aut plures) et extraordinarius. Iurisdictionem confert Ordinarius loci, at si religio exempta superior habet ius proponendi.[4] Praeterea quilibet religiosus potest *specialem* confessarium, etiam habitualem, postulare, quem superior ei concedere tenetur, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans (can. 528). Denique iis quoque integrum est apud quemcumque approbatum confiteri ad suae conscientiae quietem (can. 519).

Itaque plenissime provisum est libertati et necessitatibus poenitentium. Usque ad recentiora tempora constitutiones *ordinum* valde severae in hac re erant: confessio sacerdotibus non designatis facta, sine licentia superiorum et exceptis quibusdam casibus, erat *illicita* et *invalida*.[5] Hunc rigorem funditus evertit *Pius X,* qui prius pro Urbe, deinde pro universo orbe statuit ut quivis confessarius ab Ordinario approbatus excipere valeret *omnium* religiosorum confessiones, quin de licentia superioris sollicitus esset, eosque valide et licite absolvere a peccatis in ordine etiam sub censura reservatis, addita amplissima clausula cuiuscumque privilegii derogatoria (C. Rel. 5 aug. 1913, A. V, 431). Haec est disciplina C. ubi tamen adsunt illa verba « *ad suae conscientiae quietem* ».

---

[1] Quaenam causa *gravis* censeatur in C. non definitur, unde eam aestimare conscientiae confessarii et poenitentis remittitur. cf. *Larraona* in *Comm.* I, 55 ss.

[2] Hactenus (*Clem. VIII,* decr. *Sanctissimus,* 26 maii 1593 ap. *Bizzarri* 246) superioribus regularibus licebat excipere confessiones subditorum etiam habitualiter, dummodo sponte accederent. S. O. 5 iul. 1899 (AS XXXII, 64) e contra omnino prohibuerat omnibus superioribus, exceptis ordinibus, ne eas exciperent, nisi in casu necessitatis. Disciplina C. mediam inter utrumque decretum tenet viam.

[3] Confessio fieri potest etiam sacerdoti *diversi ritus* et a *novitiis* quoque cuiuscumque ordinis vel congregationis. C. Rel. 21 mart. 1914 (A. VI, 232). Peculiaria de confessariis et confessionibus *novitiorum* in can. 566, vide infra n. 269.

[4] can. 875 § 2.

[5] cf. *Piat,* I, 447 ss.; *Vermeersch,* Rel. I, 469.

Quorum vis an tanta sit quaeri potest, ut validitatem afficiat absolutionis impertitae ei qui nulla speciali inquietudine motus confitetur. Et ne beneficium legis scrupulis implicetur, dicendum est quamlibet confessionem serio institutam ordinari ad conscientiae quietem, ideo *numquam* invalidam esse.[1] Et proinde nec per se illicita, quamvis qui sine iusta causa regulam *praeceptivam* violat (exiens sine licentia etc.), ex hoc capite possit peccare.

257. Confessarii religiosarum. Moniales, sorores et novitiae pro regula nequeunt *valide* et *licite* confiteri nisi sacerdotibus qui peculiarem approbationem ed earum confessiones excipiendas obtinuerint. Horum autem varium est genus: ordinarii, extraordinarii, speciales, auxiliares. Omnibus iurisdictionem confert Ordinarius loci.[2]

a) Singulis domibus, etiam non formatis,[3] deputandus est unus dumtaxat confessarius ordinarius pro universa communitate, nisi propter magnum poenitentium numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus (can. 520 § 1). Quo in casu secundum mentem legis esse videtur ut unicuique certa pars assignetur. Si qua religiosa ad animi sui quietem *vel* ad maiorem in via Dei progressum[4] confessarium vel moderatorem *specialem* (et habitualem) petat, is facile est ab Ordinario concedendus, qui tamen invigilare debet ne ex concessione abusus oriantur, ortos removere, salva conscientiae libertate[5] (c. c. § 2). Praeterea cuilibet communitati dandus est confessarius *extraordinarius*, cui saltem *quater* in anno omnes religiosae se sistere debent et, si confiteri nolint, ab eo benedictionem recipere (can. 521 § 1).

---

[1] Huic benignae interpretationi subscribunt *Fanfani*, 102; *Vermeersch*, Epit. 491; *Leitner*, 336. Et confirmatur ex eo quod in decreto Pii X nullius conditionis mentio fit.

[2] can. 876 §§ 1 et 2.

[3] C. Rel. ad archiep. Pragen. 10 ian. 1920 (AK C, 47). Quo non obstante responso *Vermeersch*, Epit. p. V probabilitatem oppositae sententiae vindicare studet. At utrumque eius argumentum (cf. ibi 494) est valde infirmum. «Domus religiosa» sine adiecto est *quaelibet* domus (can. 488 n. 5), rescriptum 3 iul. 1916 numquam authentice publicatum est, ideo vim universalem non obtinuit. Ceterum in can. 876 § 1 revocatur quaelibet contraria particularis lex seu privilegium.

[4] *Et*, in canone, est disiunctivum: *alterutra* causa sufficit. In C. praeceditur a commate. Insuper n. 5 decr. *Cum de sacramentalibus*, 3 febr. 1913, unde can. 520 § 2 ad verbum est exscripta, in *authenticis* versionibus gallica, hispanica, anglica habet *aut* (ou, o, or), imo expressius in germanica alternative *sive sive* (sei es... sei es). A. V, 159, 240 ss.

[5] Abusus tum ex parte religiosae tum ex parte aliarum exurgere possunt. Iis Ordinarius in foro externo, confessarius specialis autem, salvo sigillo, in foro interno occurrere debet, prudenter dimittens religiosam, quae sine iusta causa eum arcessit. C. Rel. decr. *Cum de sacramentalibus*, n. 13 (A. V, 62). C. Ep. et Reg. 1 febr. 1892, 5 aug. 1904 (*Verm.* II, 494-495). In dubio praevalet conscientiae libertas.

b) Hi confessarii libere *eliguntur* ab Ordinario loci; solummodo pro monasteriis monialium superiori regulari subiectis, huic competit ius proponendi, quod si neglexerit, Ordinarius supplet (can. 525). Ex *utroque* clero assumi possunt,[1] at religiosi de superiorum licentia; sint oportet morum integritate et prudentia praestantes, quadraginta annos nati, nullam potestatem fori externi in religiosas habentes: imo prohibentur omnino ne se interno vel externo communitatis regimini ullo modo immisceant. Ab *aetate* dispensare fas est Ordinario, iusta causa id exigente (can. 524).

c) Confessarius ordinarius durat in munere per *triennium.* Ad alterum et etiam ad tertium confirmari potest *aut* motu proprio Ordinarii *aut* ad petitionem religiosarum. Illud ex necessitate dumtaxat, quia scilicet ob idoneorum sacerdotum penuriam alius praesto non est; petitio autem non est admittenda nisi per *secreta* suffragia *omnium,* etiam earum quae in aliis negotiis vocem non habent, facta et maiore parte consentiente; contradicentibus vero, si velint, alius confessarius deputandus est (can. 526). Neque fas est ordinarium munere functum immediate renunciare extraordinarium in eadem communitate,[2] at profecto extraordinarium ordinarium. Elapso *anno* ad utrumque officium rursus habilis est (can. 524 § 2).[3]

d) Singulis domibus Ordinarius loci debet insuper designare *aliquot* sacerdotes, iurisdictione praeditos, qui in casibus particularibus (sive unius alteriusve religiosae sive totius communitatis) acciri facile possint. Si quae religiosa extraordinarium aut aliquem ex iis confessariis expetat, nulli antistitae licet, nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, verbis aut factis ei refragari, quoquomodo ostendere se id aegre ferre (can. 521 §§ 2 et 3).[4]

e) Ex gravi causa integrum est Ordinario quemlibet confessarium, etiam regularem vel regularibus monialibus

---

[1] Confirmatur disciplina a decr. *Cum de sacram.* n. 7 inducta, dum antea regulares religiosarum, exceptis iis quae suo ordini subiectae, confessarii esse nequibant.

[2] Potest tamen concedi ut *specialis* uni alterive religiosae. Neque huic muneri tempus est praefixum. C. Rel. 20 apr. 1917 (A. IX, 276).

[3] Cavendum est etiam ne fere perpetua alternativa inter eumdem ordinarium et extraordinarium instituatur. *Vermeersch,* Epit. 495.

[4] Quae omnia sub *poenali* sanctione posita sunt, can. 2414. Confessarius denegari non potest etsi superior plane videat necessitatem esse fictam vel ex scrupulis derivantem (C. Ep. et Reg. 17 aug. 1891), neque unus alterve excludi potest ex motivis extrinsecis, sed ipsa religiosa quem mavult eligit. C. Ep. et Reg. 5 aug. 1904 *(Verm.* II, 493, 495).

deputatum, *amovere* vel *suspendere.* Si moniales praelato regulari subduntur, hic est monendus. Contra decretum *recursus* non datur nisi in devolutivo ad Sedem Apostolicam, cui tantum amotionis causae sunt aperiendae, si requirantur (can. 527, 880).

258. Exceptiones. Religiosae *omnes,* etiam novitiae, valide et licite confiteri possunt *cuilibet* sacerdoti ab Ordinario loci *pro mulieribus* approbato in duobus casibus:

a) Si qua ad suae conscientiae tranquillitatem eum *adeat* eique confiteatur in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico aut in alio loco ad audiendas confessiones mulierum *legitime* destinato,[1] revocato quolibet contrario privilegio. Quattuor conditiones omnes *ad liceitatem* indubie requiruntur; *validitatem* quod attinet autem, *prima* semper implicite adest quoties serio sacramentum suscipitur;[2] *altera,* iurisdictio pro mulieribus, palam est essentialis, cum a iure nullo modo suppleatur; *tertia,* ut religiosa *adeat* confessarium, non eum advocet aut hic ad eam ultro accedat, item est essentialis, secus enim everteretur vel ipsum principium necessariae approbationis peculiaris[3] (can. 876); denique circa *quartam,* locum, magna est controversia. Et quamvis textus canonis nullo modo innuat hanc conditionem alio censu habendam esse ac reliquas, imo potius contrarium, sententia quae eam ad solam liceitatem refert est interim satis probabilis, ideoque practice, in dubio iuris (can. 209) confessio ubique peracta *valida.*[4] Certum est autem locum legitimum *non* necessario *extra domum* esse, dummodo talis sit in quo mulieres *saeculares* possunt et solent confiteri.[5] Positis conditionibus a iure po-

[1] Ultima verba ex dec. C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573).

[2] cf. supra n. 256.

[3] Tamen *Vermeersch,* Epit. p. V vel hanc conditionem in dubium vocat, quia dec. C. I. eam non habet. At clarum est non teneri commissionem omnia verba C. repetere, praesertim cum ad diversam quaestionem respondet. Ceterum commissio interpretando non abrogando codici est instituta.

[4] Ad liceitatem tantum eam requirunt *Vermeersch,* Epit. 498 (qui tamen nuperrime suam sententiam mutavit); *Leitner,* 336; *Goyeneche,* De vi can. 522 in *Comment.* II, 13 ss. Contra *Fanfani,* 110; ME XXXIII, 160 et praesertim egregie *Oietti* in *Nouv. Revue Theol.* 1920, 1-13. Alios multos qui de hac quaestione scripsere vide *Comment.* II, 336.

[5] C. I. 24 nov. 1920. In hac decisione vocem «mulierum» de saecularibus esse intelligendam ex textu, ex contextu can. 522, ex ratione legis perspicuum est. Nullum fundamentum habet, nisi accedat alia declaratio extensiva, opinio quae subintroducere vult locum *solis religiosis* deputatum. Contra ME XXXIII, 160 s. At legitimus est etiam locus electus ad normam can. 910 § 1.

stulatis nec antistita confessionem prohibere potest, nec de ea inquirere, ne indirecte quidem, nec religiosae quicquam antistitae referre tenentur (can. 522).

Nullus forte canon hucusque tanto profundendo atramento occasionem dedit, ut iste 522. Lucubrationes desuper concinnatae, a canonistis omne genus, iam pene innumerat sunt. Et mirum est videre quot subtilitates ac speciosa argumenta invenire homines sciunt, cum aliquid sibi propositum demonstrare volunt. Quidam tandem feliciter eo pervenerunt ut omnem distinctionem inter confessarios religiosarum et aliarum practice sustulerint. Et tamen haec est *fundamentum* universae disciplinae. Ex elementario principio interpretationis quaestio resolvenda est prae oculis habitis omnibus canonibus qui ad rem faciunt: 876, 520-525. Inde constat *tum* approbationem specialem esse ad *valorem* necessariam, *tum* multipliciter provisum esse libertati conscientiae religiosarum, quibus satis magna copia conceditur confessariorum *approbatorum*, dummodo eos vocare velint. Quare nec videtur libertas conscientiae esse unica aut etiam praecipua ratio ob quam admittitur confessarius *occasionalis* nec omnimoda esse paritas inter can. 519 et 522. Insuper cum iste confessarius iurisdictionem obtineat a *iure,* in casu singulari, contra normam generalem, conditiones appositae ex natura rei et ex obvio sensu verborum *limitant* concessionem (can. 19, minime vero can. 11, qui supponit praecedentem habilitatem). Unde, si primam forsan excipias quae potius *finem* indicat agentis et ceterum semper inesse censetur, omnes reliquae dicendae sunt pertinere ad essentiam actus. Adde quod hucusque (decr. *Cum de sacrament.* n. 14) ad valorem exigebatur ut confessio fieret *extra domum.* Huic clausulae, nunc omissae, suffecta est alia amplior, sed quoad vim aequivalens, «in qualibet ecclesia etc.».[1] Nec congruum videtur, ubi agitur de *speciali* favore per *exceptionem* indulto, praesumere legislatorem concessisse ut aliquid valide fieri posset et tamen illicite. Dicam quod sentio: quoties valida est confessio est etiam licita et e converso. Utriusque par est ratio.[2]

b) Omnes religiosae *graviter aegrotantes,* licet mortis periculum absit, *quemlibet* sacerdotem pro mulieribus approbatum arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, *quoties* voluerint confiteri, nec antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere[3] (can. 523). Gravitas morbi est certe *moraliter* aestimanda, eo magis cum periculum mortis non exigatur. Sacerdoti vocato implicite conceditur licentia ingrediendi clausuram.

---

[1] Quare aut parum aut nihil probat argumentum, quod aliquibus videtur peremptorium, deductum ex resp. C. Rel. 3 iul. 1916 ad ep. Lincien. (AK XCVII, 87, authentice non publicato), nam praecise in hoc puncto lex est mutata.

[2] Quod videtur confirmari etiam a decl. C. I. 24 nov. 1920. Si religiosa illegitime egre ditur ut adeat confessarium, *illicitus* est quidem *egressus,* non vero illicita confessio.

[3] Superiores contra hanc et praecedentem legem peccantes sunt monendi et puniendi, can. 2414.

Conscientiae manifestatio est revelatio, per se extra confessionem, proprii animi alteri facta, ut is intime nos cognoscat, nostros mores, affectus, inclinationes, tentationes, et in vita spirituali nos dirigere possit. Olim haec ratio in plerisque constitutionibus *superioribus* reddenda imponebatur, gravissimo periculo *permiscendi* forum internum cum foro externo, maxime in recentioribus institutis feminarum, ubi rigorose urgebatur. Et haud raro etiam valde dubitandum erat de utilitate directionis, cum per personas ad hoc difficillimum officium ineptas fieret. Quare *Leo XIII,* decr. *Quemadmodum*[1] omnino abrogavit quamcumque eiusmodi obligationem in omnibus religionibus *laicalibus* et a constitutionibus expungi iussit, solummodo ultroneam manifestationem permisit. Disciplina nunc ad *omnes* religiones extenditur.

a) Omnes superiores, maiores vel minores, districte vetantur personas sibi subditas, non exclusis novitiis, *quoquo modo* inducere ad conscientiae manifestationem *sibi* peragendam. Ratio legis pariter urget contra magistros novitiorum et praefectos studiosorum, licet vero nomine superiores non sint. Utrum autem superiores aut constitutiones imponere exinde possint manifestationem conscientiae *aliis,* non constat, suadere certe possunt.

b) Nam subditi *libere* ac *ultro*[2] etiam superioribus animum suum aperire valent, imo *expedit* ut cum fiducia eos adeant eisque, si sint *sacerdotes,* dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponant (can. 527). At omnino dissuadendum videtur ne de iis rebus cum superiorissis vel superioribus laicis agant, qui theologiae ieiuni vix illa *scientia* praediti esse possunt, quae ad spiritualem directionem necessaria est.[3]

259. Cappellani dicuntur sacerdotes legitime deputati qui in religionibus *laicalibus* sacra ministeria paragunt aut etiam iura paroecialia exercent, si religio plenam exemptionem a S. Sede aut ad hunc effectum ab Ordinario obtinuerit (can. 464 § 2).

Cappellanus designatur in religione exempta a superiore regulari,[4] in reliquis ab Ordinario loci, cui etiam semper competit necessarias facultates tribuere et negligentiam superioris supplere (can. 529). Cum officio cappellani non est incompatibile munus confessarii aut moderatoris in foro externo.

---

[1] C. Ep. et Reg. 17 dec. 1890 *(Vermeersch,* II, 488).

[2] Utrumque verbum habet suam vim, nam quis potest *libere* agere quamvis *inductus.*

[3] *Vermeersch,* Rel. I, 488 ss.; *Battandier,* 305; *Piat,* I, 613-614; *Gennari,* Cons. mor. II, 338 ss.; *Ferreres,* Le Religiose, trad. ital. *Taverna,* Torino 1909, 101 ss.; *Voltas,* De aperienda superioribus conscientia, in *Comment.* I, 83 ss.

[4] Idest, si de monialibus agitur, praelatus cui monasterium subest, non vero abbatissa. cf. can. 1338 § 2. Contra *Fanfani,* 122.

Hi sacerdotes aequiparantur in genere *rectoribus* ecclesiarum, eorumque in pluribus iura et obligationes habent;[1] functiones stricte paroeciales vero reservantur parocho,[2] nisi domus sit ei totaliter aut partialiter subducta.[3]

VI. DE BONIS TEMPORALIBUS.

260. Administratio. *a)* Tum religiones, tum singulae provinciae et singulae domus sunt personae iuridicae, ideoque *capaces* acquirendi et possidendi bona temporalia, sive mobilia sive immobilia cum reditibus stabilibus (can. 531, 1495 § 2). Exclusio aut limitatio huius iuris a lege civili inducta in foro nostro nullam vim exercere potest,[4] attenditur vero si in approbatis *constitutionibus* (mendicantium) sancitur.

b) Bonorum *administratio* connaturaliter pertinet ad ipsam sodalitatem, ad normam tamen sacrorum canonum et constitutionum gerenda (can. 532 § 1, 1495 § 2). Quare legitimi administratores sunt superiores et alii officiales ad hoc munus peculiariter deputati. Habere enim necesse est *oeconomum* generalem, provinciales, locales: *illum* et *istos* a moderatoribus distinctos, sub quorum directione res agunt; *locales* non expedit quidem sed, si necessitas exigat, iidem ac superiores domorum esse possunt. Eliguntur modo a constitutionibus determinato; si eae sileant, a superiore maiore cum consensu sui consilii (can. 516). Tam superiores quam oeconomi expensas et actus iuridicos *ordinariae administrationis*, quae spectat ad patrimonium conservandum, fructus procurandos et colligendos, reditus utiliter et secundum finem praestitutum impendendos, *valide* faciunt, dummodo limite ssuae competentiae non egrediantur (can. 532 § 2).

c) Si caute et tuto fiat, *pecuniae collocatio* est actus qui ordinariam administrationem non excedit.[5] Tamen in hoc negotio, prout etiam quoties collocatio mutanda sit, ob pecu-

---

[1] Non est tamen inter eos perfecta paritas, can. 479 § 2. cf. can. 610 § 2, 821 § 3, 1193, 1230 §§ 4-5, 1345.

[2] Etiam ius funerandi viros religionis laicalis non exemptae ad normam can. 1221 § 1 et can. 1230 § 4. Contra *Fanfani*, 127.

[3] cf. supra n. 250.

[4] Tamen in plerisque rebuspublicis sunt speciales leges contra libertatem possidendi ordinum et congregationum. Quas practice nec ignorare nec negligere debent religiosi, ne gravia damna subeant. cf. can. 547 § 2.

[5] cf. can. 1523, 1531 § 3.

liares causas *Ordinarius loci* partes habere potest. Nam, quin omittant ceteras sollemnitates, eius *praevium consensum* obtinere debent: 1. antistita *monialium* vel religionis iuris *dioecesani* pro collocatione cuiusvis pecuniae, imo si monasterium subest praelato regulari, huius *quoque* assensus requiritur; 2. antistita congregationis iuris *pontificii*, dumtaxat si pecunia dotem professarum constituit; 3. superior *localis* cuiuslibet congregationis,[1] si pecuniae (tituli, actiones etc.) oblatae vel legatae sint domui ea conditione ut fructus impendantur in Dei cultum vel beneficentiam ipso in loco; 4. denique religiosus *quilibet*, superior et non superior, licet exemptus, si pecunia data est paroeciae vel missionis intuitu (can. 533).[2]

Dum in primo casu interventus Ordinarii prospicit bono ipsius religionis, ne ex muliebri inexperientia nocumentum ei obveniat, in altero securitati dotum (can. 549-551), in tertio et quarto eius ius fundatur in *interesse*, quod ut administrator suae dioecesis legitime habet. Unde si contingat domum religiosam in territorio unius Ordinarii sitam esse, in territorio alterius vero legatum esse adimplendum aut paroeciam vel missionem cuius interest inveniri, *huic* ius consensus dandi pertinet.[3]

261. Alienatio. Hoc nomine venit nedum actus iuridicus quo transfertur rei dominium, uti venditio, donatio, permutatio, sed etiam quilibet contractus quo conditio Ecclesiae peior fieri possit,[4] veluti pignoratio, hypothecae, servitutis passivae, census realis constitutio, servitutis activae remissio.[5] His lex addit locationem, cuius valor ultra mille libellas et duratio ultra novennium.[6] Alienationibus ius non favet; unde eas, si necessariae sint aut valde utiles, nonnisi peculiaribus cautelis permittit.

a) Ad *licitam* alienationem requiritur ut res pretio honestae aestimationis non minore, publice, plus offerenti alie-

---

[1] Textus legis non distinguit inter congregationem exemptam et non exemptam, utramque igitur complectitur. Aliter *Vermeersch*, Epit. 509. Loquitur e contra explicite de superiore *domus*, unde si pecuniae datae essent *provinciae* sub eadem clausula, nullum Ordinario competeret ius in collocatione. Tamen paritas rationis videtur huic litterali interpretationi obstare et potius suadere ut ex evidenti analogia (can. 20) norma etiam provinciae applicetur. cf. Signat. Ap. 6 apr. 1920 (A. XII, 252).

[2] Est *praesumptio iuris* ea quae donantur rectori ecclesiae (et a pari missionis), etiam religioso, esse ecclesiae donata. can. 1536 § 1.

[3] cf. can. 1516 § 3, 1182 § 3.

[4] can. 1533.

[5] cf. *Wernz*, III, 154.

[6] can. 1541.

netur.[1] Ad *validam* autem opus est praeterea *beneplacito apostolico* quotiens de rebus agitur pretiosis[2] aliisve quarum valor 30.000 francorum excedat.[3] Infra hanc summam opus est: *licentia* scripta *superioris* competentis ad normam constitutionum cum consensu sui capituli seu consilii per secreta suffragia manifestato; *consensu* insuper in scriptis *Ordinarii loci* si alienantes sunt moniales aut sorores iuris dioecesani; denique *etiam* assensu *superioris regularis* si monasterium eidem subiectum sit (can. 534 § 1).

b) Eaedem normae vigent ad contrahenda *debita* et *obligationes* etiam sine hypotheca vel pignore, licet in casu vera alienatio non habeatur. In precibus pro obtinendo consensu, qua conditio *essentialis,* requiritur ut exprimantur alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur (c. c. § 2).[4] Superiores religiosi (et pari ratione Ordinarius) cavere debent ne debita contrahantur, nisi *certo* constet ex consuetis reditibus posse et foenus solvi et intra congruum tempus sortem gradatim extingui (can. 536 § 5).

c) Largitiones, seu alienationes gratuitae etiam minores, pro regula fieri nequeunt, permittuntur dumtaxat ratione eleemosynae vel alia iusta de causa,[5] de venia superioris et ad normam constitutionum (can. 537).

---

[1] can. 1531. Pretium a peritis aestimatum semper attenditur, non forte maius in licitatione oblatum, ut determinetur qui superior alienationem permittere possit. C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573).

[2] Definitio rei *pretiosae* in can. 1497 § 2 omnia dubia non excludit. Interpretatio authentica demandata iam est C. I. — *Donaria votiva* autem, si vere votiva sunt quod praesumitur, numquam alienari possunt sine beneplacito apostolico, sive quia agitur de mutanda voluntate oblatorum sive quia extra commercium censentur. C. C. 12 iul. 1919 (A. XI, 416) et 14 ian. 1922 (A. XIV, 160).

[3] Omnino assentimur *Vermeersch,* Epit. 510 pretium referendum esse ad monetam *auream.* Nam: *a)* haec sola est vera moneta, chartacea est merum symbolum aut syngrapha reipublicae, cuius potius quam bonorum aestimationem exprimit; *b)* haec sola est fere immutabilis et omnibus populis aequalis, ideoque convenienter attenditur in lege per se universali et perpetua; *c)* hanc prae oculis habuisse censendus est legislator, cum paritatem posuit («seu») inter francos et libellas, haec paritas enim refertur ad aurum («convenzione monetaria latina»); *d)* franci sunt etiam helvetici, iamvero ii aurum aequant; *e)* aliter absurda sequerentur ex. gr. considerato valore nominali monetae helveticae aut americanae et austriacae aut germanicae; *f)* denique hucusque computatio fiebat ad scutata aurea. Quae argumenta, saltem si agitur de effugienda sanctione poenali (can. 2347) nobis, salvo meliore iudicio, sufficientia videntur.

[4] Poenae in male alienantes in can. 2347, si praetermittitur beneplacitum apostolicum praecipua est *excommunicatio l. s.* Eas respicere solam alienationem stricte sumptam (translationem dominii) nobis videtur. cf. *Chelodi,* Ius poen. 79.

[5] «remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis» can. 1535.

De debitis et obligationibus *ipsa* persona moralis quae ea suscepit (religio, provincia, domus) respondet, quamvis licentiam superioris obtinuerit, nec si impar fiat solvendo onus in aliam, ut puta a domo in provinciam, refundi potest (can. 536 § 1).

De obligationibus a *singulis religiosis* contractis respondet religio: *a)* si contraxit *regularis* cum *licentia* superiorum; *b)* si contraxit religiosus votorum simplicium cum *licentia et* tamquam societatis *negotiorum gestor*. In utroque casu obligatione tenetur ea persona moralis, cuius superior assensum dedit. In omnibus aliis respondet religiosus *personaliter*.[1] Salva tamen semper manet actio contra eum (sive religionem sive extraneum), qui ex contractu aliquid acquisivit.[2]

262. Ratio reddenda. Principium *generale* est omnes administratores, et maxime bonorum ecclesiasticorum, ad reddendam rationem suae gestionis teneri.[3] Quare religionum constitutiones determinant quibus et quomodo eam exhibere debeant singuli superiores et oeconomi,[4] ac S. Sedes a supremis moderatoribus eam exigit in relatione quinquennali. Praeterea autem ius definit casus, in quibus *Ordinario loci* haec facultas competit. Cui ratio est reddenda:

a) De tota administratione in domibus religiosis *iuris dioecesani* quoties voluerit; item in *quolibet* monasterio monialium, etiam exempto,[5] semel in anno aut saepius si id constitutiones praescribant. Ordinarius *gratis* revisionem peragere debet et si res postulet potest opportuna *remedia* adhibere, etiam removendo oeconomam aliosque administratores. Si monasterium est regulari praelato subiectum, huic *quoque* ratio est reddenda et ius prospiciendi abusibus vel inhabilitati administratorum ei reservatur, si tamen ab Ordinario monitus id neglexerit, ipse Ordinarius consulit.

b) De solis bonis quae *dotes* constituunt in aliis *mulierum* religionibus, occasione visitationis et etiam saepius si Ordinarius necessarium duxerit.

---

[1] C. Rel. 12 aug. 1914 (A. VII, 104); R. 16 aug. 1915 (A. VIII, 232); R. 16 mart. 1912 (dec. 12) quae pronunciavit teneri religionem etiam de *damno illato* a proprio alumno.

[2] Est actio Romana *de in rem verso* (Dig. XV, 3; Inst. IV, 7 § 4) quae competebat contra patrem, dominum ex negotio filii, servi. *Arndts*, 247, 248; *Vidal*, o. c. 514. Etiam alia principia in hoc can. firmata innituntur iuri Romano: *actio quod iussu* (in casu regularis), *actio institoria* (in casu religiosi vot. simpl.). Quoad ius modernum cf. CI a. 1148; CGa a. 1379; CG § 684; CA § 1041.

[3] cf. can. 1525.

[4] cf. *Normas* 1901 §§ 283 ss., *Battandier*, 470 ss.

[5] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573).

c) De administratione fundorum legatorumque, quae cultus vel beneficentiae causa in ipso loco *domui* congregationis iuris pontificii commissa sunt aut *cuivis* religioso ratione vel intuitu paroeciae aut missionis (can. 535).[1]

Sectio Altera: De Religiosis.

I. DE ADMISSIONE IN RELIGIONEM.

263. Principia. Ad perfectionem vitae christianae omnes homines invitantur per *consilia* a Christo data.[2] Praeter hanc *generalem* vocationem, opus est autem, ad *statum* religiosum amplectendum, etiam vocatione *speciali*, quae saltem consistit in absentia cuiusvis legitimi impedimenti, recta intentione et idoneitate ad onera ferenda. Quilibet catholicus, in iis conditionibus positus, valide et licite in religionem admitti potest (can. 538); securius tamen agit si insuper peculiarem motionem gratiae divinae percipiat.[3] Haec et recta intentio pertinent ad forum internum, dum priora sunt elementa *iuridica*, de quibus in foro externo *superiores* definite iudicant.[4]

Requiritur praeterea plena *libertas*, in utraque parte. Utrique prospicit ius actus vi metuve positos irritans (can. 542, n. 1, 572 § 1 n. 3-4); candidatis insuper excommunicatione latae sententiae comminata omnibus qui quoquomodo virum vel mulierem cogant ad ingrediendam religionem aut professionem emittendam.[5]

Ut autem adscriptio religioni prudentissime fiat, perfectae admissioni quae in *professione* habetur praemittenda est alia ad *novitiatum* et saepe altera, huic praevia, ad *postulatum*.

Diu viguit mos ut parentes infantes imo nondum natos vel conceptos filios monasterio offerent, qui semel traditi *(oblati, donati)* vitae religiosae perpetuo mancipabantur; nec ipsi poterant etiam puberes facti discedere, nec parentes eos reclamare, at quidem aliis substituere.[6] Unde principium: «monachum *aut* paterna devotio *aut* propria professio facit»,

---

[1] In textu legis nec de bonis *religionis* dioecesanae nec de legatis *provinciae* iuris pontificii an et cui ratio reddenda sit dicitur. Lacuna ex analogia explenda.

[2] *Matth.* V, 48: «Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est».

[3] cf. *Suarez*, o. c. tr. VII, l. 5, cc. 8-9; *Vermeersch*, Rel. I, 123 ss. et II (24) ss. *Biederl.-Führ.* 60 ss.

[4] cf. can. 968 § 1.

[5] can. 2352.

[6] c. 7, C. 20, q. 1.

quod a conc. Tolet. IV primo *affirmatum* adhuc in Decretalibus legitur.[1] Haec disciplina viguit usque ad Coel. III (1191-1198) qui eam temperavit, facta oblato facultate, cum ad annos discretionis pervenisset, eligendi inter vitam monachalem et saecularem.[2] Novi ordines saec. XI et deinceps conditi institutum oblatorum non receperunt, paulatim Benedictini quoque ab eo recessere. Definite autem sublatum est demum a Conc. Trid. quamvis etiam posteriores auctores illud non esse interdictum contenderent.[3]

A nostris moribus antiqua illa praxis est quidem omnino aliena, at *historice* facile intelligitur si perpendatur exaggerata potestas, quam leges et consuetudines medii aevi parentibus in filios concedebant.[4]

264. Postulatus. *a)* Est praevium quoddam tempus, quo pro experimento candidatus nondum in religionem receptus, hospes magis quam alumnus, in certa domo instituti commoratur, ut eius rationem et disciplinam cognoscat et vicissim a superioribus cognoscatur (can. 540 § 1). Iure *communi* postulatus praemittendus est novitiatui in religionibus cum *votis perpetuis,* si feminarum pro omnibus, si virorum pro conversis tantum;[5] in religionibus a votis temporariis si illum constitutiones exigant. A statutis definiri potest quoque eius *duratio,* dummodo infra sex menses non sit,[6] in postulatu iuris communis; superiori maiori fas est aliud tempus addere, non autem plus quam sex menses (can. 539).[7]

b) Peragendus est postulatus in domo novitiatus aut in alia accuratae observantiae sub *speciali* cura probati religiosi. Adspirantes nequeunt deferre habitum professorum vel novitiorum, sed alia *modesta veste* induti sint oportet, in monasteriis monialium lege *clausurae* tenentur (can. 540). Ex natura rei convenit ut non recipiantur nisi qui omnibus *qualitatibus*

---

[1] Conc. Tolet. IV, 633, c. 49 (= c. 3, C. 20, q. 1). Iam antea in reg. S. Benedicti c. 59 (*Galante* p. 637) et aequivalenter in compluribus aliis synodis: Matisc. 581, c. 12; Tolet. X, 656, c. 6 (= c. 1, C. 20, q. 2); Tribur. 825, c. 27 (= c. 6, C. 20, q. 1). In Decretalibus: c. 2, X. 3, 31; c. 11 eod. (Alex. III); c. 12 eod. (Clem. III).

[2] c. 14, X. 3, 31.

[3] cf. ex. gr. *Suarez,* tr. VII, l. 5, c. 1, n. 6; *Devoti,* Inst. I, tit. 9, n. 13.

[4] *Scherer,* II, 795; *Vermeersch,* Rel. I, 138 s.

[5] Quinam *conversi* sint nullibi in C. definitur. Ex recepta terminologia ii soli religiosi laici qui operibus manualibus exercendis destinantur.

[6] Ex natura rei tempus debet esse *moraliter* continuum, minores interruptiones autem non officiunt, imo minimae (infra 15 dies) ne supplendae quidem videntur. cf. can. 566.

[7] *Vermeersch,* Epit. 519. Alii deducunt constitutiones quoque non posse praescribere postulatum ultra annum duraturum, nimis insistentes voci «aliud» quae potius styli gratia videtur in C. posita. *Biederl.-Führ.* 62; *Fanfani,* 158; speciali rigore *Leitner,* 359. His favet a. 65 Normarum 1901, quae tamen concedebant moderatori *generali* ius producendi tempus per alios tres menses. Nihilominus contrarius sensus canonis est satis perspicuus, quamvis admittere debeamus non esse secundum mentem legis, ex obviis rationibus aequitatis, si postulatus nimis diutius prorogetur. cf. *Battandier,* 121.

praediti sunt et omnia *documenta* exhibent, quae admittendis ad novitiatum necessaria, at in rigore iuris hanc esse conditionem essentialem aut praeceptivam non probatur.[1] Nec aliae normae, quae regimen novitiorum ordinant, libertatem superiorum in institutione postulantium limitant.

c) Secundum mentem legis est ut, expleto postulatu, candidatus idoneus statim novitiatum incipiat. Certe saltem moralis coniunctio inter utrumque esse debet. Antea vacare tenetur per octo saltem integros dies *exercitiis spiritualibus*, et generalem anteactae vitae *confessionem* peragere nisi prudenti confessario aliter videatur (can. 541).

Postulatus est institutum in iure communi satis recens. Aliquae religiones mulierum iampridem eum in suis constitutionibus praescriptum habebant, deinde in Normis 1901 fuerat omnibus novis congregationibus propositum. In plerisque ordinibus non usuveniebat. Sed, modernis rerum conditionibus urgentibus, *Pius X* illum primo pro laicis viris, deinde pro monialibus generali lege induxit.[2] In C. ulterius extenditur, relicta tamen constitutionibus ac superioribus maiore libertate in eius duratione determinanda.

Est necessarius ex *praecepto*, at *nec* novitiatus *nec* professionis conditio *essentialis*, textus enim de hac re omnino silet.

265. Novitiatus. *a)* Prima in religionem vera admissio, licet tantum inchoativa, locum habet dum quis ad *novitiatum* admittitur. Hoc est tempus probationis, quo durante candidatus se et religionem experitur, ad eiusdem officia et onera instituitur, religio ipsius vocationem et qualitates perpendit (can. 563, 565 § 1, 572 § 2). *Cooptatio* sodalium est *ius* collegii, cuius exercitium pertinet ad superiores *maiores* cum suffragio consilii seu capituli, deliberativo vel consultivo,[3] prout constitutiones pressius determinant (can. 543). Quo in negotio admittentes, praeter leges proprias quae vigere pergunt, inhabilitates et prohibitiones *iuris communis* attendere oportet (can. 542).

b) Invalide enim ad novitiatum recipiuntur: 1. qui a fide deficientes haereticae vel schismaticae *sectae* aliquando adhaeserunt;[4] 2. qui *decimum quintum* annum non expleverint

---

[1] Quidam auctores (ex. gr. *Leitner*, 362 ss.) extendere student ad postulatum requisita ad novitiatum. Quod vero vel ex dispositione canonum in C. excluditur.

[2] C. Rel. decr. *Sacrosanta*, 1 ian. 1911, ubi etiam rationes (A. III, 29); decr. 15 aug. 1912 (A. IV, 565); decr. 7 nov. 1916 (A. VIII, 446).

[3] Ad valorem actus, can. 105.

[4] C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

(can. 555 § 1); 3. qui *vi, metu, dolo* inducti vel a superiore iis mediis inducto;[1] 4. qui liberi non sunt, scilicet *coniux* durante matrimonio; *clericus* qui ex pontificia ordinatione iureiurando tenetur inservire dioecesi vel missioni, quamdiu iuramentum obligat;[2] *episcopus* quivis, licet a R. Pontifice designatus tantum; actu *professus* in alia religione, secluso legitimo transitu, imo etiam qui, in eadem religione vel in altera, perpetuam vel temporariam, professionem quandocumque emiserit et ab ea solutus sit; 5. qui de gravi *delicto* accusati sunt vel accusari possunt, eiusque subeundae poenae proximo periculo expositi.

c) Valide, sed *illicite* admittuntur: 1. *clerici* in sacris, inscio Ordinario vel contradicente ob gravem necessitatem curae animarum, cui aliter provideri nequeat; 2. aere alieno gravati, solvendo impares, nisi *legitime* liberationem obtinuerint; 3. reddendae rationi *obnoxii* aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestiae religioni timendae sint; 4. *filii* qui parentibus, patri matri avo aviae, *parentes* qui filiis opitulari debent, cum alia apta media deficiant; 5. qui in religione ad sacerdotium destinantur, si *irregularitate* aut alio canonico impedimento detenti;[3] 6. *orientales* in latinis religionibus, sine venia in scriptis C. pro Ecclesia orientali.

Simili ratione ac matrimonialia, haec impedimenta aut *dirimentia* aut *impedientia* dici possunt. Et etiam alteri distinctioni locus esset: in impedimenta *iuris divini* et *iuris ecclesiastici.* Quae sua utilitate non caret, a C. tamen praetermittitur, utpote quae practice est minoris momenti, vix enim continget ut ipso iure naturali impeditus hodie in religionem recipiatur. Ex hoc capite plura alia obstacula recenseri possent, et ab auctoribus recensentur (infantes, amentes, impuberes, feminae violatores etc.), quae aperta sunt; in particularibus adiunctis alia occurrere possunt, quae communiter adesse non censentur, ut puta obligatio alendi et educandi *fratres* minores. Intra quos limites prohibitiones *in conscientia* urgeant definire, res est quae potius ad theologiam moralem quam ad ius canonicum pertinet.[4] Pro foro externo et iure communi *taxativa* enumeratio C. omnes antiquas leges abrogat aut ad novos terminos coarctat;[5] at de admissionibus vel professionibus ante d. 19 maii 1919 peractis secundum antiquum ius ferendum est iudicium.[6]

---

[1] Vide supra n. 101.

[2] Ex quibus verbis colligitur agi de iis clericis, qui in quibusdam collegiis (praesertim Urbis) ordinantur *titulo missionis* cum iuramento plerumque temporario, non de iis qui titulo servitii dioecesis (can. 981 § 1). Hos episcopus retinere potest vi can. 542 n. 2.

[3] Irregularitas ex *defectu natalium* non obstat, si ante susceptionem ordinum sollemnis professio emittenda sit (can. 984).

[4] cf. *S. Alphons.* Th. mor. l. IV, 65 ss. (ed. *Gaudé*, II, 493 ss.); *Biederl.-Führ.* 71 ss.

[5] Pleraque enim ex iis impedimentis iam antea vigebant.

[6] can. 10. cf. C. l. 2/3 iun. 1918 ad 6-8 (A. IX, 346); 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

266. Requisita. Ut de libertate ab impedimentis et de qualitatibus admittendorum plane constet, ius plura requirit quae in ipsa admissione exhibenda vel ei praemittenda sunt (can. 544).

a) In quavis religione omnes adspirantes exhibere debent *documentum* recepti *baptismi* et *confirmationis*.[1]

b) Mulieres praeterea non sunt admittendae nisi praemissis accuratis *investigationibus* circa earum indolem et mores, et si in aliquo collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint nisi testimonialibus obtentis.[2]

c) Quae *testimoniales* eadem ratione necessariae sunt pro *viris*. Hi insuper indigent testimonialibus *Ordinarii* originis ac cuiusque loci ubi post decimum quartum annum expletum morati sint ultra annum moraliter continuum *et* rectoris seminarii, si in quo fuerint.

Testimoniales dandae sunt, pro diversis casibus, ab Ordinario, a superiore collegii vel seminarii, audito Ordinario, a superiore maiore religionis, gratuito, sigillo clausae, intra tres menses a iuridica requisitione,[3] directe superioribus religiosis non autem candidato. Referre debent de huius natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, censura, irregularitate aliove impedimento irretitus, num suae familiae necessarius, et si in seminario, collegio, postulatu aut novitiatu fuit, qua de causa dimissus vel sponte discesserit.

Omnes *gravi* conscientiae *obligatione* tenentur secundum veritatem referre, instituta diligenti investigatione et, excepto Ordinario, interposito iuramento;[4] vicissim qui notitias recipiunt absolutum *secretum* servare debent (can. 546). Si respondent adspirantem satis non esse sibi cognitum, superior religiosus alio sed tuto modo supplere debet; si nihil respondent idem certiorem reddat S. Sedem; si non respondendi iustas causas se habere iudicant, ipsi Sedi Apostolicae eas intra trimestre exponere tenentur (can. 545).

---

[1] Aut transumptum ex libris paroecialibus (can. 470) aut ad normam can. 779, 800 confectum.

[2] *Collegium*, intelligendum est institutum *ecclesiasticum*, et praesertim si de viris agitur, in quo educantur alumni ad vocationem sacerdotalem vel religiosam. *Vermeersch*, Epit. 548; *Leitner*, 364.

[3] *Iuridica* est tantummodo si facta a superioribus, non autem si ab ipso candidato (can. 545 § 3).

[4] Qui si *iurare* nolint cogendi sunt ab Ordinario vel a supremo moderatore (si pertinent instituto clericali vel ordini) etiam poenis, usque ad privationem officii. Et si nihilominus detrectent, res deferenda est ad S. Sedem. C. Rel. 21 nov. 1919 (A. XII, 17).

d) Cum *clerici* et *professi* super anteacta vita iam explorati sint, *illi* satis est ut exhibeant testimonium ordinationis et testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus per annum commorati sunt post ordinationem necnon rectoris seminarii si ab hoc proveniunt, *isti* testimonium superioris maioris prioris religionis.[1]

e) Superiores admittentes ab iis requisitis dispensare nequeunt, integrum est autem eis *alia* etiam *exigere,* si necessaria aut opportuna esse censeant (can. 544 §§ 5-6).[2]

267. Dos. Exploratio voluntatis. Quoad *mulieres* duo peculiaria in iure sunt requisita: constitutio dotis, exploratio voluntatis.

a) Dos est ea summa pecuniae vel bonorum, quam femina religionem ingrediens secumfert, suae sustentationi destinatam. Dotem habere necesse est omnes *moniales* ex iure communi, *ceterae* religiosae si id constitutiones postulent. *Quantitas* propriis cuiusque religionis statutis vel consuetudinibus definitur, quae subinde etiam concedunt ut diploma v. c. magistrae pro dote habeatur aut ut conversae cum minore vel sine dote recipiantur. Quoties autem est praescripta, *condonari* nequit ex toto vel ex parte sine indulto S. Sedis si religio iuris pontificii sit, sine venia Ordinarii si iuris dioecesani (can. 547).

b) Dos *tradenda* est monasterio,[3] sin minus eius traditio tuta reddenda forma iure civili valida, ante susceptionem habitus; religio autem eius *proprietatem* non *acquirit* nisi post obitum religiosae, quae vota saltem temporaria nuncupaverit (can. 548). Interim est caute et integre administranda apud moderatricem generalem vel provincialem (can. 550 § 1). Post primam professionem *collocetur* oportet in tutis, licitis ac fructiferis nominibus, servatis sollemnitatibus ad normam iuris;[4] eam quoquomodo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguen-

---

[1] Idem per *analogiam* admitti posse videtur si *non professus,* qui iam testimoniales habuit cum ingressus est priorem religionem, ad alteram transeat. cf. *Larraona* in *Comm.* I, 180 s.

[2] Superiores qui praescripta can. 542 et 544 transgrediuntur puniendi sunt, etiam privatione officii, can. 2411.

[3] De aliis religionibus C. nihil dicit. Standum est itaque constitutionibus, quarum multae iubent ut dos constituatur et tuta reddatur ante susceptionem habitus, solvatur ante professionem. *Greg. XVI,* breve *Cum divina,* 14 maii 1841; *Normae* 1901, a. 93; *Battandier,* 172.

[4] Vide supra n. 260 b.

dum, districte prohibitum est (can. 549), adiecta quoque poenali sanctione.[1] Ordinarii ius et officium est dotibus conservandis *invigilare* ac de eisdem rationem exigere (can. 550 § 2, 533 § 1, 535 § 2).

c) Quocumque tempore et quavis de causa, etiam illegitima, religiosa quaelibet discedat, dos ei *restituenda* est integra, at sine fructibus iam maturis, cum ii acquisiti sint religioni pro illius sustentatione. Si moriatur durante novitiatu tradenda est haeredibus vel personis quas ipsa designaverit (can. 569 § 3). Si professa ad aliam religionem transeat, huic debetur dos a die novae professionis, fructus vero, ex toto vel in parte, a die transitus, dumtaxat quatenus constitutiones aut expressum pactum de expensis tempore novitiatus caveant (can. 570 § 1); in transitu ad aliud *eiusdem* religionis monasterium dos ipsa statim huic cedit (can. 551).

d) Exploratio voluntatis in omnibus mulierum religionibus, etiam exemptis, *ter* facienda est: ante ingressum in novitiatum, ante primam professionem temporariam, ante professionem perpetuam. Eam peragendi ius et officium est *Ordinarii loci,* per se vel, si absens aut impeditus, per sacerdotem delegatum. In eo consistit ut diligenter et gratuito, clausuram non ingrediens, per aptas interrogationes investiget utrum adspirans sciens volens, plane libera et recta intentione, statum religiosum suscipere intendat. Antistita tenetur saltem *duobus mensibus* ante, de proxima admissione certiorem reddere Ordinarium,[2] hic saltem *triginta diebus* antea explorationem perficere, in qua si nihil obstare invenerit, hoc edicet, si quid, admissioni in novitiatum vel professioni *veto* interponat (can. 552).

Aliquid pro ingressu in religionem exigere olim severissime prohibitum fuit. Iam prioribus saeculis plures leges latae sunt contra monachos qui alimentorum obtentu a candidatis pecuniam extorquebant, Conc. Nicaen. II, 787, c. 10, huiusmodi praxim uti *simoniacam* reprobavit. Idem in Decretalibus sancitur.[3] Unde statuta norma: in quolibet monasterio tot recipiendas esse moniales quot illius reditibus sustentari possent, quam Conc. Trid. sess. XXV, c 3 de reg. confirmavit. Nihilominus iam S. Thomas et post eum multi alii animadverterant sola *ecclesiastica* prohibitione non autem iure divino excludi solutionem, si haec non quidem quasi pretium

---

[1] can. 2412 n. 1.

[2] Hanc obligationem negligens poenali sanctioni subest, can. 2412 n. 2.

[3] cc. 8, 19, 25, 30, 40, X. 5, 3.

ipsius ingressus sed pro victu personae daretur.[1] Exinde aperiebatur via *dotibus* pro monialibus supranumerariis vel etiam pro omnibus saltem si monasterium erat pauper. Revera utramque exceptionem admisit legislatio *particularis* post Tridentinum, alteram synodali ordinatione induxit in sua provincia S. Carolus Borromaeus. C. C. prius in primam inclinavit, dein vero saec. XVII labente alteram amplexa est, nec ab ea amplius recessit duabus potissimum de causis: quia gratuita receptione parentes abutebantur ut filias ad religiosa vota cogerent; quia experientia docebat opulentissima quoque monasteria brevi ad inopiam vergere, nisi novis dotibus patrimonium compleretur.[2] Dos acquirebatur monasterio per professionem.[3]

Quae disciplina pro monialibus tantum vigebat. At recentiore aetate S. Sedes voluit ut etiam in *congregationibus* necessitas dotis statueretur, quare in multis constitutionibus exigitur. Exceptiones generales peraro concessae sunt, facilius indulgetur dispensatio in casibus particularibus, aut etiam facultas tribuitur antistitae admittendi sine dote *certum numerum* adspirantium, cum onere referendi ad S. Sedem.[4]

Dos solvenda est ordinarie in *numerata pecunia,* cui tituli, actiones, obligationes aequiparantur. Si quando religiosa afferat bona immobilia haec, ex can. 549, post primam professionem alienanda esse videntur, ut pecunia in nominibus collocari possit.

268. Novitiatus tempus et locus. Novitiatus *incipit* susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto (can. 553).[5] Ut *valeat* peragi debet per *annum integrum* et *continuum* atque in *domo novitiatus* (can. 555 § 1).

a) Annus dicitur *canonicus,* quia iure communi exigitur.[6] Si longius tempus constitutiones praescribunt, hoc sane servandum est non autem ad validitatem, nisi de hac re expresse caveatur (c. c. § 2). Unde in religionibus quae *duos* annos habent, *primus* est canonicus, in quo adamussim omnia fieri debent quae iure statuuntur,[7] in *altero* maior aliqua libertas et moderata occupatio in operibus instituti permittitur, at salvis fundamentalibus novitiatus legibus et apprime disciplina spirituali. Nullum independens munus eiusmodi novitio

---

[1] *Suarez,* tr. VII l. 5, c. 9, nn. 15 ss.; *Ben. XIV,* de syn. l. XI, c. 6, nn. 1 ss.

[2] *Ben. XIV,* l. c.; *Kober,* Die Suspension der Kirchendiener, Tübingen 1862, 357 ss.

[3] Etiam hic habemus exemplum quomodo C. discrimen inter ordines et congregationes tollit et harum ius illis applicat.

[4] *Battandier,* 169.

[5] Alterum positum esse videtur, quia sunt religiones (ex. gr. clerici regulares) quae *proprium* habitum non habent.

[6] Supputandus ad normam can. 34 § 3 n. 3; vide supra n. 89.

[7] *Vermeersch,* Epit. 560, 562 affirmat saltem quoad validitatem nihil interesse utrum primus an secundus annus pro canonico habeatur. Quod forte in rigore iuris verum est, at indubie a mente legis alienum. Nunc obstat etiam instructio C. Rel. 3 nov. 1921.

est committendum, nec fas est eum, nisi per exceptionem et *ipsius* utilitatis causa, in aliam domum transferre, duobus ultimis mensibus vero ante professionem ab omni officio exteriore et in domum novitiatus prorsus revocandus est.[1]

Novitiatus *interrumpitur,* ideoque denuo incipiendus ac integre perficiendus est, si novitius aut *dimissus* e domo *exierit* aut arbitrio suo eam *non reversurus deseruerit,*[2] vel si extra domum, licet cum licentia et reversurus, ultra *triginta dies* sive continuos sive intermissos, quavis de causa, permanserit. *Non interrumpitur* si infra triginta dies de superiorum licentia aut vi coactus extra septa *domus* manserit cum intentione revertendi: at si absentia *quindecim* dies superet hoc tempus est *ad validitatem* supplendum, si non superet potest a superiore condonari.[3] Item *non interrumpitur* si novitius a superioribus in aliam *novitiatus* domum eiusdem religionis transfertur.

Licentiam manendi extra *septa novitiatus,* etiam in ipsa domo religiosa, superiores sine iusta et gravi causa concedere licite nequeunt (can. 556).

b) Domus novitiatus certa sit oportet ac *designata* ad normam constitutionum et si religio est iuris pontificii cum licentia S. Sedis. Plures habere in *una* provincia, nefas est, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto (can. 554 §§ 1-2). Singula autem sui iuris monasteria sunt sedes legitimae novitiorum. In quolibet casu vero curandum est ut ea pars domus in qua degunt tirones *segregata* sit ab ea quam incolunt professi, adeo ut communicatio sine speciali causa et insciis superioribus fieri non possit (can. 564 § 1),[4] praeterea ut dumtaxat religiosi probatae observatiae in iis domibus collocentur (can. 554 § 3).

c) Integer novitiatus peragendus est in *habitu* quem constitutiones pro novitiis praescribunt, salvis exceptionibus ob speciales locorum circumstantias (can. 557). Haec tamen est

---

[1] C. Rel. instr. 3 nov. 1921 (A. XIII, 539).

[2] In utraque hypothesi *duplex* conditio requiritur, una deficiente interruptio non habetur. Intentio non revertendi aliquo modo *externe* prodita esse debet, cum mere interna legis irritantis sanctionem effugiant. In dubio recurrendum erit ad *praesumptiones,* inter quas, *pro* animo revertendi, antiquiores recensebant brevitatem absentiae retento habitu.

[3] Tempus supputandum est de momento ad momentum (can. 34 § 2), unde qui mane feriae II abiit et vespere sabati revertitur *quinque* dies abfuisse videtur, non quattuor ut vult *Vermeersch,* Epit. 562.

[4] Convenire possunt tantummodo in choro, in ecclesia, in processionibus et in coenaculo causa refectionis. *Normae* 1901 a. 85.

norma praeceptiva *non* conditio *essentialis.* [1] Ad valorem e contra est ut novitiatum, si in religione duae classes sodalium sunt, unusquisque in *sua classe* peragat (can. 558). Imo diversi generis novitii etiam *loco* separati esse debent (can. 564 § 2).

Novitiatus quoad substantiam est institutio ipsis religionibus coaeva.[2] At quoad durationem et iuridicos effectus longo tempore magna viguit libertas. Universim ut res iuris privati censebatur, cui utraque pars renuntiare poterat. Primum Innoc. IV ordinibus Praedicatorum et Minorum praescripsit *annum* novitiatus *ad valorem* professionis necessarium. Quam legem Bonif. VIII ad omnes mendicantes, Conc. Trident. ad cunctas religiones extendit.[3] Tempus supputabatur mathematice, de hora in horam; de loco autem canonistae benigniorem, C. Ep. et Reg. ac C. Rel. severiorem sequebatur sententiam.[4] Moderna legislatio, prout in C. prostat, antiquam disciplinam cum decretis iam pridem pro ordinibus in Italia datis, cum dispositionibus Normarum congregationibus propositis et cum recentioribus declarationibus S. Sedis componit.[5]

269. Novitiorum institutio. *a)* Haec eo spectat ut animus alumni informetur studio regulae et constitutionum,[6] meditationibus, precibus; ut quae ad vota virtutesque pertinent addiscantur; ut opportunis exercitationibus vitia extirpentur virtutes acquirantur. In *laicis* et *conversis* curanda est etiam solida instructio doctrinae christianae, habita speciali collatione saltem semel in hebdomada. Quae spiritualis educatio est omnino *res praecipua* durante toto anno novitiatus, quare tirones ab omnibus aliis negotiis quae eos distrahere possent removere oportet, sive ab officiis clericalis ministerii, sive ab operibus instituti, sive a studiis litterarum, scientiarum vel artium *ex professo* obeundis.[7] *Conversis* aliquid magis permittitur: licet eos in officiis fratrum conversorum adhibere, at dumtaxat in eadem domo, aliis subordinatos et quatenus exercitia novitiatus non praepediantur (can. 565).

---

[1] De hoc hucusque dubitatum est, cf. *Battandier,* 137.

[2] cf. reg. S. Benedicti c. 58 (*Galante,* p. 636).

[3] cc. 2, 3 in VI. 3, 14 (Innoc. IV, Alex. IV et Bonif. VIII); Conc. Trid. sess. XXV, c. 15 de reg.

[4] *Illi* permittebant ut novitii cum licentia superiorum etiam per notabile tempus extra domum versarentur (*Vermeersch,* Rel. I, 186), *haec* per absentiam vel 48 horarum novitiatum interruptum considerabat (*Battandier,* 132).

[5] *Clem. VIII,* decr. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603 (*Verm.* II, 137); *Normae* 1901, aa. 72 ss. (*Battandier,* 129 ss.); C. Rel. 3 maii 1914 (A. VI, 229 et 230).

[6] *Normae* 1901, a. 87 iubebant ut cuique novitio traderetur *integrum* exemplar constitutionum, ut eas legere et perfecte cognoscere posset.

[7] Numquam mens Ecclesiae fuit ut omne prorsus studium durante novitiatu interdiceret. cf. C. Rel. decr. 27 aug. 1910 (A. II, 730), quod quidem per C. abrogatum est, sed ut norma directiva inservire potest.

b) Totius institutionis munus et cura committenda est peculiari *magistro,* qui gravi obligatione tenetur omnem diligentiam impendere in ea perficienda (can. 562). Si numerus novitiorum vel alia iusta causa suadet ei dari potest *socius,* qui ei immediate subiectus et sub eius directione eum adiuvet vel suppleat (can. 559 § 2). Uterque eligitur ad normam constitutionum, si ad praefinitum tempus constitutus removeri nequit sine gravi causa, hoc elapso rursus eligi potest (can. 560),[1] ab omnibus officiis et muneribus vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant (can. 559 § 3).[2] In *magistro* requiritur aetas triginta quinque annorum, decennalis vita religiosa a prima professione, eximia caritas, prudentia, pietas et observantia, in religione clericali sacerdotium; *socius* praeditus sit oportet similibus animi dotibus, triginta annos natus, a quinquennio professus (c. c. §§ 1-2).

c) Regimen novitiatus *unum* esse debet; ideo soli magistro competit et nemini fas est in illud quovis colore sese immiscere, exceptis superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac visitatoribus. In iis vero quae ad disciplinam universae domus attinent, magister et novitii superiori locali sunt obnoxii (can. 561 § 1).[3]

d) Intra annum novitiatus magister de agendi ratione singulorum alumnorum *relationem exhibere* debet: utrum superiori maiori an capitulo an utrique constitutiones determinant (can. 563).

Circa **confessiones** novitiorum haec animadvertenda:

a) Mulieres novitiae eodem iure utuntur ac professae.

b) In religionibus *virorum:* regula fundamentalis est, contra ac alias,[4] ne magister eiusve socius suorum novitiorum confessiones audiant, nisi ii ex *gravi* et *urgenti* causa in casibus *particularibus* sponte id pe-

---

[1] Videtur legislator optare ut magister novitiorum et socius diu in munere permaneant.

[2] Quaenam, in concreto, officia cum munere magistri *incompatibilia* sint, videndum est in singulis constitutionibus, quae aliae aliud habent. Ex ipsa natura rei et iure communi autem, omnia quorum alterum cum altero coniunctum bene adimpleri nequit.

[3] Superior *localis,* nisi expresse constitutiones ei aliquid concedant, nihil in novitiatum potest, superiores maiores e contra vi muneris potestatem habent. Fines inter ea quae ad disciplinam novitiatus et ea quae ad disciplinam universae domus pertinent delimitare non semper facile est; etiam in hac re multae constitutiones normas continent, sed haud raro diversas. cf. *Larraona* in *Comment.* II, 291 ss.

[4] Ex *Clem. VIII* decr. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603 § 17, unicus et necessarius novitiorum confessarius erat magister. Cum S. O. 5 iul. 1899 prohibuisset ne confessiones fierent superioribus, die 23 aug. 1899 edita est declaratio hanc prohibitionem non derogare constitutionibus *ordinum* relate ad magistrum novitiorum, at 20 dec. 1899 confirmatum est valere quoad congregationes (*Vermeersch,* II, 137, 496 ss).

tant (can. 891). Norma est districte prohibens,[1] ut caveatur separationi fori interni a foro externo et iusta utriusque partis libertas servetur, non autem irritans. Novitiis adsignandi sunt unus vel plures confessarii *ordinarii*, qui in religionibus clericalibus in eadem domo commorentur, in laicalibus frequenter accedant; confessarius *extraordinarius* saltem quater in anno, ad quem omnes se sistere debent, et plures *auxiliares*, quos tirones in casibus particularibus libere et sine ulla morositate vel molestia ex parte magistri adire possint (can. 566). Ceterum notandum est confessionem novitii cuicumque sacerdoti ab Ordinario approbato factam semper validam esse.

270. Iura et obligationes. *a)* Novitius est religiosus in sensu lato et in favorabilibus persona ecclesiastica, gaudet proinde *privilegiis* clericorum (can. 614) et omnibus privilegiis ac spiritualibus gratiis religioni concessis, nisi ex natura rei aut expressa conditione professis sint reservata. Si morte praeveniatur ad *eadem* suffragia ius habet, quae pro professis praescripta sunt (can. 567 § 1),[2] et si aliud constitutiones ferant, sunt emendandae (can. 489).[3]

b) Novitius subest *potestati* domesticae et etiam, in religione clericali exempta, iurisdictioni superiorum; tenetur iis et magistro obedire (can. 561 § 2) et regulas observare, non quidem vi votorum, quae nondum emisit, sed ex tacito pacto ac ex naturali obligatione. Ad ordines durante tirocinio promoveri nequit (can. 567 § 2).

c) In novitiatus decursu *nec licite nec valide* potest quovis modo suis beneficiis vel bonis renunciare aut ea obligare (can. 568),[4] quae dispositio libertati subsequentis professionis cavet.[5] Sed ante *primam* professionem votorum *simplicium* sive temporariorum sive perpetuorum[6] novitius debet, ad

---

[1] Haec dispositio valde severior est et strictius interpretanda quam ea quae in can. 518 § 2 de superioribus statuitur.

[2] Ad hunc effectum ordinabatur professio in articulo mortis, quae a *Pio V*, const. *Summi sacerdotis*, 23 aug. 1570, ut privilegium monialibus Dominicanis concessa, per communicationem pluribus ordinibus et institutis participata, a *Pio X*, decr. *Spirituali consolationi*, 10 sept. 1912 (A. IV, 589) ad omnes sodalitates religiosas extensa, *nulla alia iuridica consectaria* producebat, adeo ut novitius convalescens in eadem omnino conditione versaretur ac si nullam professionem emisisset. Quare hodie *iuridice* obiecto carere dicenda esset, sed cum aliae rationes, praesertim ordinis spiritualis, non desint ut privilegium sustineatur et abolitum expresse non sit, communiter censent adhuc vigere. ME XXXI (1919) 51; *Vermeersch*, Epit. 573; *Goyeneche* in *Comment.* I, 51; *Leitner*, 377; *Fanfani*, 191.

[3] C. I. 16 oct 1919 (A. XI, 476). At prohibita non sunt maiora suffragia quae ex *titulo speciali* certis religiosis, ex. gr. moderatori generali vel provinciali persolvuntur.

[4] At iure *canonico* nihil obstat renunciationi *ante* ingressum in novitiatum factae, cui autem obstare potest ius *civile*.

[5] Iam a *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 16 de reg. inducta.

[6] *Illa* ex norma iuris communis (can. 574 § 1), *haec* ex privilegio quod aliqua religio forte habeat. cf. *Larraona*, De paupertate simplici, in *Comment.* I, 335 s. s. Non autem ante quamlibet professionem iterand aest cessio et dispositio, ut vult *Blat*, de Personis, Romae 1919, 550.

totum tempus quo iis votis adstringitur (can. 577 § 1, 580 § 3), bonorum administrationem *cedere* cui maluerit, et de eorundem usu et usufructu *disponere* sive in propriam [1] sive in aliorum vel ipsius religionis utilitatem. Emisso enim voto simplici paupertatis retinet quidem dominium *radicale,* sed interdicitur a dominio *utili* (can. 580 § 1). Libera dispositio vero iure communi concessa, a constitutionibus potest aut *limitari,* si in commodum disponentis fieri prohibeatur, aut *praefiniri* si pro certis tantum personis permittantur, aut *adimi* si ipsi religioni usus et usufructus reservetur. Quidquid horum constitutiones ante C. approbatae contineant, servandum est.[2] Quae cessio ac dispositio si *praetermissa* fuerit ob actualem defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut facta quidem sed postea alia bona quovis titulo obvenerint, facienda est aut iteranda etiam post professionem simplicem (can. 569 §§ 1-2). Facta vero *mutari* nequit, nisi ad normam iuris (can. 580 § 3).[3]

Praeterea novitius in *congregatione* religiosa [4] ante primam professionem *testamentum* condere *debet,*[5] quo de bonis praesentibus vel forte obventuris *libere* disponere potest, nec in hac re admittitur contraria constitutionum ordinatio (can. 569 § 3).

d) Impensae postulatus et novitiatus sustinendae sunt a religione, quare pro iis nihil exigi potest, nisi in constitutionibus aut expresso pacto de congrua summa solvenda cautum sit. Etiam res vel obiecta quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituenda sunt (can. 570).

e) Ex suscepto novitiatu permanens vinculum *iuridicum* in neutra parte exoritur. Unde novitius libere potest quolibet

---

[1] Nimirum ita ut fructus patrimonio accrescant (cumulatio). Hoc licitum esse certum videtur, quamvis sententia sit quae negat. cf. *Battandier,* 216, 220. Aliud enim est *cedere* aliud *disponere,* et antiqua formula bizzarriana dicta (*Bizzarri,* 793) qua etiam usus et usufructus cessio imponebatur nec in subsequentibus Normis, nec in C. recepta est. Vide etiam *Larraona* l. c. 339.

[2] C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476).

[3] Vide infra n. 274.

[4] Nam pro alumnis ordinum aliter provisum est (can. 581). At nulla expressa lege prohibetur, quin etiam isti testamentum condant pro tempore quo votis simplicibus ligantur, quod tamen omni vi privatur per renunciationem bonorum ante professionem sollemnem faciendam.

[5] Utrum qui aetate vel alia de causa inhabilis est ad condendum testamentum *iure civili* validum hac obligatione teneatur, controversia est. Affirmat *Vermeersch,* Epit. 569, negat rectius *Larraona,* De paupert. simpl. in *Comm.* II, 10, qui imo censet per eiusmodi testamentum non satisfieri praescripto can. 569 § 3 (cf. can. 1301, 1513). Nec ex can· 583 n. 2 probatur prohibitum esse condere testamentum *professo* votorum simplicium.

tempore religionem *deserere*, haec quavis iusta de causa, secundum constitutiones, eum *dimittere*. Superiores vel capitulum qui id faciant non tenentur dimissionis causam dimisso patefacere, nec hic de laeso *iure* conqueri potest; attamen si inani ratione se dimissum existimaverit potest ad S. Sedem recurrere in *devolutivo*.

Exacto autem novitiatu, alumnum idoneum repertum *debent* superiores ad professionem admittere, non idoneum dimittere.[1] Si fundatum *dubium* supersit, fas est superiori maiori probationis tempus prorogare, non autem ultra sex menses. Ante professionem peragenda sunt *exercitia spiritualis* per octo integros dies (can. 571).

Hic occurrit quaestio, quid sentiendum de novitiatu illius qui dimissus est aut religioni valedixit? Quattuor sunt casus:

a) *Durante novitiatu* quis *iuste* dimissus est ac domo exivit. Novitiatus interrumpitur et denuo incipiendus est (can. 556 § 1).

b) *Durante novitiatu* quis *iniuste* dimissus est. Idem dicendum, etsi postea innocens ostenditur, quia lex non distinguit.[2]

c) *Expleto novitiatu* quis *iuste* dimissus est aut sponte discessit. Res dubia est, et forte, si post brevem moram revertatur, superiores possunt ei applicare can. 571 § 2.

d) *Expleto novitiatu* quis *iniuste* dimittitur. Novitiatus suum plenum valorem iuridicum retinet.[3]

II. DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

271. Notio et divisio. *Professio* est actus iuridicus quo *status* religiosus suscipitur; per eam enim, post tempus probationis, novitius formaliter et publice societati adgregatur. In ea *duplex* elementum inseparabile distingui potest: *traditio* et nuncupatio *votorum*. Nam qui religionem ingreditur, huic se tradit et ab hac acceptatur per *contractum* ultro citroque obligantem, quod pactum est inter *homines*, nomine tamen Ecclesiae acceptatum eiusque auctoritate sancitum (*professio* in sensu stricto), simul autem promissione erga *Deum* se obligat ad observantiam consiliorum.[4] Utrumque, ex inten-

---

[1] Non idoneum admittentes *poenis* plectuntur, can. 2411.

[2] Antiqui auctores erant benigniores. *Piat*, I, 104, 122. Sed cum *iniustitia* in sensu proprio non committatur, non est locus restitutioni in integrum, obstante claro textu legis.

[3] *Voltas*, De novitiatus interruptione in *Comment.* II, 78 ss. Quamvis etiam in hoc casu verum *ius* non laedatur, non adest difficultas ex can. 556 § 1.

[4] *Votum* enim est «promissio deliberata ac libera *Deo* facta de bono possibili et meliore» can. 1307 § 1. Per *traditionem* autem in ipsum Deum dominium transferri, fuit sententia quorumdam antiquorum iamdiu obsoleta.

tione profitentis et acceptantis ac ex dispositione iuris, tam intime est connexum ut in *religione* nec vota sine traditione nec traditio sine votis esse possit, ac vox professio de his et de illa usurpetur.

Dispescitur professio: *a)* in *sollemnem* et *simplicem*, altera ab altera vi tum votorum tum contractus differt;

b) in *perpetuam* et *temporariam*, illa ad totam vitam, haec ad certum incertumve tempus obligationem parit.

Quaelibet autem sufficiens est, moderno iure, ut quis *religiosus* fiat (can. 488 nn. 1 et 7).

Antiqua controversia, a multis saeculis inter doctores disputata, in quo consistat *essentia sollemnitatis* votorum, a C. non resolvitur. At duae veterum sententiae, altera quae eam in externa vel interna aliqua consecratione ponebat, altera quae ex iure divino sollemnitatem eiusque effectus derivabat, explicite excluduntur a can. 1308, in quo votum *publicum* nomine Ecclesiae a legitimo superiore acceptatum clare distinguitur a *sollemni*, hoc vero dicitur esse illud quod ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum. Ceterum utraque iam obsoleta erat. Item alia quae in sui traditione religioni facta formalem causam sollemnitatis quaerit, omnibus canonibus qui de professione perpetua votorum simplicium agunt refellitur. Manent igitur adhuc *duae sententiae:* ea quae a Suaresio nomen mutuat et essentiam sollemnitatis in *absoluta* et ab utraque parte *irrevocabili* traditione simulque in *vi inhabilitanti* votis tributa invenit;[1] altera quae a pluribus antiquis et modernis defenditur et docet sollemnitatem in votis, prout in aliis actibus legitimis, in eo esse quod certa *authentica forma* servetur, quam Ecclesia statuit ei adnectens specialem iuridicam tutelam.[2] Huic opinioni favere videtur definitio can. 1308 § 2: «sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum, secus simplex», praecedentem innuere can. 579, ubi de effectibus, sed neuter est decisivus.[3]

Connexio inter traditionem et vota non ex natura rei sed ex positivo iure procedit. Olim duo elementa etiam disiuncta occurrebant. Nec antiqui religiosi habuerunt vota *sollemnia*, saltem in moderna acceptione, actus contra vota positi enim validi censebantur et demum saec. XII authentice declaratum est irritum esse matrimonium contra votum castitatis initum,[4] quod principium deinde doctores consequenter ad alia vota sollemnia aptaverunt. Ex eo autem quod omnia constituunt elementum professionis, alterum principium est firmatum: aut omnia esse sollemnia aut omnia simplicia,[5] quamvis uni vel alteri simplici

---

[1] *Suarez*, tr. VII, l. 2, cc. 6-14, qui tamen praesertim in vi irritanti insistit; *Wernz*, III, 654 VII; *Scherer*, II, 805.

[2] *Vermeersch*, Rel. II, (13) ss. cf. etiam *Biederl.-Führ.* 97 ss.

[3] *Vidal*, l. c. 69, 1, p. 12.

[4] cf. *Scherer*, II, 364 ss. 820; *Chelodi*, Ius matrim. 54, 87.

[5] S. P. 28 nov. 1818 (*Wernz*, III, 654, not. 450), cf. *Bizzarri*, 451.

peculiari ordinatione effectus sollemnis tributus sit[1] vel in nonnullis ordinibus praeter tria vota substantialia sollemnia alia simplicia nuncupentur.

Ad ius abrogatum pertinet nunc universim *professio tacita*. Quae diu in omnibus religionibus ut omnino aequipollens expressae admissa est et fieri potuit per exercitium actuum professorum.[2] Sublata est pro Dominicanis decr. C. super statu regul. 12 iun. 1858, quod deinde ad alios ordines virorum extensum est, at usque ad C. canonistae docebant nec regulares qui eiusmodi concessionem non expetiverant, nec moniales hac lege affici.

272. Conditiones. *a)* Ut *valida* sit professio requiritur:

1. Aetas *sexdecim* annorum si de temporaria agitur, *viginti* et *unius* si de qualibet perpetua.[3] Anni expleti sint oportet (can. 573).

2. *Novitiatus* validus integre peractus.

3. *Admissio* legitimi superioris, secundum constitutiones. Qui plerumque est superior maior, provincialis ad temporariam, generalis ad perpetuam.[4] Uterque autem indiget *suffragio* consilii seu capituli, *deliberativo* pro prima professione temporaria,[5] *consultivo* pro quavis subsequenti professione perpetua (can. 543 et 575 § 2).

4. *Expressa* sit et sine vi aut metu aut dolo emissa. Quae conditio respicit profitentem, non admittentem.

5. A legitimo superiore secundum constitutiones per se vel per alium[6] *recepta* (can. 572 § 1).

b) Ad *validitatem* cuiusque professionis *perpetuae* necesse est insuper ut praecesserit professio simplex temporaria (c. c. § 2). Quae pro regula, in omnibus religionibus quae vota perpetua habent,[7] emittenda est *ad triennium* valitura, a

---

[1] Invaliditas matrimonii scholastic. et coadiut. S. J.

[2] *Scherer*, II, 802 s.

[3] Sublato discrimine inter religiosos clericos et laicos, ideoque abrogato decreto C. Rel. 1 ian. 1911 (A. III, 29) quo conversi a votis *sollemnibus* ante trigesimum annum interdicebantur. C. Rel. 6 oct. 1919 (A. XI, 420).

[4] Ne in monialium quidem monasteriis universim verum est requiri *consensum episcopi* ad legitimam admissionem. Moderno iure communi enim Ordinario reservata est tantum facultas explorandi voluntatem. cf. *Wernz*, III, 643. Aliter *Biederl.-Führ.* 89.

[5] In professionibus temporariis *post* primam expetendum esse suffragium consilii seu capituli nullo textu probatur, licet hoc plerique auctores affirment. cf. *Larraona* in *Comment.* I, 367.

[6] Qui etiam episcopus esse potest vel eius delegatus, prouti in quibusdam institutis sororum iuris pontificii usuvenit, uterque autem acceptat ut *mandatarius* antistitae, nam sodales cooptare ius internum sodalitatis est (can. 543). C. I. 1 mart. 1921 (A. XIII, 177).

[7] *Perpetua* non est professio emissa sub clausula «donec in congregatione vivam», ideoque huic non est necessario praemittendum triennium votorum simplicium. C. I. 1 mart. 1921 (A. XIII, 177).

novitio autem qui hoc termino elapso nondum vigesimum primum annum explebit *ad totum tempus* legitimae aetati attingendae necessarium. Si vero constitutiones exigant professiones *annuales,* haec norma est servanda. Tempus a iure praefinitum potest legitimus soperior *prorogare,* non tamen ultra aliud triennium et in casu emittenda est nova professio temporaria (can. 574).

c) Ad *liceitatem* tantum pertinet: 1. ut prima professio temporaria, votis perpetuis praevia, in ipsa *domo novitiatus* fiat; de reliquis nihil est statutum (can. 574 § 1); 2. ut in qualibet professione emittenda servetur *ritus* a constitutionibus praescriptus;[1] 3. ut de emissa professione *documentum* conficiatur, ab ipso professo et saltem ab eo qui eam recepit subscriptum, quod in tabulario religionis est asservandum. 4. De professione sollemni superior debet certiorem reddere parochum baptismi profitentis, ut in *libro baptizatorum* ad normam iuris (can. 470 § 2) inscribatur (can. 576).

1. Non quidem ex iure C. sed ex decr. C. Rel. 15 iul. 1919 (A. XI, 321) ad *validam* et *licitam* professionem alia nonnulla servanda sunt in locis ubi religiosi *servitio militari* activo adstringuntur.[2] *a)* Novitii vota temporaria emittere debent valitura usque ad servitium militare. Quae ipso iure *cessant* eo die quo religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit *aut* eo die quo absolute et in perpetuum inhabilis ad militiam declaratur. Tempus proinde indeterminatum, vel brevius vel longius triennio esse potest. In institutis quae habent vota *annualia* haec emittuntur, quae item cessant servitio militari suscepto, non cessant autem declaratione inhabilitatis.[3] *b)* Perdurante servitio militari alumnus *manet* suae religioni *adscriptus* et auctoritati superiorum obnoxius, qui de eo curam habere debent. *c)* Tum alumnus durante vel expleto servitio militari potest libere religionem *deserere,* praemonitis in scriptis superioribus, tum ii ob iustas et rationabiles causas eum *dimittere* vel non amplius suscipere. *d)* E militia *reversi* non statim admittendi sunt ad professionem perpetuam, etiamsi terminum temporariae

---

[1] In *ritu* professionis *temporariae* omittenda sunt omnia quae perpetuitatem status innuant. Quare, si de monialibus agitur, ritus Pontif. Rom vel huius similis adhibendus est in professione sollemni, abrogatis resolut. C. Ep. et Reg. 18 iul. 1902 et 15 ian. 1903. Ita C. Rel. 30 iul. 1919 (A. XI, 323). Eadem norma analogice applicari potest ceteris religiosis. Ritus approbatus, qui intra missam, etiam in votorum renovatione, adhiberi permittitur adest in C. R. decr. 24 aug. 1894 n. 3836.

[2] Hoc decreto declaratum est adhuc vigere decr. *Inter reliquas,* 1 ian. 1911 (A. III, 37) quia «cum ad circumstantias temporum et locorum habeat relationem» ut lex ecclesiastica generalis nequit considerari. Ad rectam interpretationem attendendae sunt etiam declar. C. Rel. 1 febr. 1912 (A. IV, 246).

[3] C. Rel. 30 nov. 1919 (A. XII, 73).

attigerint, sed novis votis simplicibus nuncupatis in iis manere debent, per annum si ultra annum milites fuerint, per tempus aequivalens tempori servitii militaris, si hoc brevius duraverit.[1]

2. Antiquae religiones, inde a saec. XII, solam professionem *sollemnem* novitiatui immediate subsequentem habuerunt. Prima S. J. vota *simplicia* induxit, quorum alia ad tempus ante sollemnia, alia in perpetuum (coadiutores) emitterentur. Ex hoc exemplo et ex tertiariis aliorum ordinum vitam communem agentibus processerunt recentiores *congregationes*. Pius IX vero litt. 19 mart. 1857 iussit ut in ordinibus virorum *triennium* votorum simplicium, quae ex parte voventis non autem ex parte religionis irrevocabilia erant, sollemni professioni praemitterentur. Quod ius C. Ep. et Reg. 3 maii 1902 ad *moniales* extendit,[2] C. vero omnibus religionibus cum votis perpetuis imponit, at ea immutatione ut pro utraque parte temporaria sint.

273. Consectaria. *a)* Professione *vinculum* inter religionem et religiosum initur et *obligatio* erga Deum ex votis assumitur. Utrumque ab Ecclesia sancitur et iuridicos parit effectus. At professio *temporaria* natura sua in duratione limitata est. Tempore exacto religiosus libere *discedere*, religio eum iusta de causa a novis votis excludere potest (can. 637), nisi iam professione durante ad normam iuris dimiserit (can. 647 §§ 1-2), quo ipso facto ab omnibus votis religiosis solvitur (can. 648). Extra hos casus autem emittenda est ei professio *perpetua* (can. 575 § 1),[3] nulla interposita mora, quae regula semper servanda est quotiens renovanda sunt vota (can. 577 § 1). Non enim licet aliquo intervallo sine votis esse, sed eodem recurrente die quo antecedens professio incoepit altera est sufficienda.[4] Ius potius permittit, at dumtaxat in renovatione temporariae, ut per aliquod tempus, sed non ultra mensem, ritus *anticipetur* (c. c. § 2); terminus autem a quo obligatio decurrit manet dies quo secundum normam generalem vota nuncupanda fuissent.[5]

b) Quaelibet professio religiosum facit: unde in genere eadem est conditio omnium professorum in eadem religione, salvis differentiis ab ipso iure statutis. Re vera professi *a*

---

[1] Qua declar. C. Rel. 1 febr. 1912 improbabilis ostenditur opinio *Vermeersch*, Epit. 582 qui putat normas circa servitium militare non urgere si hoc infra annum duret.

[2] Litt. *Neminem latet* (*Bizzarri*, 853 ss.; *Vermeersch*, II, 156 ss.); decr. *Perpensis* (AS XXXV, 31; *Vermeersch*, II, 183).

[3] Nisi agatur, uti patet, de religione quae sola vota temporaria habet.

[4] Non autem eadem hora, nam novus actus per integrum eundem diem poni potest (can. 34 § 3 n. 5). Unde si nova vota aliquot horis retardentur, interim religiosus prioribus manet alligatus. Vicissim, adveniente die, etiam prima hora discedere potest.

[5] *Vermeersch*, Epit. 580.

votis temporariis, quae perpetuis praemittuntur: *α*) fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis, spiritualibus gratiis, suffragiis ac professi a votis perpetuis: *β*) eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, at ab officio divino privatim recitando, si a choro absentes fuerint (cf. can. 610 § 3), liberi sunt, nisi hoc onus ex ordine sacro vel ex expresso constitutionum praescripto eis incumbat; *γ*) voce activa et passiva carent, tempus tamen definitum ad utramque acquirendam computatur a prima professione. Contraria dispositio constitutionum vero tum in primo tum in altero casu admittitur (can. 578).

c) Professio *simplex* actus votis contrarios reddit *illicitos*,[1] professio *sollemnis* nedum illicitos sed, si sint irritabiles, *invalidos* (can. 579). Quare, ex voto castitatis, matrimonium cuiuslibet professi est illicitum[2] (can. 1058 § 1), invalidum professi sollemniter (can. 1073); ex voto obedientiae quilibet professus totam suam activitatem religioni mancipat ideoque contra voluntatem superiorum agere nequit («velle et nolle non habet»), at professus sollemniter insuper nullam personalem obligationem *firmiter* suscipere valet, sive erga Deum sive erga homines; eam enim superior semper valide et cum causa etiam licite irritare potest;[3] ex voto paupertatis denique multipliciter diversa est religiosi alterutrius professionis relatio ad bona temporalia (cf. infra n. 274).

d) Post annum ab emissa *qualibet* professione religiosa vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera (can. 584). Professus a votis *perpetuis* amittit ipso iure quam in saeculo habebat dioecesim (can. 585), adscribitur enim definite religioni et veluti incardinatur (can. 111 § 1, 115).

274. Effectus quoad bona temporalia. Discrimen inter professionem simplicem et sollemnem dilucide apparet in normis quae votum *paupertatis* respiciunt.

a) Professus a *votis simplicibus* conservat proprietatem (radicalem) bonorum suorum et capacitatem alia acquirendi, nisi speciali iure aliud cautum sit; potest proinde etiam actus

---

[1] Si aliquando invalidi sunt, id ex *speciali* iure derivatur (Votum castitatis in S. J.).

[2] Aliae applicationes pertinent ad theologos morales.

[3] In assignando discrimine inter votum sollemne et simplex obedientiae canonistae non parva difficultate laborant, nec uno modo sentiunt. cf. *Biederl.-Führ.* 124; *Wernz*, III, 152 scholion.

validos qui ad proprietatem vel acquisitionem pertinent ponere, debet vero omnino ab administratione, usu et usufructu abstinere (can. 569). Nec ei fas est proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, cessionem et dispositionem, quam de iis fecit,[1] *mutare,* sed ad hoc indiget *licentia* supremi moderatoris, aut si de monialibus agatur Ordinarii loci, si autem monasterium praelato regulari est obnoxium, *etiam* huius licentia accedat oportet. Mutatio vero fieri nequit, saltem de *notabili* bonorum parte,[2] in favorem religionis (can. 580 §§ 1 et 3).

Professus in *congregatione,*[3] etiam dioecesana, nequit insuper *licite* per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso *abdicare* (donare) at sane titulo oneroso (vendere, permutare),[4] nec *testamentum,* quod ante professionem condidit (can. 569 § 3) *mutare* sine licentia S. Sedis, vel si res urgeat et tempus recurrendi non suppetat, sine licentia superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, localis (can. 583). A testamento primum condendo, qui id antea non fecerit, prohibitus non videtur, conditum vero eadem norma regitur.[5]

Quidquid industria sua vel intuitu religionis acquirit, *religioni* acquirit (can. 580 § 2); quidquid alio modo, sibi in nudam proprietatem acquirit.[6]

b) Professus *a votis sollemnibus,* e contra, *incapax* est possidendi et acquirendi, salvis indultis a S. Sede ob peculiares causas quibusdam religionibus religiosisve concessis.[7]

---

[1] Sive ante sive post professionem. Discrimen inter utramque admittere logica iuridica vetat. Can. 580 § 3 provocat quidem dumtaxat ad can. 569 § 2 sed nec errorem typographicum necesse est supponere (*Larraona* in *Comm.* II, 41 s.) nam §§ 1 et 2 illius canonis quid unum constituunt, unde alteram sufficit allegare ut etiam prima intelligatur.

[2] Pars *notabilis* communiter censetur tertia vel quarta. Animadvertendum est hoc loco agi de cessione usus et usufructus non autem ipsius patrimonii, cui obstant can. 581 § 1 et 583 n. 1.

[3] Pro professis a votis simplicibus in *ordine,* qui vota sollemnia emissuri sunt, alia norma viget (can. 581 § 1). At quia pro illis qui in ordine sola vota simplicia nuncupant et pro monialibus in eadem conditione nulla norma peculiaris in C. est, ex analogia haec eadem applicanda erit.

[4] At evidenter *in fraudem legis* ageret religiosus qui alienaret titulo quidem oneroso, sed pretio valde deminuto. Contra *Larraona,* l. c. II, 76. Parvae donationes vero, ex recepta doctrina, sub hac lege non cadunt.

[5] *Larraona,* l. c. II, 42, 104 s. Consulto omissa est in C. prohibitio condendi testamentum, quae in *Normis* art. 122 legebatur.

[6] C. Rel. 25 febr. 1922 (A. XIV, 196) respondit: stipendium militare, pensionem vitalitiam ob mutilationem vel debilitationem in bello perpessam, emolumenta pecuniaria ob decus militare, premium demobilitationis *religioni* acquisita esse, dummodo religiosus votis esset ligatus. Pensionem vero etiam sodales societatum sine votis suo instituto tradere debere, quamdiu in eo permaneant. A doctrina hucusque recepta haec resolutio aliquatenus recedit. cf. *Goyeneche* in *Comment.* I, 340 ss.

[7] In Belgio et Hollandia haec concessio generalis est, at religiosi ea uti debent cum licentia superiorum,

Unde antequam haec vota pronunciet *debet* omnibus bonis quae *actu* habet cui maluerit renunciare, *potest* quae certo iure non sola spe habiturus est.[1] Ut autem libertati professionis plane caveatur, renuntiatio nonnisi intra sexaginta dies ante illam *valide* fieri potest, antea nequit; sub conditione secuturae professionis, qua non secuta non tenet; quoad forum civile demum post professionem, sed statim[2] (can. 581).

Quidquid autem deinde *quovis modo* ei obvenerit, nihil ei acquiritur, sed in ordine capaci possidendi cedit ordini vel provinciae vel domui,[3] prout constitutiones disponunt, in ordine incapaci acquiritur S. Sedi in proprietatem[4] (can. 582).

Professio invalida. Duplex est casus et solvitur analogice ac in matrimonio nullo.

a) Irrita ob *impedimentum* externum: non convalescit per huius cessationem nec per actus subsequentes, sed aut sananda est a S. Sede, *aut* denuo legitime emittenda postquam impedimentum sublatum et profitens rescivit priorem esse nullam.

b) Irrita ob *defectum consensus* mere internum: convalescit consensu etiam occulte praestito, dummodo in altera parte (religione) perseveret.

c) Si valor professionis ob gravia argumenta *dubius* est, religiosus imprimis inducendus est ut consensum suppleat aut sanationem petat aut professionem ad cautelam denuo emittat.[5] Quod si renuat, eo magis si voluntatem significet impugnandi suam professionem, res deferenda est ad S. Sedem (can. 586). Processus, si umquam fiat nam C. Rel. consuevit alio modo rei providere, instituendus erit ad instar processus nullitatis s. ordinationis.[6]

---

[1] *Certo iure* debetur portio legitima. Huic renuntiare posse religiosum communis fuit hucusque sententia confirmata rescr. C. Ep. et Reg. 16 sept. 1885 (*Verm.* II, 150), quod inter fontes C. recenset. Nec videtur disciplina esse mutata. *Larraona* in *Comment.* I, 79, 182; *Vermeersch*, Epit. 587. Idem forte tenendum de haereditate ab intestato parentum vel fratrum, at indubie excludendum (contra ac sentit *Fanfani* 195) de iis quae *in spe* tantum habentur.

[2] Si ob minorem professi aetatem aut aliam causam renuntiatio *civilis* valida fieri nequeat, interim satis est *canonica*, suo tempore autem immutata civili confirmanda. C. Ep. et Reg. 16 sept. 1885.

[3] «Quidquid acquirit monachus acquirit monasterio». Consequenter C. Rel. 25 febr. 1922 (A. XIV, 196) edixit sollemniter professos suo ordini refundere teneri omnes pecunias quae illis occasione servitii militaris durante bello praestiti obvenerunt vel obvenient. — De *manuscriptis*, sive propria manu exaratis sive praesertim proprio ingenio compositis, magna fuit olim controversia (cf. *S. Alphons.* Th. mor. l. IV, n. 14, ed. *Gaudé*, II, 453 s.), quam C. Rel. 11 iul. 1913 (A. V, 366) diremit in favorem religionis. Cuius decisio tamen non adeo late accipienda videtur, ex recepta sententia, ut manuscripta ad usum mere personalem comprehendat. cf. *Goyeneche* in *Comm.* II, 140 ss. Idem dicendum de picturis aliisque operibus artis et ingenii.

[4] Ideo dicendum, nedum legatum, etiam haereditatem eiusmodi ordini vel eius alumno relictam non esse invalidam, nec a religione renunciari posse, sed adeundam esse S. Sedem ut ipsa decernat quid faciendum sit. Qua in re habemus mutationem iuris antiqui. cf. *Biederl.-Führ.* 108.

[5] cf. can. 1965.

[6] can. 1993-1998 vide supra n. 123. Quae iure antiquo de causis nullitatis professionis erant statuta et nunc videntur obsoleta v. apud *Wernz*, III, 668 ss.

275. Ratio studiorum. In religionibus *clericalibus* post primam professionem alumni studiis incumbere debent, ut se ordinibus suscipiendis et ministeriis obeundis praeparent. Quae periodus studiorum eis veluti *alterum tirocinium* est, quo non solum in scientia sed simul in virtute religiosa proficiant.

a) Convenit et, si possibile est, oportet ut quaelibet religio clericalis habeat *studiorum domum*, a capitulo generali vel a superioribus approbata, in qua vigeat perfecta vita communis et nonnisi religiosi exemplaris observantiae commorentur (can. 554 § 3). Vita communis est conditio a iure requisita ut studentes ad ordines admittantur. Si religio aut provincia proprias scholas habere nequeat, aut ex iusta causa superiores censeant utilius esse ut alumni in aliis instituantur,[1] possunt eos mittere ad sedem studiorum alius provinciae aut religionis, vel ad seminarium episcopale, vel ad publicum catholicum athenaeum, dummodo tamen cautum sit ut studentes aut in sui aut in alterius instituti virorum conventum aut in seminarium aut saltem in piam domum a sacerdotibus rectam et ab ecclesiastica auctoritate in hunc finem approbatam se recipiant (can. 587).

b) Toto studiorum curriculo religiosi committendi sunt speciali curae *praefecti* seu *magistri spiritus*, qui iisdem saltem qualitatibus praeditus sit oportet ac socius magistri novitiorum[2] et illos in vita religiosa informare debet. Exercitia *pietatis* quae omnibus religiosis praescribuntur perfectissime a scholasticis obeunda sunt (can. 588, 595).

c) Perinde ac clerici saeculares, religiosi rite instituendi sunt in disciplinis inferioribus, nisi eas iam didicerint, deinde saltem per biennium in philosophia, saltem per quadriennium in sacra theologia, doctrinae S. Thomae inhaerentes et secundum instructiones Sedis Apostolicae.[3] Superioribus pro-

---

[1] Haec interpretatio, quae alias rationabiles causas praeter eam quam C. memorat admittit, respondet doctrinae et praxi hucusque receptae et recte videtur defendi a *Vermeersch*, Epit. 590.

[2] In canone est difficultas, quia de *magistro* novitiorum loquitur sed allegat can. 559 § 2 ubi de *socio*. Plerique commentatores hanc citationem negligunt. *Goyeneche* in *Comment.* I, 141 putat esse errorem typographicum (at notandum allegationem, in prima editione incompletam correctam esse in emendationibus, quare novus error non est facile praesumendus). *Vermeersch*, Epit. 591 de socio interpretatur. Hoc probabilius credimus, nam etiam socius lato sensu dici potest magister.

[3] cf. can 1364-1366. Ultima clausula ex ipso contextu respicit studia philosophica et theologica, ideo non amplius vigere censendae sunt instructiones seu declarationes post decr. *Auctis admodum*, 4 nov. 1892, a C. Rel. 7 sept. 1909 et 31 maii 1910 (A. I, 701; II, 449) de studiis *humanisticis* datae. Contra *Biederl.-Führ.* 102; *Fanfani*, 208.

spiciendum est ne studia *negligantur* vel *impediantur* ex alienis occupationibus vel oneribus magistris aut alumnis impositis, imo moderator supremus ordinatione etiam generali, alii superiores in casibus particularibus valent eos a quibusdam communitatis actibus, et a choro quoque praesertim nocturnis horis, *eximere*, si id expedire prudenter aestimaverint (can. 589).

d) Obligatio excolendi scientias sacras etiam *absoluto* ordinario *studiorum curriculo*, religiosos quoque urget, imo aliquatenus severius ac sacerdotes saeculares. *Examen* enim in variis theologicis disciplinis antea opportune designatis saltem per *quinquennium* subendum est, ab eoque liberi sunt tantummodo qui theologiam, ius canonicum vel philosophiam scholasticam docent[1] aliive quos superiores maiores *gravem* ob causam dispensaverint (can. 590); *collationes* casuum e re morali et liturgica, quibus addi potest, si superior opportunum duxerit, sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis, habendae sunt in qualibet saltem formata domo, minimum *semel in mense*, eisque assistere tenentur omnes professi qui studio theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, nisi aliter in constitutionibus caveatur (can. 591).

III. DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

276. Obligationes communes. Religiosorum obligationes *triplici* ex capite: ex votis, ex statu, ex legibus ecclesiasticis.

a) In omni religione essentialia sunt tria *vota* castitatis, paupertatis, obedientiae, in nonnullis alia peculiaria accedunt. Ex *primo* omnem actum luxuriae internum vel externum devitare tenentur; ex *altero* nulla re temporali qua propria licite uti possunt; ex *tertio* subesse superioribus in omnibus quae *legitime* imperant debent. Non enim quaecumque, etsi honesta, superior vi voti imponere valet, sed dumtaxat quae *secundum* regulam sunt, non vero quae *supra, contra, infra* regulam, cum professus obligationem suscepisse censeatur secundum conversationem religionis suae. Ideo etiam non videntur in

[1] Idest quamcumque scientiam *sacram* quae ad has facultates pertinet, ex gr. s. scripturam, historiam ecclesiasticam, patrologiam, liturgiam etc.

voto comprehensi actus mere interni.[1] In *dubio* autem sive de legitimitate iussionis sive de liceitate rei imperatae praesumptio favet superiori.[2]

b) Ratione *status* omnes et singuli religiosi, haud minus superiores quam subditi, debent ad *perfectionem* tendere et in hunc finem, nedum vota servare, sed etiam secundum *regulas* et *constitutiones* propriae religionis vitam componere (can. 593). Essentiae status est quoque *vita communis* (can. 487), quae proinde accurate servanda est,[3] etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad suppellectilem pertinent; haec autem, uti convenit eos qui paupertatem professi sunt, simplex sit oportet. Quidquid religioni obvenerit, sive directe sive per religiosos, bonis domus vel provinciae vel religionis admiscendum est et pecunia quaelibet omnesque tituli in capsa communi deponendi[4] (can. 594).

c) Lege obligationes communes clericorum[5] ad religiosos omnes extenduntur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet (can. 592). Imo assequendae *personali* sanctitati plura eis quam clericis, saltem indirecte praecipiuntur: exercitia spiritualia quotannis, quotidie sacro interesse, orationi mentali et aliis pietatis officiis a constitutionibus ordinatis sedulo incumbere, semel minimum in hebdomada ad poenitentiae sacramentum accedere. Quoad communionem, frequens imo quotidiana est promovenda, omnibus rite dispositis omnino libera, prohiberi potest tantummodo religioso qui communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam

---

[1] *Wernz,* III, 652; *Biederl.-Führ.* 120 ss.

[2] Quando superiores *vi voti* iubere censendi sint, in singulis constitutionibus est videndum. Plerumque necesse erit ut adhibeant formulam: «in virtute sanctae obedientiae» vel «in nomine Domini nostri I. C.» vel aequipollentem. *Piat,* I, 309; *Biederl.-Führ.* 123.

[3] Religiosi legem vitae communis in re notabili violantes poenis subsunt, can. 2389. At proprie vita communis, quatenus est moderno iure statui religioso essentialis, importat *adscriptionem* alicui societati approbatae, quare statum non amittit qui legitime in communitate actu non vivit (Cardinalis, episcopus, exclaustratus).

[4] Hoc canone expresse reprobari *peculium* religiosorum, affirmat *Vermersch,* Epit. 597. Quod ita absolute non dixeris. Cum enim C. totidem fere verbis referat antiquam legem *Clem. VIII,* in decr. *Nullus omnino,* 25 iul. 1599 (*Vermeersch,* II, 132) novum ius non inducit. Iam vero hucusque probabilis erat sententia *peculium dependens,* idest quod sub auctoritate superioris retinetur et impenditur, ex consuetudine esse licitum, quamvis certe periculosum et a perfectione vitae communis alienum. cf. *S. Alphons.* Th. mor. l. IV, n. 15, ed. *Gaudé,* II, 454 ss. *Wernz,* III, 650, IV; *Vermeersch,* Rel. I, 273 ss. Unde post C. quaestio in praxi reducitur ad applicationem can. 5. *Biederl.-Führ.* 111. — *Peculium* autem intelligitur pusillum patrimonium vel pecunia ad proprios religiosi usus, praeter id quod praesens ipsius necessitas moraliter requirit.

[5] can. 124-142, vide supra nn. 113 ss.

culpam patraverit, donec ad sacramentum poenitentiae denuo accesserit; normae quae communiones certis diebus aut adsignent aut iubeant vim dumtaxat directivam habent (can. 595).

Religiosi tenentur, tum intra tum extra domum, proprium suae religionis *habitum* deferre,[1] nisi gravis causa excuset, iudicio superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis (can. 596).

277. Clausura. I. Papalis. Clausura *formaliter* est lex, ad religiosam observantiam promovendam et praesertim ad pericula castitatis avertenda inducta, qua ingressus et egressus in domibus religiosorum ordinatur; *materialiter* est definitum spatium ad quod vis legis circumscribitur. Clausura, vigenti iure, *omnes religiosi* tenentur, non omnes vero eodem modo: regulares eam habent severiorem et excommunicatione l. s. munitam, quae proinde vocatur *papalis*, ceteri mitiorem, quam episcopus invigilare et in pluribus casibus censuris quoque firmare potest, ideo saepe *episcopalis* dicta (can. 604 § 3). Etiam in censura papali autem, dum plura communia sunt, alia diversa prout agitur de *viris* aut de *mulieribus*.

a) Itaque, in omnibus domibus canonice institutis, etsi non formatis, *ordinis* sive virorum sive mulierum, cum votis *sollemnibus*,[2] servanda est *clausura papalis*. Materialiter haec comprehendit totam domum quam communitas regularis inhabitat cum hortis et viridariis religiosis reservatis, non vero publicum templum cum continenti sacrario,[3] hospitium pro advenis, collocutorium, quod tamen, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet. Clausurae fines sunt patenter indicandi, eos accurate praescribere aut legitimis de causis mutare officium est superioris maioris vel capituli generalis secundum constitutiones; in monasterio monialium episcopi (can. 597).

---

[1] Nihil interesse videtur utrum aliquae religiones habitum clericorum saecularium habeant. Hic, ex constitutionibus, est religionis *proprius*, ideoque aeque urget severum praeceptum can. 596 non ex sola regula (a qua possent superiores dispensare) sed ex iure communi. Aliter *Biederl.-Führ.* 143. Nulla autem est hodie poena l. s. contra deponentes vel celantes habitum.

[2] Moniales, quarum vota ex instituto deberent esse sollemnia, sed ex praescripto Sedis Apostolicae, in aliquibus locis, simplicia sunt, non tenentur clausura papali. C. l. 1 mart. 1921 (A. XIII, 177). Vicissim concessa est interdum clausura papalis, ex *privilegio*, religiosibus a votis simplicibus. *Bizzarri*, 88.

[3] *Contiguitas* est conditio ut sacrarium extra clausuram sit; aliud esset dicendum si ab ecclesia separatum. In iure antiquo variae erant opiniones cf. *Piat*, I, 387.

b) Clausura regularium *virorum,* quamvis etiam arbitrarium *egressum* prohibeat et iure statutario haec prohibitio poenis quoque urgeri possit (can. 606 § 1),[1] praecipue et expresse, iure communi, illegitimum *ingressum* cavet. Interdictum est enim in eorum monasteria admittere *mulieres* cuiusvis aetatis, generis aut conditionis, sub quovis praetextu; exceptis uxoribus eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu (can. 598). Contra ius ingredientes, introducentes, admittentes ipso facto *excommunicationem* incurrunt.[2] Extra clausuram autem est ea pars domus in qua convictus pro alumnis internis aut alia opera religionis propria collocata sint, dummodo ab altera parte religiosorum habitationi reservata et clausurae subiecta separetur,[3] ideo in illam ingredientes mulieres legem non violant, non sunt tamen admittendae nisi aequa de causa et de superioris licentia (can. 599).

c) Clausura *monialium* tum ingressum tum egressum arce: *ingressum* omnium cuiusvis generis, conditionis, *sexus,* aetatis; *egressum* omnium religiosarum post professionem, etiam ad breve tempus, quovis praetextu (can. 600, 601). Utriusque obligationis violatio *excommunicatione* plectitur. Dispensationes a lege sola Sedes Apostolica concedere potest, *exceptiones* quasdam ipsum ius continet. Revera *ingredi* permittuntur: visitator sive ordinarius sive delegatus, sed dumtaxat inspectionis causa cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eum comitetur; confessarius eiusve substitutus ad ministranda sacramenta infirmis[4] aut ad assistendum morientibus; supremi rerum publicarum moderatores, cum uxoribus et comitatu; Cardinales; medici, chirurgi aliique quorum opera sit necessaria: ad hos admittendos antistita indiget licentia saltem habituali Ordinarii loci, nisi urgens necessitas ab ea petenda vel expectanda excuset (can. 600). In quolibet casu vero, ut nullum periculum vel scandalum oriatur, adhi-

---

[1] Haec prima obligatio clausurae a C., tacite abolitis severioribus normis iuris communis hucusque saltem theoretice vigentibus, constitutionibus remittitur, est tamen vera et natura sua non levis obligatio. cf. *Piat,* I, 374 ss.

[2] can. 2342. cf. *Chelodi,* Ius poen. 77.

[3] Si divisio possibilis non est, integra domus sub clausura est ponenda, cum conventus regulares sine clausura esse nequeant.

[4] Etiam communionem quotidianam. In defectu confessarii vel cappellani, quilibet sacerdos, de licentia episcopi, ad hoc munus assumi potest. C. Rel. 30 aug. 1912 (A. IV, 625).

bendae sunt debitae *cautelae*, quae in constitutionibus propius determinantur.[1] *Egredi* possunt moniales in casu imminentis periculi mortis (ex incendio, epidemia etc.) vel alius gravissimi mali, quod periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario (can. 601). Postulantes et novitiae tenetur quidem lege clausurae, at iusta de causa ab Ordinario probata egrediuntur legitime,[2] illegitime egredientes censuram effugiunt.

d) Custos clausurae cuiuslibet monasterii monialium est Ordinarius loci, et *simul* superior regularis si huic subiectae sint. Uterque delinquentes corrigere et poenis quoque coercere potest: Ordinarius quidem tum moniales tum alios quoscumque, licet exemptos, adhibitis etiam censuris; superior dumtaxat moniales aut suos subditos (can. 603). Praeterea clausura monialium ita *circumsepta* esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum[3] (can. 602).

e) Lex clausurae completur prohibitione *accessus* ad monasteria, religiosos religiosasve invisendi causa. Quae visitationes et colloquia, praesertim in monasteriis monialium, nonnisi ex iusta causa permittenda sunt, custodes clausurae vero sedulo invigilare debent ne ex eis disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur (can. 605).

Clausura religiosorum, tum virorum tum mulierum, vetustissima quidem est, sed initio potius consuetudine quam scripta lege inducta. Extant profecto plures antiquae synodi particulares quae eam commemorant et urgent, at disciplina nec ubique eadem nec sanctione poenali munita erat. Tam in Decreto quam in Decretalibus norma iuris communis desideratur. Primus *Bonif. VIII* (c. un. in VI. 3, 16) pro *monialibus* generalem legem ingressum et egressum severe interdicentem tulit, quam Conc. Trid. (sess. XXV, c. 5 de reg.) confirmavit. Excommunicatio contra ingredientes ab eodem concilio statuta est, contra moniales egredientes a Pio V. Vetitis Tridentinis multa monasteria acriter restiterunt, et haud pauci nec leves abusus, sive ex indulgentia episcoporum qui clausurae custodes constituti erant sive ex subtilitate monialium quae semper nova effugia inveniebant, diu et late invalescebant, quibus plures Pontifices

---

[1] *Cautelae* consistunt imprimis in hoc quod ingredientem aliquae maturae aetatis moniales ubique comitentur.

[2] Contraria decisio C. Rel. 7 nov. 1916 (A. VIII, 446) non videtur a C. recepta, imo ex textu canonis directe exclusa. *Poenaliter* autem ne simpliciter professae quidem venire censendae sunt nomine monialium.

[3] Haec conditio olim rigorose exigebatur (cf. *Bizzarri*, 84), hodie necessitatibus temporum aliquid conceditur.

editis constitutionibus iterum iterumque obiam ire coacti sunt. Denique *Ben. XIV* severis et salutaribus decretis, revocatis omnibus licentiis et privilegiis contrariis, labefactam disciplinam efficaciter restauravit.[1]

Clausura *virorum* solo iure statutario ordinabatur usque ad *Pium V,* qui const. *Regularium personarum,* 24 oct. 1566, laxam disciplinam saec. XV et magis adhuc saec. XVI inolitam reformavit et generali lege, addita excommunicatione, ingressum mulierum prohibuit. At etiam sequenti aetate multiplicia privilegia contraria praetendebantur. Quae omnia *Ben. XIV* sustulit, paucis tantum exceptis, inter quae praecipuum, in favorem feminarum ex regum vel principum familiis, moderno quoque iure aliquatenus mutatum retinetur[2].

Antiquae leges nonnisi ordines respiciebant. *Congregationibus* nunc primum clausura iure communi imponitur. Attamen, quoad mulieres, iamdiu agnitum erat episcopis ius inducendi clausuram et eam censuris firmandi. *Leo XIII,* const. *Conditae,* iura episcopalia in hac re integra manere iusserat, *Normae* (art. 170 ss.) praecipuas dispositiones, quae in omnibus constitutionibus recipiendae essent, continebant.[3]

278. Clausura. II. Episcopalis. *a)* Nomen hodie non adeo proprium est ac antea, cum non iam de lege particulari sed de iure communi agatur. *Omnes* enim *congregationes* sive pontificiae sive dioecesanae, virorum et mulierum, huic clausurae subduntur. Quam episcopus, in adiunctis particularibus gravibusque intercedentibus causis, censuris munire potest, excepta religione clericali exempta, semper autem curare debet ut eadem rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii corrigere.

b) Instituta est ad instar clausurae papalis, simili modo materialiter circumscribenda est, separata ea parte domus in qua convictus vel alia opera religionis reperiuntur. *Egressum* quod attinet, constitutiones normas suppeditant, ipsum ius vero cavet ne *religiosae,* citra casum necessitatis, *singulae* extra domum pergant (can. 607);[4] *ingressus* prohibitus est in domo virorum mulieribus, feminarum viris dumtaxat. At nedum personae in clausura papali exceptae, aliae quoque hic admitti possunt, quas ex iustis et rationabilibus causis superiores admittendas censuerint (can. 604).

c) Quae de adeundis vel excipiendis extraneis et de collocutionibus cum eisdem pro regularibus statuta sunt, etiam a religiosis votorum simplicium servari oportet (can. 605, 606 § 1).

---

[1] *Hollweck,* Die kirchl. Strafgesetze, Mainz 1899, 221 ss.

[2] *Hollweck,* o. c. 228 s.

[3] *Battandier,* 287 ss.

[4] In iure antecedenti non absolute requirebatur socia *religiosa* (*Normae* 1901, art. 174) idem tenendum est iure novo.

Ad legem clausurae referri possunt etiam duo alia praescripta, quae *omnes religiosos* afficiunt: prohibitio commorandi extra domum et vetitum liberi commercii epistolaris.

a) Superiores nequeunt permittere ut subditi *extra* domum *propriae* religionis *degant,* nisi gravi et iusta de causa, veluti ad stipem quaeritandam, ad studia peragenda, ad valetudinem curandam, et in quolibet casu ad tempus quo fieri potest brevius ac servatis constitutionibus, imo pro absentia ultra sex menses, excepta causa studiorum, semper venia S. Sedis est impetranda (can. 606 § 2)

b) Prohibitio *litteras* libere *mittendi* et *recipiendi* a C. potius supponitur quam exprimitur. Revera in omnibus fere religionibus aut regula aut consuetudo est, qua haec libertas limitatur et superioribus facultas tribuitur epistolas inspicendi, easque prudenti arbitrio aut tradendi aut intercipiendi.[1] Ius commune vero *omnino liberum* vindicat commercium litterarum inter utriusque sexus religiosos et S. Sedem (can. 7), eiusdem in natione legatum, Cardinalem protectorem, proprios superiores maiores[2] vel localem forte absentem, Ordinarium loci cui subiecti sint, et pro monialibus superiorem regularem, qui in eas potestatem habeat (can. 611). Cum litterae *secreta conscientiae* continentes ab inspectione ipso iure non eximantur, tum confessarii sive religiosi sive religiosorum tum superiores in hac re necessaria discretione uti debent.[3]

279. Cultus divinus et ministerium. Status religiosus est institutus ad socialem cultum Deo exhibendum. Quare pronum erat ut vel ab initio monachi divinas laudes communiter persolvendas susciperent. Revera omnes antiqui ordines tum virorum tum monialium, exceptis militaribus, tenentur obligatione chori, ideoque dicuntur *chorales.* Inde a saec. XVI vero conditae sunt religiones (prima S. J.) in quibus haec obligatio, praesertim ut liberius sacris ministeriis sodales incumbere possint, non viget: *non chorales.* Quod item in congregationibus servatum est. Haec distinctio a C. sancitur.

a) In singulis domibus religionum choralium utriusque sexus debet quotidie *divinum officium* communiter persolvi. Quod horis canonicis, aliisque precibus quas forte constitutiones exigant, et missa conventuali consistit. Haec autem in religionibus mulierum celebrari debet «quoad fieri possit», non est igitur stricte praecepta. Obligatio urget *directe* communi-

---

[1] Etiam in *Normis 1901,* art. 179, 180, ubi superiores admonebantur ut cum discretione et caritate hoc iure uterentur.

[2] Inter quos, ex recepta praxi, recenseri posse videntur consiliarii seu definitores generales et provinciales. cf. *Battandier,* 199.

[3] Exceptio in favorem confessarii consulto omissa est, ad abusus pericula praecavenda. At vicissim libertas conscientiae non est limitanda. Unde si qui religiosus scribere vult confessario, petere quidem debet licentiam superioris, hic autem sine difficultate eam concedere debet et dein nec scriptam epistolam nec responsionem legere ei fas est. cf. *Battandier.* 244.

tatem et superiores qui curare debent ne neglegatur. Singulos *indirecte* tantum, et graviter dumtaxat si ex eorum illegitima absentia chorus haberi nequit aut alicui peculiare praeceptum est a superiore impositum.[1] Physice vel moraliter impediti *excusantur*, alios *dispensare* superiores, iure saltem communi, non valent, si excipias magistros et scholasticos (can. 589 § 2). Ipsam communitatem sola S. Sedes eximere potest, iure vero *cessat* pro ea obligatio cum in domo quattuor saltem religiosi choro obligati[2] et actu legitime non impediti non adsunt, nisi constitutiones ferant ut etiam a paucioribus officium persolvatur. *Sollemniter* professi qui a choro afuerunt debent, exceptis conversis, horas canonicas *privatim* recitare (can. 610).

b) In aliis religionibus, si quod servitium chori habetur, a solis constitutionibus pendet et ab iis quoque est obligatio dumtaxat dimetienda. Clerici in sacris vero, uti patet, iam ex alio titulo ad horas canonicas tenentur.

c) Religiosi debent clerum saecularem in *sacris ministeriis* coadiuvare. Ideo ab Ordinario vel a parochis requisiti, ut spiritualibus populi necessitatibus succurrant, libenter operam suam praestare tenentur, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica. Stricto iure Ordinarius imponere valet religiosis, etiam exemptis, brevem *evangelii* vel *doctrinae christianae* explanationem, durante missa diebus festis, in eorum ecclesiis fidelibus habendam (can. 1345), *catecheticam institutionem* populo tradendam, quoties *ipse* id necessarium iudicaverit (can. 1334)[3] et, ob causam publicam, sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra sollemnia, dummodo haec generali decreto indicat et religionis constitutiones vel privilegia non obstent (can. 612). At ad *superiores* pertinet designare subditos qui ministeriis incumbant et ea excludere quae cum religiosa disciplina componi nequeant. Vicissim Ordinarii ac parochi admonentur ut libenter utantur opera religiosorum, et prae aliis in dioecesi degentium, maxime in administrando sacramento poenitentiae (can. 608).

d) Eo magis religiosi devitare tenetur quae curae animarum *nocumentum* afferre possent. Unde functiones in propriis

---

[1] *Piat*, I, 347; *Biederl.-Führ.* 140.

[2] Qui nec novitii sunt nec conversi, sed professi, licet simpliciter. At, ex recepta sententia, obligationi communitatis satisfieri potest etiam per solos novitios.

[3] cf. C. C. litt. 31 maii 1920 (A. XII, 299).

ecclesiis ita disponant oportet ut a catechetica instructione aut evangelii explanatione in ecclesia paroeciali fideles non avertantur; utrum vero reapse nocumentum adsit necne, iudex est Ordinarius (can. 609 § 3).

e) Si ecclesia religiosorum est simul *paroecialis,* quod apud viros quidem numquam autem apud mulieres fas est, relationes inter communitatem et parochum, sive is religiosus est sive saecularis, analogice ordinandae sunt prout in paroecia quae in ecclesia capitulari est erecta.[1] Iura capituli, in casu, superior exercet (can. 609 §§ 1 et 2).

IV. DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM.

280. Universim. *a)* Ex tribus modis quibus privilegium in genere acquiri potest (can. 63) duo tantummodo religiosis pro regula suffragantur: directa concessio et praescriptio seu consuetudo, non admittitur e contra *communicatio,* nisi ab ordine regulari ad moniales *eiusdem* ordinis, sive praelato subditas sive non subditas, quatenus eorum sint capaces, at non vicissim. Quod principium post C. omnibus privilegiis applicatur: unde quaelibet religio iis tantum gaudet, quae vel in ipso C. continentur vel a Sede Apostolica *directe* eidem concessa fuerint, non vero privilegiis communicatis etiam superiore aetate (can. 613).

b) Praecipua privilegia quae ius commune *omnibus* religiosis concedit sunt privilegia *clericalia,* idest canonis, fori, immunitatis et competentiae.[2] Iis fruuntur cuncti, laici quoque et novitii, viri et mulieres, eodem modo et sub iisdem conditionibus ac clerici saeculares (can. 614).

Can. 613 ingenue legenti sensus verborum perspicuus elucet. Unde vix probabile videtur eumdem admittere duplicem interpretationem *litteralem.*[3] Et reapse qui aliam ac nostram tuentur, praecipue ad mentem legislatoris et ad principia iuris generalia confugiunt. Sunt tamen iam plures, qui privilegia hucusque per communicationem religionibus acquisita sarta tecta vellent.[4] Quod tamen ex textu legis, nedum deduci nequit, positive excluditur. Enumeratio § 1 est *taxativa* («tantum»), clausula «exclusa in posterum etc.» limitari non potest ad futuras communicationes, tum quia contradiceret praecedentibus verbis tum quia ipsa latinitas id prohi-

---

[1] can. 415, vide supra n. 210.

[2] can. 119-123, vide supra nn. 110-112.

[3] Contra *Vermeersch,* Epit. 615.

[4] *Vermeersch,* l. c.; *Fanfani,* 277 aliique (Prümmer, Brandys, Augustine, Ortega, Villada, Naval etc.).

bet, [1] exceptio § 2 idem confirmat nam in tempore praesenti («competunt») expressa quoad hoc superflua et quoad futurum aliter scribenda esset. Nec obiicere valet ex can. 4 privilegia integra manere, quae explicite non revocentur. Eiusmodi revocatio enim in can. 615 non desideratur. Rationes opportunitatis vel utilitatis denique sunt ab extrinseco et iuridice nihili referunt cum agitur de lege lata.[2]

Acquisitio per praescriptionem e contra non videtur exclusa. Etenim si de centenaria vel immemorabili res sit, praesumptio iuris habetur directae concessionis; at ordinaria quoque cum iuri communi innitatur nec clare religionibus sit interdicta, ad directam, licet implicitam, concessionem non inepte reducitur.[3]

281. Exemptio. Maximi momenti privilegium est *exemptio*, quae hic definiri potest «libertas ab iurisdictione episcopi»[4] *Passiva* est ac in specie *infima*, directe et immediate *personalis* et mediate tantum *mixta*, quatenus ratione personarum se extendit ad earum domus et ecclesias, non ita tamen ut haec loca extra territorium dioecesis censenda sint.[5] Aliqua independentia omnes religiones fruuntur, minima quae iuris dioecesani sunt, maiore quae iuris pontificii, maxima ordines iisque aequiparatae. Quare subinde distinguitur exemptio *totalis* et *partialis*. At proprie hoc nomine illa tantum in iure venit.

a) Iure communi exemptio competit utriusque sexus *regularibus*, non exclusis novitiis, at exceptis iis monialibus quae praelato regulari non subsunt, eaque sese extendit etiam ad eorum domus et ecclesias. Quoad hos igitur exemptio possidet et exceptio est probanda, quapropter Ordinarius iurisdictionem exercere potest tantummodo in casibus a iure expressis (can. 615). Quinam ii sint, suis locis indicatur.[6] Quibus

---

[1] In altera sententia enim dicendum fuisset «exclusa qualibet in posterum communicatione».

[2] Privilegia communicata non admittunt: *Biederl.-Führ.* 145; *Leitner*, 427; *Blat*, 601 s. ME XXX, 194 et 366 ubi notitia traditur applicationem can. 613 esse suspensam donec C. Rel. revisionem privilegiorum cuiusque religionis perfecerit.

[3] cf. *Biederl.-Führ.* l. c.

[4] De exemptione in genere vide supra n. 198.

[5] Contraria sententia, ex qua omnes qui in ecclesia vel monasterio actu inveniantur essent extra dioecesim, nullum fundamentum habet in moderno iure et notioni exemptionis regularium contradicit (cf. C. S. 13 mart. 1910 ad 8, A. II, 193). Tamen aliqui auctores etiam post C. hanc sententiam defendunt eamque legibus, censuris etc. applicant.

[6] can. 106 n. 6, 131 § 3, 295, 296, 297, 298, 307, 337 § 1, 358 § 1 n. 8 et § 2, 454 § 5, 456, 480 § 2, 497, 501 § 2, 506 § 2, 512 § 1 n. 1 et § 2 nn. 1 et 2, 533 § 1 n. 4, 535 § 1, 552 § 1, 603 § 1, 609 § 3, 612, 621, 630, 631, 643 § 2, 686 § 3, 698 § 1, 703 §§ 2 et 3, 792, 804 § 3, 831 § 3, 874 § 1, 876, 919 § 1, 965, 996, 997, 1155 § 1, 1157, 1162 § 4, 1169 § 5, 1259 § 1, 1261 § 2, 1265 § 1 n. 2, 1274 § 1, 1279 § 1, 1283 § 1, 1291, 1303 § 3, 1334, 1336, 1338 §§ 2 et 3, 1343 §§ 1 et 2, 1349 § 2,

generalibus exceptionibus peculiares casus accedunt: regularis *extra* domum *illegitime* degens, etiam sub praetextu adeundi superiores, exemptione non guadet; qui *extra* domum *deliquerit*, etsi legitime exierit et domum reversus fuerit, si a proprio superiore praemonito non puniatur, a loci Ordinario puniri potest (can. 616); domus regularis *non formata* manet sub peculiari vigilantia Ordinarii, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere. In domibus formatis vel earum ecclesiis si quid simile contigerit, Ordinarius procedere nequit, tenetur autem superiores *monere*, ut remediis prospiciant, et si ii suum officium neglexerint, rem statim ad Sedem Apostolicam *deferre* (can. 617).

b) Congregationes iuris pontificii ex iure exemptionis privilegio non gaudent, ideoque si qua eam sibi competere affirmet, onus habet probandi. Constat tamen nonnullas, ex speciali concessione, privilegium ad instar ordinum obtinuisse.[1] Omnes tamen congregationes iuris pontificii, etsi in eorum alumnos Ordinarii loci integra manet potestas legifera, iudicialis et coactiva, ampla fruuntur libertate in toto regimine interno, adeo ut ab hoc fere omnino excludant episcopi auctoritatem. Revera is *nullatenus valet:* constitutiones immutare, licet nondum definite approbatas, de re oeconomica cognoscere, in regimen internum ac disciplinam sese ingerere. At in iis omnibus in quibus vel exempti ei subduntur, a fortiori non exempti; insuper quoad hos alios casus ius recenset;[2] denique in religionibus *laicalibus* ipse potest et debet inquirere num disciplina vigeat, sana doctrina morumve probitas intacta servetur, clausura custodiatur, sacramenta debita frequentia suscipiantur; de gravibus *abusibus* superiores admonere, si ii non provideant ipse consulere, in rebus quae moram non patiuntur statim, delato postea decreto ad S. Sedem (can. 618).

c) Congregationes *iuris dioecesani* sunt quidem Ordinariorum *iurisdictioni* plane subiectae, sed *ad normam iuris* (can. 492 § 2), quae clausula secumfert ut ab illorum arbitrio non prorsus pendeant sed tum universim qua personae mo-

---

1355 n. 1, 1356 § 1, 1382, 1385 § 2, 1386, 1388, 1406 § 1 n. 7, 1425 §§ 1 et 2, 1505, 1516 § 3, 1579 § 3, 2269 § 2. cf. *Bondini*, De privilegio exemptionis, Romae 1919; *Biederl.-Führ.* 153 ss.; *Leitner*, 430 ss.

[1] Congregatio SS. Redemptoris, Congr. Passionistarum.

[2] can. 498, 512 § 1 nn. 2 et 3, 535 § 2.

rales legitime constitutae tum peculiariter qua sodalitates religiosae ea independentia fruantur, quae iure communi sancitur.

d) In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eo etiam *poenis*[1] coerceri (can. 619), eo magis ad eius forum vocari.[2] Exemptio vero non obstat quominus *indulto* generali Ordinarii utantur, quo concesso obligatio legis *communis* cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, non autem obligatio *specialis* ex votis vel constitutionibus propriis (can. 620).

282. Historica evolutio. Initio religiosi omnimode episcopis subdebantur.[3] Quod diserte confirmatum est a *Conc. Chalced.* 451 cc. 4, 8[4] et diu in Ecclesia tum orientali tum occidentali commune ius fuit. At in monachos non maior iurisdictio quam in reliquos fideles episcopo agnoscebatur; «a conditione clericorum» eos liberos esse, non licere episcopis pro lubitu eis onera vel molestias inferre, plures synodi saec. V-VI declaraverunt.[5] Cum autem conflictus haud raro exurgerent, saec. VI et VII aliquam libertatem, praecipue in electione abbatis et in administratione bonorum, monasteria sibi tutam reddere studuerunt per *privilegia* ab ipsis episcopis obtenta.[6] His accesserunt *diplomata protectionis* regum et R. Pontificum,[7] eo fine praesertim impetrata ut validior haberetur tutela iurium iam aliunde quaesitorum.[8]

Sed haec nondum exemptio erat, nam, ut aperte ostendunt epistolae Greg. M. qui protectionem Sedis Apostolicae pluribus monasteriis concessit, nullatenus mens erat ea legitimae iurisdictioni episcopali subtrahere.[9] Rarissima exempla *verae exemptionis* occurrunt intra saec. VII-X; primum monasterium *Bobiense* 628 ab Honorio I obtinuit ut uni Rom. Ecclesiae esset obnoxium, idem privilegium aliis nonnullis deinde concessum,[10]

---

[1] *Mendicantes* speciale habent privilegium quo immunes sunt a *censuris* Ordinarii. Quod tamen eos non tuetur contra alias poenas.

[2] cf. R. 15 nov. 1916 (A. X, 256).

[3] cf. *Schiwietz,* Pachomianische Klöster im IV Iahrh. in AK LXXXII (1902) 454.

[4] c. 12, C. 16, q. 1 et c. 10, C. 18, q. 2.

[5] conc. Arelat. III, 455; conc. Carthag. 535. cf. *Hüfner,* Das Rechtsinstitut der klösterl. Exemption in der abendländ. Kirche in AK LXXXVI (1906) 305 s.

[6] Quae supersunt recenset *Hüfner,* 309.

[7] Primum exemplum diploma P. Vigilii (537-555) pro monasterio Montis maioris in urbe Arelatensi (550 ?).

[8] Protectio regalis vel pontificia multipliciter in relatione est cum germanico iure «ecclesiae propriae». Idem principium enim quod ecclesiis applicabatur etiam monasteriis *(Eigenklosterwesen,* vide supra n. 145). Iamvero tutela supremae auctoritatis quaerebatur *aut* ut iura quae dominus fundi remittebat ab aliis (episcopis) non usurparentur, *aut* ne episcopi, qui saepe eodem iure in terris vel ecclesiis monasterii potiebantur, eo abuterentur in ipsius damnum.

[9] *Hüfner,* 315 ss. *Blumenstock,* Der päpstl. Schutz in Mittelalter, Innsbruck 1890, 30, 92 ss.; *Idem* Schutz u. Zins in AK LXXIV 216 ss.; *Fabre,* Étude sur le liber censuum, Paris 1892, 88 ss. 94.

[10] Historice constat omnia reliqua diplomata recentiora esse quam Bobiense, ideo saec. VI nullam exemptionem indultam.

at ob singulares et extraordinarias causas, dum aliorum omnium iuridica conditio immutata manebat. Sequentibus saeculis vero, praesertim tempore Pontificum reformatorum, late invaluit institutum *traditionis* monasteriorum S. Petro *(commendatio,* monasteria *commendata)* per quam peculiaris tutela Sedis Apostolicae acquirebatur *(libertas Romana);* haec initio quidem nondum completam exemptionem conferebat,[1] sed sensim, episcopis frustra obsistentibus, monachi illam sibi comparare valuerunt, adeo ut saec. XI exeunte iam regula esset ut, nedum singula monasteria, integrae congregationes (Cluniacensis 1088, Vallumbrosana 1090) ea gauderent.

Evolutio deinde ulterius progressa: ordines militares amplissimam, mendicantes vix non illimitatam exemptionem assecuti sunt.[2] Quod sane magnis quoque incommodis, abusibus et dissidiis per saecula inter clerum saecularem et regularem productis ansam dedit. Utrimque multum peccatum est; regulares ultra terminos concessionum sua privilegia ita extendere conabantur ut etiam iura legitima episcoporum et parochorum everterent, ii regularibus infensi erant praecipue ob pecuniarias rationes et ab iniustis vexationibus non abhorrebant. R. Pontifices inter utramque partem media via incedere studebant, cum nec querelas praelatorum, perpetuo etiam in synodis prolatas,[3] prorsus negligere, nec religiosos qui de Ecclesia optime merebantur derelinquere possent. Usque ad Bonif. VIII potius regularibus faverunt, quorum privilegia in dies aucta sunt, inde ab hoc *Pontifice* vero, qui primus exemptionem limitavit, etiam decreta in favorem episcoporum et parochorum identidem lata sunt.[4] At Sixtus IV iterum regulares amplissimis privilegiis cumulavit *(Mare magnum,* 31 aug. 1474 pro minoribus, deinde omnes mendicantes et aliae religiones suum «mare magnum» habuerunt); tempora tamen et conditiones ipsorum ordinum aliud exigebant, quare iam Conc. Lat. V, maxime autem *Conc. Trid.* exemptioni regularium modum et temperamentum posuit, restituta in pluribus ordinaria episcoporum potestate, et multo maiore eis concessa «tamquam Ap. Sedis delegatis». C. exemptionem ulterius limitavit, at vicissim internum regimen etiam in congregationibus iuris pontificii, praesertim clericalibus, plane liberum esse sanxit.

283. Quaestuatio. Sensu proprio stipem *quaeritare* dicuntur qui aut ostiatim aut apud plures uti beneficos et liberales praesumptos eam *personaliter* petunt, non vero qui sponte oblatas eleemosynas accipiunt aut *per litteras* ad benefactores recurrunt aut etiam unum alterumve adeunt. Haec

---

[1] cf. *Scherer,* II, 740. In commendatione saepe parvus *census* solvendus statuebatur, qui tamen nec semper adest, nec certum signum exemptionis est. Inde a saec. XII multa monasteria obtinent tutelam sine commendatione.

[2] *Hüfner,* l. c. LXXXVII (1907) 270 ss. 462 ss.

[3] Conc. Lugd. II 1274; Conc. Vienn. 1311-12; conc. Constant. 1414-1418, praeter plurimas synodos particulares.

[4] *Hüfner,* l. c. 599 ss.

altera forma prohibita non est, vera quaestuatio autem nonnisi ex *privilegio* permittitur, cui accedat necesse est *licentia* Ordinarii loci ubi stipes colligitur.

a) Privilegium habent iure communi regulares qui *mendicantes* et vocantur et *actu sunt*, qui igitur etiamnunc bona immobilia vel certos reditus ne in communi quidem possident.[1] Hi, eo ipso quod assentiente episcopo domus in dioecesi erecta est, eleemosynas quaerere valent de sola superiorum suorum licentia, tum ad quotidianum victum tum ad alios fines *proprios;*[2] in aliis dioecesibus vero indigent *licentia scripta* Ordinariorum, qui, si finitimi, tantummodo ex gravibus et urgentibus causis eam denegare vel revocare possunt, cum religiosa domus sola mendicatione in sua dioecesi vivere nequit (can. 621).

b) Religiosi *congregationis iuris pontificii* opus habent, ut stipem colligant, peculiari privilegio S. Sedis et licentia scripta Ordinarii loci, nisi aliter in privilegio cautum sit. Religiosi *iuris dioecesani* licentia in scriptis tum Ordinarii loci in quo sita est eorum domus tum Ordinarii loci in quo mendicare cupiunt. Licentiae non sunt facile concedendae, praesertim ubi veri mendicantes conventus habent. Ordinarius videre debet num vera necessitas quaestuationem imponat, eamque permittere dumtaxat si nullum aliud medium adsit et intra illos limites territoriales qui sufficientes videntur.

c) Authenticum et recens documentum Congr. pro Ecclesia orientali requiritur ut *orientalis* in dioecesibus latinis, latinus in orientalibus pecunias colligere queat. Alii cuiusvis dignitatis et ordinis sunt respuendi (can. 622).

d) Ad stipem colligendam *professi* tantum, aetate animoque maturi, maxime si de mulieribus agitur, numquam vero studentes mittendi sunt (can. 623). Ceterum quoad modum servandum et disciplinam a quaestuantibus custodiendam, standum est *instructionibus* S. Sedis (can. 624). Interim valent quae nuper tum mulieribus tum viris datae sunt;[3] hae disponunt ut bini pro regula quaestuantes incedant, apud religiosas vel pias domus noctu se recipiant, exercitia pietatis

---

[1] C. I. 16 oct. 1919 (*A.* XI, 476).

[2] C. I. dec. cit. ad secundam partem.

[3] C. Ep. et Reg. decr. *Singulari* 27 mart. 1896 (AS XXVIII, 555); C. Rel. decr. *De eleemosynis* 21 nov. 1908 (A. I, 153). Quae tamen non in omnibus punctis sustinentur, sed dumtaxat quatenus *modum* et *disciplinam* ordinant.

et sacramenta non neglegant, non ultra mensem si in dioecesi, non ultra bimestre si extra dioecesim, absentes maneant, pericula caveant, religiosas virtutes praeseferant. Ordinarii peculiari attentione in eos invigilare debent et si deliquerint vel haud recte egerint opportune providere sive per se sive per superiores.

Privilegia abbatum. Abbates *regulares, de regimine* i. e. non mere titulares, *benedicti* iure pollent conferendi tonsuram et ordines minores suis subditis saltem ratione professionis simplicis (can. 964 n. 1), ubique deferendi crucem pectoralem et anulum gemmatum, in suo territorio vero utendi insignibus pontificalibus cum throno et baldachino et officia divina pontificali ritu celebrandi (can. 325). Pileolum violaceum eis non permittitur. *Benedictio* autem est conditio necessaria (in ordinatione ad valorem actus, nisi sint episcopi) et intra *tres menses* ab electione accipienda est ab episcopo dioecesis in qua situm monasterium (can. 625), impetrato in hunc finem speciali *mandato apostolico,* nisi ex aliis privilegiis hae limitationes sint sublatae.[1]

284. Dignitates et officia ecclesiastica, pro regula, aliena sunt a vita religiosa et clero saeculari destinata. Ideo ad haec vel ad beneficia religiosus *promoveri nequit* sine Apostolicae Sedis auctoritate, exceptis iis officiis quae cum statu religioso componi possunt, v. c. censoris librorum, examinatoris syn. professoris, etiam vicarii generalis in dioecesi religioni concredita (can. 367 § 2).[2] Si quis autem *eligatur* ab aliquo collegio, puta in episcopum, nequit electioni assentiri sine licentia superioris, et si voto tenetur non acceptandi dignitates, dispensatione indiget S. Pontificis (can. 626). His generalibus principiis peculiares quaedam normae accedunt de cardinali, episcopo, parocho religioso.

a) Religiosus, *cardinalis* vel *episcopus* etiam titularis renuntiatus, manet religiosus quoad privilegia, vota, obligationes: at voto *obedientiae* uni R. Pontifici obnoxius, a superiorum potestate vero plene exemptus,[3] voto *paupertatis* ceterisque professionis obligationibus eatenus adstrictus quatenus

---

[1] *Ben. XV,* breve 29 iun. 1921 (A. XIII, 416) quo haec doctrina confirmatur, sed in favorem abbatum O. S. B. conceditur semel pro semper *generale mandatum* omnibus episcopis, et indulgetur ut dioecesano absente vel impedito vel permittente, a quolibet episcopo benedictio accipi queat.

[2] cf. can. 1411 n. 2, 1442. Praemonstratenses ex privilegio *paroeciis* (sed iis tantum) saecularibus praefici possunt. cf. *Biederl.-Führ.* 158.

[3] *Vermeersch,* Epit. 631 testatur in audientia SS.i die 2 dec. 1920 declaratum esse, idem valere quoque, durante munere, de praefecto apostolico.

cum sua dignitate conveniant, cuius rei ipse iudex constituitur (can. 627).[1] Unde qui per professionem dominium bonorum amisit, exinde usum, usumfructum et administrationem habet eorum quae ipsi obveniunt; *proprietatem* autem si episcopus, vicarius vel praefectus apostolicus est acquirit dioecesi vel quasi-dioecesi, si in alia dignitate ordini vel S. Sedi,[2] si cardinalis reditus beneficiales sine limitatione suos facit (can. 239 § 1 n. 19). Qui ex professione incapax possidendi non est, bonorum quae habebat recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniunt sibi plene acquirit. At planum est de solis bonis intuitu personae obtentis haec valere, de reliquis, diversa intentione oblatis, disponendum est secundum offerentium voluntatem (can. 628).

Dimisso cardinalatu vel episcopatu vel expleto alio munere extra religionem ei commisso, religiosus ad suos *redire* tenetur; cardinalis et episcopus conventum quem maluerit eligere potest ubi degat, sed caret voce activa et passiva (can. 629).[3]

b) Religiosus *parochus* duplicem induit personam et utriusque adimplere tenetur officia, qua religiosus superioribus qua parochus Ordinario obnoxius. Quoad hoc nihil refert utrum paroecia sit religioni incorporata an non incorporata, utrum ipse titulo parochi an vicarii eam regat, utrum ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores superiores resident necne.[4] Manet igitur adstrictus ad observantiam *votorum* et *constitutionum* at simul totam *curam animarum* gerere debet (can. 464 § 1, 471 § 1); si quando inter diversa officia conflictus oriatur, *praevalent paroecialia.* In iis quae ad religiosam disciplinam attinent *subest* omnino et *privative superiori,* qui ex hoc capite in eum invigilare, inquirere, si casus ferat corrigere, denique removere potest, nulla reddita Ordinario ratione (can. 454 § 5). In reliquis omnibus religiosus,

---

[1] Regulares qui peculiarem *habitum* habent in vestibus praelatitiis vel cardinalitiis eiusdem vel similem colorem servant, omnes tamen gestant rubrum vel violaceum pileolum et biretum.

[2] Prout ordo capax est possidendi vel incapax, can. 582.

[3] Ius hanc privationem non extendit ad religiosos qui *actu* cardinales vel episcopi sunt, quamvis paritas rationis quibusdam id suadere videatur. Deficiente iure, eorum prudentiae remittitur ne in electionibus pondere suae auctoritatis alios opprimant. cf. *Vermeersch,* Epit. 631.

[4] His verbis abrogatum est antiquum privilegium exemptionis, quo paroeciae regulares in sede superiorum maiorum fruebantur. *Biederl.-Führ.* 160,

non secus ac parochi saeculares, *subest* omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni *Ordinarii loci,* qui ubi eum suo muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest; qua in facultate habet quidem ius *cumulativum* cum Ordinario superior, ita tamen ut si utriusque decreta componi nequeant, potius sit decretum Ordinarii. Qui item religiosum, suo prudenti arbitrio, monito dumtaxat superiore sed nullo impetrato consensu, removere potest.

Bona temporalia quae parocho religioso intuitu paroeciae dantur, ad hanc spectant, sub auctoritate Ordinarii administranda sunt ac de eisdem ei ratio reddenda (can. 533 § 1, n. 4, 535 § 3 n. 2); cetera acquirit ut religiosus eorumque proprietas secundum communes normas aestimanda est (can. 580, 582). *Eleemosynas* pro pauperibus, pro scholis, pro locis vel operibus piis paroeciae ipse accipere, colligere administrare, recte impendere potest, salva vigilantia superioris et Ordinarii; eleemosynas vero pro *ecclesia* paroeciali aedificanda, conservanda, exornanda accipere, retinere et administrare pertinet ad *superiores* si ecclesia religionis est, secus ad *Ordinarium,* qui sane potest parochum ad hoc munus delegare (can. 630, 631).

Cetera quae dicenda erant de officio parochi religiosi iam suis locis praeoccupata sunt.[1]

V. DE EGRESSU E RELIGIONE.

285. Transitus. Egredi quis potest e religione pluribus modis: per transitum ad aliam, per egressum proprie dictum, legitimum vel illegitimum, per dimissionem. De singulis dicendum.

a) Transitus actu professi[2] in una religione ad alteram, etiam strictiorem, abolita antiqua disciplina quatenus eum permittebat,[3] est universim *prohibitus,* quare fieri potest

---

[1] Vide supra nn. 210, 222 ss. 279 e.

[2] Nec novitii nec qui olim professi fuerunt *transitus* capaces sunt, ex ipsa instituti notione. Hi possunt dumtaxat petere ut in novam religionem *admittantur,* sicuti ceteri et servato ordine iuris (cf. can. 542 n. 1, 544 § 3). Imo hucusque soli *regulares* transibant, alumni *congregationum* a suis votis dispensabantur, ut novam religionem ingredi possent. Hodie omnium religionum *par* est *conditio.*

[3] Ius amplectendi religionem *arctiorem,* multis privilegiis iam valde limitatum et vix non abolitum. Quod ius erat positivum (ex c. 18, X. 3, 31 et consuetudine), non enim admittere possumus in religioso ius *naturale, inalienabile* transeundi ad religionem perfectiorem,

tantummodo de licentia Apostolicae Sedis [1] (can. 632). Transiens quivis in nova religione *novitiatum* peragere debet; quo expleto si nulla vota perpetua emiserat, ordinarium curriculum aliorum tironum percurrit; si iam antecedenter in perpetuum professus erat et nova religio item vota perpetua habet, statim ad eorum nuncupationem admittendus est. Superior tamen potest eum diutius probare, sed non ultra annum post novitiatum. Ad professionem non admissus vel accedere nolens ad pristinam religionem redire tenetur, nisi interim votorum tempus exspiraverit (can. 633, 634). Reversus ad suos in eadem conditione est ac si numquam discessisset.

b) Durante novitiatu *vota* integra manent, imo vi voti obedientiae religiosus tenetur obedire superioribus novae religionis et magistro novitiorum; *iura* et *obligationes* particulares derelictae religionis suspensa sunt (can. 633 § 1). Edita nova professione solvitur antiquum vinculum et novum contrahitur, unde omnia vetera iura et obligationes cessant, nova alterius religionis suscipiuntur (can. 635 n. 1). Votis *sollemnibus* in ordine nuncupatis ab eo qui ad congregationem transit sufficiuntur ipso iure nova simplicia emissa, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur (can. 636). *Bona* quae ratione religiosi pristina sodalitas iam *sibi* acquisivit retinet,[2] reliqua et peculiariter dos tradenda sunt novae religioni secundum normas alibi expositas.[3]

A transitu ad *aliam* religionem iuridice plane differt transitus a monasterio *sui iuris* ad alterum *eiusdem* ordinis. Huic tantummodo obstat specialis stabilitas, cui eiusmodi religiosi obligantur et vinculum quod cum unico monasterio in professione inierunt. Unde ut transitus,

---

ut quidam voluerunt et adhuc volunt *(Goyeneche,* De transitu ad aliam religionem in *Comment.* I, 218, 221). Nam primum nemo prohibetur, si velit, vel ad summum perfectionis gradum in *propria* religione tendere, dein ubi ius naturale consistit si omnes religiones singulae institutionis *ecclesiasticae* sunt et quolibet momento a suprema auctoritate supprimi possunt? Evolutio iuridica ea fuit ut legislatio et iurisprudentia esset transitui semper magis adversa.

[1] Sine exceptione. — *Vermeersch,* Epit. 635 provocat ad privilegia quae habeant superiores permittendi transitum sua auctoritate. Attamen si agitur de transitu ad religionem strictiorem vel aequalem *nunc primum* habemus ius commune prohibens, ideoque de antiquis privilegiis contrariis sermo esse non potest, si de transitu ad laxiorem (privilegium Praep. S. J.) ex aliis rationibus ei locus non est. cf. *Goyeneche,* l. c. 299 s.

[2] In C. non definite solvitur antiqua controversia utri religioni bona regulari durante novitiatu obvenientia cedant. Verba huius can. in relatione ad principia generalia considerata et cum nullibi contraria dispositio firmetur, suadere videntur ut bona competant priori religioni, cui usque ad professionem ipse manet devictus. Alii contrarium deducere volunt ex can. 633 § 1, ubi tamen de *suspensione* iurium et obligationum *religiosi* et in alio contextu sermo est. cf. *Goyeneche,* l. c. II, 143 s. *Piat,* I, 197 s.

[3] Vide supra n. 267.

non quidem ad certum incertumve tempus sed stabili modo et per formalem aggregationem, legitime fiat, requiritur *indultum apostolicum* (can. 632), at nec novitiatus est peragendus nec nova professio emittenda (can. 633 § 3), nam iam primo die perfectus est. Effectus vero quoad iura, obligationes et bona iidem sunt ac in transitu veri nominis (can. 635).

286. Egressus legitimus. Triplici ratione fit: libere expleto tempore, per exclaustrationem, per saecularizationem.

a) Lapso tempore votorum temporariorum, omnis obligatio *iuridica* ex professione tum in religione tum in religioso cessat: ideo *hic* libere religionem deserere potest, *illa* eum ad nova vota non admittere ob iustas et rationabiles causas, exclusa infirmitate, nisi *certo* probetur eam iam ante professionem extitisse et *dolose* reticitam aut dissimulatam fuisse (can. 637).

b) Exclaustratio est indultum manendi extra claustra *ad tempus* definitum vel indefinitum, cum *partiali* relaxatione vinculi ad religionem. Non est igitur simplex licentia degendi extra domum, integra omnino conditione religiosi (can. 606 § 2). Etenim exclaustratus manet quidem obstrictus *votis* ceterisque suae *professionis obligationibus*, quae cum suo statu componi possunt,[1] est igitur adhuc religiosus, nequit tamen habitum deferre, caret voce activa et passiva, eximitur a dependentia erga superiores, et vicissim subditur etiam ex *voto obedientiae* Ordinario territorii ubi commoratur; privilegiis mere spiritualibus suae religionis (itemque privilegiis clericalibus) gaudere pergit (can. 639). Indultum in religionibus *iuris pontificii* sola Sedes Apostolica dare potest et ab ea datum descriptos effectus ipso iure communi exerit;[2] in religionibus *iuris dioecesani* exclaustrationem indulgere valet *etiam* loci Ordinarius, qui eamdem vim iuridicam ei tribuens tuto procedet (can. 638).

c) Saecularizatio est indultum manendi extra claustra in *perpetuum*, cum *plena* et *absoluta* relaxatione vinculi ad religionem (can. 638). Saecularizatus igitur non est amplius

---

[1] Ut puta qui in religione sollemniter professus ad chorum tenebatur, debet privatum officium recitare (can. 610 § 3), votum paupertatis e contra nonnisi cum multis limitationibus ab eo servari potest.

[2] In quo indulto etiam dispositio circa *exercitium ministerii* ex parte religiosi in sacris qui dioecesim amisit contineri potest. Hoc deficiente autem eiusmodi religiosus in eadem conditione esse videtur ac saecularizatus, nequit tamen incardinari, cum adhuc suae religioni maneat adscriptus.

religiosus, a *votis* ex toto liber fit ipso iure,[1] nulla adstringitur obligatione ex regulis vel constitutionibus. Habitum religiosum deponere tenetur, in missa, horis canonicis, usu et dispensatione sacramentorum saecularibus, clericis vel laicis pro diversitate casus, assimilatur. Si clericus *in sacris* est debet ad propriam dioecesim redire, si eam adhuc habet, secus sibi episcopum benevolum receptorem quaerere, interim ordines exercere nequit (can. 641).[2] Ingrediendae rursus religioni inhabilis est (can. 542 n. 1); si ex dispensatione pontificia sive in pristinam suam sive in aliam recipiatur, novitiatum et professionem instaurare tenetur et ab hac demum, quoad omnes iuridicos effectus, tempus eius vitae religiosae supputatur (can. 640).

Indultum saecularizationis religiosis iuris *pontificii* una S. Sedes, religiosis iuris *dioecesani* etiam Ordinarius concedere potest (can. 638). Utriusque autem par est vis et effectus, etiam quoad vota.

d) Qui religionem aut sponte aut dimissi aut saecularizati egrediuntur nihil ab ea repetere possunt ex iis bonis quae religio, secundum ius, ipsorum opera sibi *iam* acquisivit (can. 580 § 2, 582). At professus simpliciter omnia bona quorum dominium radicale servaverat, recuperat. Et tum hic tum regularis deinde sibi acquirit. Cuilibet religiosae integra dos est restituenda (can. 551 § 1). Si qua autem sine dote recepta erat, nihil quidem ex *iustitia* ei debetur, sed ex *caritate, aequitate* atque nunc ex *legis praescripto* (can. 643 § 2) tenetur religio illi, si ex propriis bonis sibimet providere nequeat, tantum dare quo domum tuto et convenienter regredi et per aliquod tempus honeste vivere possit. Pecuniae summa mutuo consensu est determinanda, partibus vero dissentientibus ab Ordinario loci. *Exclaustratus*, cum adhuc religiosus sit, non eximitur quoad acquisitionem et dispositionem bonorum a normis iuris, pro natura sui voti paupertatis, eisdemque

---

[1] In hoc est *notabilis innovatio* iuris antiqui. Hucusque saecularizatio non concedebatur pro regula nisi *firmis votis*, nec saecularizatus censebatur prorsus a statu religioso excidisse, imo manebat regularis quamvis a sua peculiari religione separatus. Universim vero haec materia non erat legislative definita, sed in quolibet casu rescriptum pontificium consulendum. Professis simpliciter saecularizatio non concedebatur, sed dispensatio a votis. cf. *Piat*, I, 184 ss.; *Wernz*, II, 677 s.

[2] Vide supra n. 108. De minorista saecularizato *Leitner*, 454 affirmat eum ipso facto reduci ad statum laicalem. Quod forte, ex analogia can. 648 et 659 § 2, de hoc admitti potest, non autem, uti videtur, de libere egresso cessantibus votis. cf. supra p. 175 not. 1.

uti valet dumtaxat ad vitae necessitates, ideo etiam saltem si in gravem indigentiam veniat a religione ei est subveniendum.[1]

187. Interdicta. Ne religiosi spe honoris vel emolumenti in saeculo ad deserendum suum vitae institutum alliciantur, ius eos egressos a pluribus officiis et beneficiis *interdicit*, non ita quidem ut ad ea inhabiles sint, sed ut ea *licite* assequi nequeant, sine speciali indulto Sedis Apostolicae. Quae sunt:

a) quodlibet beneficium in basilicis maioribus (Urbis) vel minoribus[2] et in ecclesiis cathedralibus;

b) quodlibet magisterium et officium in seminariis maioribus et minoribus seu collegiis in quibus clerici educantur, in universitatibus catholicis aliisque institutis, quae ex privilegio apostolico conferunt gradus academicos;

c) quodcumque officium vel munus in curiis episcopalibus et in quolibet religiosa domo, etiam iuris dioecesani.[3]

Hae prohibitiones afficiunt *omnes* ad saeculum regressos, sive post sive ante C. promulgationem,[4] idest imprimis saecularizatos, deinde ex paritate rationis exclaustratos, denique ex explicita dispositione etiam eos qui per *sex* integros *annos* legati fuerunt votis temporariis vel iuramento perseverantiae vel peculiari aliqua promissione ad normam earum constitutionum *et* ab hoc vinculo per *dispensationem* (etiam implicitam in dimissione, can. 648) liberati sunt (can. 642). Non afficiunt autem eos qui expleto votorum tempore exierunt.

Exclaustratos a prohibitione immunes quidam volunt.[5] Sed non probatur. Ipsi quoque sunt ad saeculum regressi et eadem ratio, imo forte maior (ne scilicet a reditu in religionem avertantur) urget. Nec allegatio can. 641 in can. 642 § 1 aliquid evincit; non enim agit ille canon de solis saecularizatis. Ceterum haec dispositio fere totidem verbis refert ius inductum per decr. C. Rel. 15 iun. 1909 et 5 apr. 1910 (A. I, 523; II. 232) quae respiciebant saecularizationem *tum* in perpetuum *tum* ad tempus, est igitur locus can. 6 n. 2.

---

[1] Huic sententiae subscribit etiam *Leitner* 457, contradicit *Vermeersch*, Epit. 641.

[2] Satis notum est his ultimis annis plurimas ecclesias, ubique terrarum, titulo basilicae minoris decoratas esse.

[3] Ideo ii ne confessarii quidem religiosarum nominari possunt.

[4] C. I. 24 nov. 1920 (A. XII, 573).

[5] *Vermeersch*, Epit. 641 qui etiam Prümmer pro se affert. Contra *Leitner*, 456; *Fanfani*, 378, qui tamen n. 375 non clare exprimit professos vota temporaria per sexennium prohibitione affici *tantummodo* si ab iisdem fuerint dispensati.

288. Egressus illegitimus. Duplex distinguitur; *apostasia* et *fuga,* utrumque est delictum, poenis canonicis latae et ferendae sententiae obnoxium.[1]

a) Apostata a religione dicitur professus a votis *perpetuis*, sive sollemnibus sive simplicibus,[2] qui a domo religiosa *aut* illegitime egreditur cum animo non redeundi, *aut* legitime egressus non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat. *Fugitivus* est qui, sine superiorum licentia, domum religiosam deserit, non quidem ad brevem horam, sed per notabile tempus,[3] cum animo tamen ad religionem *redeundi.* Utrum igitur quis apostata an fugitivus sit, ex intentione pendet. Quae aut aperta est aut dubia. In altero casu *praesumptio iuris,* quae profecto contrariam probationem admittit, adest religiosum animum apostatandi habuisse si intra *mensem*[4] nec reversus fuerit nec superiori propositum redeundi manifestaverit (can. 644).

b) Sed discrimen criminaliter tantum refert; egressum quod attinet apostatae et fugitivi eadem est conditio. Utriusque actus illegitimus est et sub hac ratione pro infecto habendus: quare uterque obligatione *regulae* et *votorum* plene obstrictus manet et sine mora iuridice et moraliter ad religionem *redire* tenetur. Superiores debent eos sollicite *requirere,* vera poenitentia actos redeuntes suscipere; reditum monialis apostatae vel fugitivae prudenter curare officium est Ordinarii loci et, si agitur de monasterio exempto, etiam superioris regularis (can. 645).

289. Dimissio. Est egressus *coactus*, a legitima auctoritate religioso etiam nolenti impositus, quamvis plerumque ipse voluntarie posuerit causam ob quam eiicitur. Ad eius notionem autem pertinet ut religiosus sit adhuc societati alligatus, unde proprie dimitti non dicitur qui a renovandis votis excluditur (can. 637). Duplici modo fieri potest: aut *ipso iure* aut per *sententiam* vel *decretum.*

---

[1] De apostasia et fuga sub ratione *poenali* vide can. 2385 et 2386; *Chelodi,* Ius poenale, 101.

[2] Hucusque apostata fieri poterat solus *regularis.* cf. *Wernz,* III, 674; *Piat,* I, 216.

[3] Benigniores auctores dicunt ad *duos* vel *tres* dies, brevior absentia enim reducitur ad illicitum egressum (can. 606 § 1) cum non praesumatur animus sese subtrahendi obedientiae, cf. *Piat,* I, 225 et 380.

[4] Qui legitime egresso incipit a die quo regredi debuisset.

a) Ipso iure et *ipso facto* tamquam dimissi habendi sunt religiosi quicumque, qui unum vel alterum ex his delictis commiserint: 1. *publice* a fide catholica apostataverint;[1] 2. cum persona alterius sexus fugam arripuerint;[2] 3. matrimonium, etiam civile tantum, contraxerint vel attentaverint.[3]

Quibus in casibus dimissio est latae sententiae, ideoque *illico* factum consequitur;[4] tamen ut de eo in foro externo constet, superior maior cum suo capitulo vel consilio debet *declarationem* facti emittere et curare ut collectae probationes in domus regestis asserventur (can. 646).

b) In ceteris casibus ut ad dimissionem deveniatur, certum *ordinem procedendi* servari oportet, iudicialem vel administrativum, qui concluditur per *sententiam* vel *decretum* dimissionis. Quae nec valida nec licita est umquam nisi et *gravis causa* subsit et ad iuris normam *probata* (iusta materialiter et formaliter). Attamen aliter proceditur prout vota temporaria aut perpetua, prout religio iurisdictione pollet aut ea caret.

290. Dimissio professi ad tempus. Haec, salvis quidem essentialibus conditionibus, mere administrativa et expeditissima; agitur enim de eo qui temporario dumtaxat vinculo religioni alligatur. Nihil interest utrum vota emissa sint in ordine an in qualibet congregatione.[5]

a) Competens est ad dimissionem in religione iuris pontificii solus *moderator supremus* vel *abbas sui iuris* cum *consensu* sui cuiusque consilii per *secreta* suffragia manifestato; si agitur de monialibus, *Ordinarius loci* qui, si monasterium est regularibus obnoxium, simul cum *superiore* regulari procedere tenetur,[6] causas vero probatas habere ex scripta de-

---

[1] Apostasia dicitur a fide *catholica*, ideo hic latius patet ac in definitione can. 1325 § 2 et comprehendit etiam haeresim.

[2] *Leitner*, 462, non sine probabili ratione, ab hac sanctione excipit fugam cum impubere vel cum persona consanguinea in linea recta aut in primo gradu lineae collateralis. Contra *Blat*, 631; *Fanfani*, 390.

[3] *Leitner*, l. c. uti videtur recte, excipit casum in quo, ex vi et metu, deficiat in contrahente vel attentante consensus. Casum, praesertim religiosae, contingere non est impossibile.

[4] *Fanfani*, 391, declarationem ad dimissionis validitatem requirit, at id non probatur.

[5] Qui vota emittunt cum clausula: «donec in congregatione vivam» vel aequipollente quoad dimissionem hoc iure utuntur. C. I. 1 mart. 1921 (A. XIII, 177). Qui ante C. in *ordinibus* emiserunt vota simplicia perpetua ex parte voventis (non autem ex parte religionis) dimittendi sunt servatis normis antiqui iuris. C. I. 16 oct. 1919 (A. XI, 476). Ceterum numerus eiusmodi religiosorum quotidie minuitur, et brevi nullus amplius in tali conditione erit, vi can. 574 § 1.

[6] *Triplex* proposita est iam interpretatio: *prima* quae Ordinario *et* Praelato regulari seorsim ius dimittendi tribuit, sane improbabilis, *altera* quae soli superiori, *tertia* quae utrique communi consensu. Haec est praeferenda, tum ob latinitatem *(et* dicitur, non *vel)*, tum ob

claratione antistitae cum suo consilio;[1] in congregationibus iuris dioecesani Ordinarius loci in quo domus sita est, qui tamen iure suo licite uti nequit moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus (can. 647 § 1).

b) Causa debet esse *gravis*, potest tamen se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Singulas ius consulto non definit, nam eas existimandas remittit conscientiae superiorum.[2] Universim omnes legitimae habendae sunt quae religioni notabile damnum vel incommodum allaturae essent. *Infirma valetudo* autem, aut hebetudo ingenii,[3] sufficiens non est nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam vel dissimulatam. *Defectus spiritus religiosi* qui aliis scandalo sit, prout vix non semper eveniet, est quidem legitima causa, at demum postquam *repetita monitio* (paterna, non canonica)[4] una cum salutari poenitentia incassum cesserit. Causam, licet nulla requiratur *iudicialis* probatio, superiorem certo cognoscere, eamdem religioso manifestare ut sese plena libertate defendere valeat, defensionem superiori fideliter subiicere ut eam perpendat, oportet. Contra dimissionis decretum datur religioso *recursus* ad Sedem Apostolicam, cum effectu *suspensivo* (c. c. § 2).

c) Dimissus ipso facto *solvitur* ab omnibus *votis* religiosis; si clericus *in sacris* est, debet aut propriam diocesim repetere aut, si eam amiserit, episcopum benevolum receptorem sibi quaerere (can. 641 § 1), at beneficia et officia in saeculum regressis interdicta obtinere nequit (can. 642); si *in minoribus* eo ipso redactus est in statum laicalem (can. 648). Religiosae restituenda est *dos* (can. 551 § 1); sine dote receptae dandum subsidium caritativum (can. 643 § 2).

291. Demissio religiosi a votis perpetuis. Communis dimissionis causa, et in casibus ordinariis *unica*, est religiosi in mala conversatione talis *pervicacia* ut *incorregibilis* censendus sit (can. 649, 656).

---

praecedens ius unde desumpta dispositio (C. Rel. 16 maii 1911, A. III, 238), tum ob constantem regulam submittendi haec monasteria utrique superiori, tum ob analogiam in dimissione professae in perpetuum (can. 652 § 2). Ita etiam *Bied.-Führ.* 298; *Fanfani.* 395; *Blat*, 633; *Wermeersch*, Epit. 653. Alteram docent *Leitner*, 469 et Prümmer.

[1] Etiam in hoc casu suffragium requiritur *deliberativum*, cf. *Larraona* in *Comment* II, 364 ss.

[2] C. super statu regularium, decr. 15 dec. 1893 *(Verm.* II, 278), quod ius refert in C. non mutatum.

[3] cf. *Goyeneche* in *Comment.* I, 231 ss.

[4] cf. *Comment.* III, 15.

a) Quae in *viris* per tria delicta manifestata esse debet. *Delicta* vera, obiective et subiective, gravia, externa, certa, sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;[1] saltem *tria* eiusdem speciei vel, si diversae, talia ut simul sumpta ostendant mali hominis obstinatum animum; delictum *permanens* triplex fit virtualiter ex repetitis monitionibus (can. 657). *Monitiones* insuper, ut de contumacia constet, necessariae sunt: minimum *duae,* prima post primum altera post alterum delictum, aut si de delicto agitur continuato trium saltem dierum integro spatio inter utramque interposito (can. 660); *canonicae,* ab immediato superiore maiore vel de eius mandato factae (can. 659), postquam delictum aut notorium aut rei confessione extraiudiciali revelatum aut per praeviam inquisitionem sufficienter probatum fuerit (can. 658);[2] additis opportunis exhortationibus et correptionibus, praescriptis poenitentiis aliisque remediis poenalibus, ad rei emendationem et scandali reparationem aptis; *comminata* singulis vicibus *dimissione* (can. 661). Superior tenetur praeterea reum ab occasionibus relabendi removere, etiam per translationem si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio (c. c. § 2). Post *secundam* monitionem religiosus censetur *incorregibilis,* ideoque causa dimissionis verificata, si *aut* novum delictum commiserit *aut* per sex integros dies in eodem permanenter perstiterit (can. 662).

b) Etiam ad dimittendas *mulieres* necessaria est *incorregibilitas,* non quidem quae per delicta se prodiderit, sed per alias quoque *exteriores* actiones, *culpabiles* et religiosam observantiam *graviter* laedentes, post iteratas monitiones (non canonicas) et intervallum *experimenti* adeo persistentes ut, iudicio antistitae, omnis *spes resipiscientiae* evanuerit (can. 651).

292. Ordo procedendi. Cum de causis et incorregibilitate constiterit, procedi potest ad dimissionem. Quae in religionibus iurisdictione carentibus per decretum administrativum, in religionibus clericalibus exemptis per senten-

---

[1] *Delicta* accipienda et aestimanda sunt ad normas iuris poenalis (can. 2195 ss.). quare non omne *peccatum,* etiam grave, huc facit. Unde haud recte videtur affirmare *Biederl.-Führ.* 176 « patet omnia peccata contra ius divinum simul esse contra ius commune ».

[2] De inquisitione vide can. 1939 ss. de monitionibus et remediis poenalibus can. 2306 ss. *Chelodi,* Ius poen. 118. 54-55. At monitio superioris qui *iurisdictione* non pollet proprie canonica non est, sed ad instar canonicae.

tiam iudicialem pronunciatur. In omnibus casibus autem religioso religiosaeve *ius* est suas rationes libere exponendi, eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt (can. 650 § 3, 651 § 2, 665).

Et primum de *decreto administrativo:*

a) In religionibus *virorum* supremus moderator cum suo consilio opus est ut omnia facti adiuncta perpendat et suffragiis deliberativis decernat num dimissioni locus sit. Si *maior* pars consentit, in sodalitate iuris dioecesani res tota deferenda est ad *Ordinarium loci*, ubi domus sita est, et ad hunc pertinet pro suo prudenti arbitrio decretum dimissionis edere vel etiam suspendere vel denegare; in instituto iuris pontificii ipse *moderator supremus* decretum edere debet, quod tamen non sortitur effectum antequam a S. Sede, cui acta causae vel saltem completa relatio transmittenda est, fuerit confirmatum (can. 650).

b) Ad dimittendam *religiosam,* si ad congregationem iuris dioecesani spectat, competens est *Ordinarius loci*, qui perpensis causis ab antistita prolatis ipse decretum fert; si monialis est, *C. Rel.* cui omnia acta et documenta subicienda sunt ab Ordinario loci cum suo et superioris regularis voto, si monasterium a regularibus dependet; si soror congregationis iuris pontificii, item *C. Rel.:* acta vero colligenda et mittenda sunt a suprema moderatrice (can. 652). Dimissae, quae dotem aliave media propria non habeat, competit subsidium caritativum.

c) In religione clericali exempta, sive sollemnia sive simplicia sunt vota nuncupata, dummodo perpetua, religiosus dimitti nequit sine formali *processu iudiciali,* quolibet contrario privilegio revocato (can. 5654). *Tribunal collegiale* constituitur e moderatore generali vel praeside congregationis monasticae et eorum consilio seu capitulo, quod saltem quattuor religiosis constet, et si tot consiliarii non adsunt, praeses de consensu aliorum totidem religiosos sufficere tenetur, ita ut tribunal *quinque* iudices habeat. Eodem modo etiam *promotor* iustitiae ab eo eligitur (can. 655). Qui, postquam omnia acta et documenta a supremo moderatore accepit, cui transmissa fuerant a superiore maiore, ea expendit, si necessarium duxerit, ulteriores inquisitiones peregit vel mandavit, munus accusatoris suscipit, suas conclusiones proponens (can. 663, 664).

Reo fas est sibi defensorem assumere; si id omittat, ex officio est ei deputandus (can. 1655 § 1). Processus fit secundum ordinarias normas iudicii criminalis:[1] in eo probari oportet tria patrata delicta, duplicem monitionem, defectum emendationis (can. 664 § 2). Quae omnia si satis probata apparuerint, tribunal *sententiam dimissionis* pronunciat (can. 665). Haec autem executioni mandari nequit antequam a C. Rel, cui praeses omnia acta processus cum sententia quamprimum transmittere tenetur, confirmata sit (can. 666).

Vices tribunalis supremi moderatoris explere potest, in dissitis regionibus,[2] *tribunal delegatum,* saltem tribus probis ac prudentibus religiosis compositum, quod eadem in causa dimissionis peragit ac tribunal ordinarium.[3] Hanc delegationem concedere valet supremus moderator cum consensu sui consilii seu capituli (can. 667).

293. Casus extraordinarii. Haec via ordinaria, in communibus casibus ineunda. At casus extraordinarii vel qui moram non patiuntur insueta remedia exigunt. Iis providet ius, peculiari *exceptione* ab expositis normis statuta. Et primum huc venit *dimissio ipso facto illata,* ob specifica delicta (can. 646), in qua sola inquisitio fit ut de facto constet, nisi sit notorium, et declaratio editur.

Alter est *casus urgens.* Si nimirum aut *grave scandalum externum* idest apud saeculares iam divulgatum vel cuius divulgatio impediri nequeat,[4] a religioso datum sit, aut eius causa *gravissimum nocumentum* communitati immineat, idest proxime et morali certitudine timendum sit, *quilibet* religiosus religiosave potest statim ad saeculum remitti, habitu religioso illico dimisso. Ad quam provisionem capiendam *competens* est in religione clericali exempta superior maior, vel si periculum in mora et tempus ad eum recurrendi non suppetit, superior localis cum consensu sui consilii; in congregatione iuris pontificii item superior maior vel, premente necessitate, localis, ille cum consensu sui consilii, iste cum consensu tum con-

---

[1] cf. *Chelodi,* Ius poen. 114 ss.

[2] Quod accipiendum est tum ratione loci tum etiam aliorum adiunctorum, quae valde difficile reddant processum apud moderatorem supremum. *Vermeersch,* Ep. 660; *Leitner,* 465.

[3] Hunc esse sensum can. haud dubium videtur, nec altera explicatio a *Biederl.-Führ.* 177 dubitative proposita probabilis apparet.

[4] Non videtur necessarium ut facinus *extra* claustra commissum sit, dummodo scandalum extra pervenerit.

silii tum Ordinarii loci; in monasteriis monialium Ordinarius loci vel, si regularibus obnoxium, praelatus regularis, in religione iuris diocesani, Ordinarius.

Haec autem nec *vera* [1] nec, eo minus, *definitiva* dimissio est. Sed ubi ad ordinariam dimissionem necessarius fuisset processus iudicialis, hic statim instituendus est et perficiendus ad normam iuris; in omnibus reliquis casibus res sine mora subiicienda est iudicio S. Sedis per Ordinarium vel per superiorem maiorem (can. 653, 668).

Si causa ad S. Sedem defertur, expedita res est; ipsa enim videt et decernit. At si processus iudicialis instituendus in religione, textus canonis non videtur carere difficultate, cum exigat ut serventur normae ordinarii processus. In hoc autem expresse probari debent tria delicta, duae monitiones, defectus emendationis. Quae omnia abesse possunt, si qnis *unum* magnum scandalum dedit. Solutio quaerenda est probabiliter in decr. C. Rel. 16 maii 1911 n. 17, unde canon elicitus. Ibi satis clare dicitur ad dimissionem, in casu, satis esse *unum* delictum. Necessitas illico dimittendi religiosum exurgere potest etiam durante processu vel pendente apud S. Sedem sententiae confirmatione.

294. Conditio dimissi post vota perpetua. *a)* Quilibet dimissus, qui vota perpetua emisit, iis manet *adstrictus*, nisi constitutiones aut S. Sedis indultum solutionem concedant. *Laici* revera saepe a votis liberantur. Clericus in *minoribus* eo ipso reducitur ad statum laicalem (can. 669). Manentibus votis dimissus tenetur post *triennium*, quo durante argumenta verae emendationis dederit, ad claustra *redire*, religio vero eum suscipere. Si autem ex una vel altera parte obstent graves rationes res iudicio S. Sedis subiicienda est (can. 672 § 1).

b) Religiosus *in sacris* dimissus *aut* ob delictum cui ipso iure adnexa est haec sanctio (can. 646) *aut* ob aliud quod iure communi plectitur infamia iuris vel depositione vel degradatione, *perpetuo* prohibetur deferre habitum ecclesiasticum (can. 670), ideoque a quolibet ministerio sacro, a privilegiis clericalibus, ab accipiendo subsidio caritativo arcetur.[2]

Dimissus autem ob delicta iis *minora*, ipso facto *suspensione* afficitur S. Sedi reservata et a C. Rel. plerumque mandatum accipit commorandi, habitu cleri saecularis indutus in

---

[1] Vera dimissio enim pronuntiatur demum serius. Proinde haec provisio ad interim ne effectus quidem iuridicos producit dimissionis.

[2] can. 2304 § 2.

certa dioecesi, cuius Ordinario causae dimissionis indicantur. Ordinarius eum mittere tenetur in domum poenitentiae vel committere curae et vigilantiae pii et prudentis sacerdotis, expensae pro eius sustentatione solvendae sunt a religione. Si autem dimissus praecepto sive Congregationis sive Ordinarii non paruerit, religio ad nihil tenetur; religiosus vero eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum.

Post *annum* probationis, si dimissus bene se gesserit ita ut vere *emendatus* haberi possit, fas ei est petere a S. Sede absolutiones a suspensione, litteris commendatitiis Ordinarii, qui gratiam assecuto permittere potest, in sua dioecesi et sub opportunis cautelis, missae celebrationem et etiam aliud sacrum ministerium, unde si honeste vivere queat, religio a subsidio suppeditando liberatur. Casus diaconi vel subdiaconi deferendus est ad S. Sedem ut ipsa disponat. Si, e contra, in *mala* vitae ratione *perseveret,* transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii, privandus est subsidio, eiiciendus e domo poenitentiae, ab habitu ecclesiastico interdicendus, auctoritate ipsius Ordinarii, qui statim de hac re relationem tum ad S. Sedem tum ad religionem mittere debet (can. 671).

c) Dimissus in sacris, a votis *solutus* et *emendatus,* quaerere sibi potest episcopum benevolum receptorem, quem si invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia manet, sed officia et beneficia regressis in saeculo, prohibita obtinere nequit (can. 642). Si autem non invenerit, ad S. Sedem recurrere debet ut ipsa ei provideat (can. 672 § 2).

PARERGON.

DE SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS SINE VOTIS.

295. Notio. Sunt in Ecclesia aliae societates, legitime institutae, quae religiones imitantur, quia in eis sodales *vitam communem* agunt, *regimini* superioris et probatis *constitutionibus* subiacent, ad *perfectionem* contendunt. At illud est omnibus commune et peculiare ut non habeant *vota publica,* idest nomine Ecclesiae acceptata; ceterum in hac re magna est *varietas;* in alia tria vota substantialia privatim emittuntur, in alia iuramentum vel promissio perseverantiae, in alia nec vota nec promissiones. Cum vero ad essentiam religionis per-

tineant iuridice vota publica (can. 488 n. 1), consequitur ut hae sodalitates proprie religiones non sint, nec earum sodales proprie religiosi (can. 673 § 1).

Nihilominus eis proxime accedunt et in plerisque fere eodem iure utuntur, atque ex hoc capite evidens est studium modernae legislationis adstruendi perfectam, quantum res ipsa patitur, analogiam cum religionibus. Hae quoque societates sunt *clericales* vel *laicales*, iuris *pontificii* vel iuris *dioecesani*, imo vel exemptae habentur.

Huiusmodi sodalitia, tum virorum tum mulierum, iam saltem a saec. XIV existunt, frequentiora autem post saec. XVI facta sunt. Inter ea quaedam magnum nomen et magna in Ecclesiam merita sibi comparaverunt, late diffusa sunt et hodie quoque sive adscriptorum numero sive operum quibus incumbunt amplitudine et utilitate notabilem locum tenent. Pauca nomina sufficiant: Oblati S. Caroli, Oratoriani S. Philippi, Patres doctrinae christianae, Lazaristae, Sulpiciani, Pallotini, Salesiani, Patres albi etc. Hucusque vocabantur plerumque *congregationes saeculares.*

296. Ius, quo reguntur. Universim animadvertendum est, eas esse *societates legitimas*, idcirco iuribus collegiorum gaudere, *non* esse autem veras *religiones*, ideoque per se harum legibus non affici, sed dumtaxat quatenus ad eas expresse extenduntur. Iamvero:

a) Circa *erectionem* et *suppressionem* societatis, provinciae, domorum eodem iure utuntur ac religiones (can. 674).

b) Regimen determinatur potissimum a variis constitutionibus, sed etiam omnes canones qui hanc materiam, inclusis confessariis et cappellanis, apud religiosos ordinant, analogice servandi sunt (can. 675),

c) Societates, provinciae et domus sunt capaces *acquirendi* et *possidendi*, administratio fiat oportet prout in religionibus; sodales bona retinent, acquirunt, administrant secundum suas constitutiones, at quidquid intuitu societatis eis obvenit, eidem acquirunt (can. 676).

d) In admittendis *candidatis*, ex iure communi religiosorum eis solus canon 542 circa inhabilitates et prohibitiones applicatur. Ceterum quoad postulatum, novitiatum, iustitutionem tironum valent constitutiones. Quoad *studia* peragenda et ordines suscipiendos iisdem legibus tenentur ac clerici saeculares, salvis peculiaribus praescriptionibus S. Sedis (can. 677, 678).

e) Sodales obnoxii sunt specialibus *obligationibus* suarum constitutionum, communibus clericorum, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet, et propriis religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant et seclusis, uti patet, obligationibus ex votis. Clausura autem observanda est tantummodo ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia (can. 679).

f) Omnes gaudent *privilegiis* clericalibus et privilegiis societati directe concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali titulo (can. 680).

g) Si *transire* velint vel ad aliam societatem vel ad religionem, eis applicantur normae religiosorum; apostatae quidem fieri nequeunt, sed *fugitivi* et eodem modo ac fugitivi religiosi sunt tractandi, *dimittendi* vero analogice prout religiosi (can. 681), ita nimirum ut si vinculum quo adstringuntur societati, est temporale, serventur canones qui agunt de dimissione professorum ad tempus; si perpetuum canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncupaverunt.[1]

CAPUT VII.

DE LAICIS.

297. Status laicorum. Ex *divina* institutione sunt in Ecclesia clerici a *laicis* distincti (can. 107), ideoque ipso divino iure praeter statum clericorum est etiam status *laicorum*. Qui consistit omnibus illis iuribus et officiis quae ex adscriptione ad Ecclesiam derivantur et acquiritur per validam receptionem baptismi (can. 87). *Laicus* igitur est omnis baptizatus, qui nullum gradum in hierarchia habet.[2] Utroque elemento, positivo et negativo, tota notio absolvitur. In baptismate fundantur omnes capacitates hominis christiani, item ultimo omnes obligationes canonicae.[3] Et cum indelebile sit, status laicorum numquam complete *amitti* potest, sed quoad officia perpetuo manet; iura vero quod attinet, sublata communione vel illata censura, eorum exercitium sane praepediri potest.

Ex notione consequitur ut laici *ius* habeant participandi mediorum socialium ad finem, cuius gratia in Ecclesia sunt, assequendum. Et cum mediorum dispensatores et ministri sint clerici, ius habent ab iis accipiendi, ad normam ecclesiasticae disciplinae, *spiritualia bona;* sacramenta, sacramentalia, communia suffragia, indulgentias, institutionem religiosam et universim omnia adiumenta ad salutem necessaria (can. 682).

Vicissim a quolibet actu potestatis ordinis et iurisdictionis abstinere debent. Et ut etiam externe distinctio a cle-

---

[1] C. I. 1 mart. 1921 (A. XIII, 177). Iam antea C. I. 2/3 iun. 1918 (A. X, 347) extenderat iis societatibus eorumque sodalibus sanctiones poenales statutas ob fugam (can. 2386) ob dolosam professionem (can. 2387), ob violatam legem vitae communis (can. 2389), ob dimissorias illegitime datas (can. 2410), ob receptionem candidati neglectis praescriptis iuris (can. 2411). ob obstacula opposita visitationi (can. 2413).

[2] *Λαός* significandum totum populum christianum iam in I Petr. 2, 10; *ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος* in oppositionem ad clericos in I Clem. 40, 5 legitur, deinde *οἱ λαϊκοί* ut terminus technicus apud plures ex antiquis scriptoribus.

[3] cf. supra n. 65.

ricis pateat, prohibitum est eis *habitum clericalem* deferre, nisi sint alumni seminariorum aut servitio ecclesiae legitime addicti, dum eo actu funguntur (can. 683).

Peculiare ius laicis [1] concessum illud est quo valent associationes seu societates imperfectas constituere, ut fines particulares Ecclesiae fini subordinatos prosequantur, quae aliqua autonomia, iuribus collegialibus et specialibus favoribus gaudent.

I. DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN GENERE.

298. Notio et institutio. *a)* Generali nomine *associationis* venit in C. quodlibet sodalitium a fidelibus ad finem religiosum pietatis vel caritatis constitutum, exceptis religionibus proprie dictis et societatibus ad instar religionum (can. 685). Quae sodalitia aut *privata* fidelium voluntate et opera conflata sunt, licet Ecclesia ea laudet, commendet, etiam indulgentiis aliisque privilegiis augeat, aut *ipsius Ecclesiae* auctoritate erecta vel saltem approbata. Quod iuridice valde interest; *illa* enim naturam mere laicalem retinent (assoc. *laicales*) et nonnisi communi ecclesiasticae iurisdictioni et vigilantiae, in rebus fidei et morum, subsunt, *haec* naturam *ecclesiasticam* acquirunt (assoc. *ecclesiasticae*) et sub regimine et directione ecclesiasticae auctoritatis etiam in negotiis socialibus inveniuntur.[2] Formale decretum erectionis tribuit societati *personalitatem iuridicam* (can. 100, 687), simplex approbatio efficit ut sodalitas ab Ecclesia tamquam *societas facti* recognoscatur (can. 686 § 1); si neutrum habetur haud necessario societas illicita est, sed licita imo laudata esse potest, quamvis *publice* non recognita.

b) Erectio vel *approbatio* pertinet, praeter R. Pontificem, ad *episcopum.* Sed certas quasdam associationes instituere, ex privilegio apostolico, ius est, sive exclusivum sive cum episcopali concurrens, aliorum, praesertim *regularium.* Semper tamen, nisi in privilegio expresse aliud cautum sit, *consensus* in scriptis episcopi ad validitatem erectionis exigitur, qui *implicite* datus censetur in unico casu quo Ordinarius consen-

---

[1] Si enim clerici eo etiam utuntur non qua tales agunt, sed qua simplices fideles.

[2] Ad haec tantum C. canones, qui de associatonibus agunt, referuntur. Discrimen inter utrumque genus associationum dilucide proponitur in c. *Corrienten.* 13 nov. 1920 (A. XIII, 135), ubi decisum est Societatem S. Vincentii a Paulo esse laicalem.

sum ad erigendam domum religiosam praestiterit et in hac vel adnexa ecclesia erigenda sit associatio illius religionis propria *et* in corpus organicum non constituta.[1]

c) Nec vicarius generalis sine mandato speciali, *nec* vicarius capitularis valent *aut* associationes erigere *aut* consensum erectioni vel aggregationi praebere. Qui ex privilegio apostolico eas erigunt solam taxam pro expensis necessariis accipere possunt (can. 686).

Praeter associationes ab Ecclesia erectas vel approbatas vel commendatas vel saltem licitas, sunt associatones *secretae, damnatae, seditiosae, suspectae* vel quae student sese a legitima Ecclesiae *vigilantia subducere.* Quamvis hae omnes directe huc non faciant, legislator ob connexionem materiae occasionem sumit monendi fideles ut ab eiusmodi societatibus *caveant* (can. 684). Haec prohibitio generalis ex parte iuris naturalis ex parte iuris positivi est. Latius vero patet ac *sanctio poenalis* can. 3335, quae solas sectas massonicas aliasque eiusdem generis societates respicit,[2] dum hic etiam quaevis alia sodalitas periculosa vel suspecta fidelibus interdicitur,

299. Natura et conditio iuridica. *a)* Omnis associatio *nomen* habeat oportet quod nec levitatem nec absonam novitatem nec speciem devotionis non probatae praeseferat (can. 688), sua *statuta* a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata, quae, nisi pontificia auctoritate firmata sint, semper ab Ordinario mutari vel corrigi possunt (can. 689). Si legitime erecta, est *persona moralis collegialis.* Quare ad normam statutorum et sacrorum canonum ius habet celebrandi *comitia*, edendi peculiares normas quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores, officiales et ministros; quibus in negotiis tum ius commune[3] tum ius statutarium, illi non contrarium, servandum est (can. 697). Item potest, nisi aliud expresse cautum sit, *bona temporalia* possidere et administrare, *oblationes* ad normam statutorum *recipere* easque erogare ad suos pios usus, salva offerentium voluntate (can. 691 §§ 1 et 2).

---

[1] Propria est ex. gr. Fratrum minorum associatio *VII gaudiorum B. M. V.,* Servitarum associatio *VII dolorum B. M. V.,* Praedicatorum associatio *Nominis Iesu,* S. I. *congregatio mariana* et *bonae mortis.* In corpus organicum est constituta associatio quae habet proprium praesidem et consilium.

[2] cf. *Chelodi,* Ius poen. 71.

[3] cf. can. 161-182.

b) Attamen omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale privilegium exemptionis probare possint, subsunt *iurisdictioni, vigilantiae* et *visitationi* Ordinarii loci, unica facta exceptione in favorem associationis a regularibus, vi privilegii, in sua ecclesia erectae, quae immunis est a visitatione in iis quae spectant ad internam disciplinam seu spiritualem directionem (can. 690). Ab auctoritate episcopali, minime vero a parocho nisi ipse Ordinarius id statuerit, pendent in *administratione,* eidem quotannis *rationem reddere* debent accepti et impensi sive ex bonis, sive ex oblationibus sive ex eleemosynis (can. 691 §§ 1 et 5). Ad Ordinarium pertinet, salvo contrario privilegio apostolico, nominatio *moderatoris* spiritualis et *cappellani* (quae officia etiam in una persona coniungi possunt) cuiuslibet associationis quae non sit in ecclesia regulari a regularibus vi privilegii erecta; in hac eius consensus est necessarius si superior clericum saecularem nominare velit.[1] Moderator et cappellanus assumuntur ad functiones proprias associationis peragendas; durante munere possunt benedire eiusdem habitum seu insignia, scapularia etc. eaque adscribendis imponere, ad eos spectat concionandi licentiam petere pro oratore extradioecesano, quem acciverint.[2] Qui ius habet eos nominandi, is etiam eos removendi, ex iusta causa (can. 698).

c) Eleemosynas colligere pro regula associationibus non licet. Si id *aut* statuta permittant *aut* necessitas postulet, consensus Ordinarii loci requiritur et, si extra dioecesim quaestuatio fiat, etiam venia uniuscuiusque Ordinarii territorii, *scripto* data (can. 621 §§ 3 et 4).

d) Associatio quae est persona moralis natura sua perpetua est (can. 102 § 1), durat proinde etiam cessantibus omnibus membris adhuc per centum annos et, novis adscriptis, ipso facto reviviscit. Extingui vero potest per *suppressionem,* cui perficiendae competens est, ob graves causas et salvo iure recursus, Ordinarius loci quoad omnes associationes a se vel a regularibus cum suo consonsu erectas, una Sedes

---

[1] *Vermeersch,* Epit, 697 animadvertit *non* suffragari ordini religioso consuetudinem, licet centenariam, qua nominavit moderatores associationibus extra proprias ecclesias, ex gr. sodalitatibus tertiariis, hae nominatio pertinet exclusive ad Ordinarium, nec ulla praesumptio apostolici privilegii adest, cum positive constet numquam.

[2] can. 1342.

Apostolica quoad eas quae ab ea erectae sunt (can. 699). Quae persona moralis non est, mutuo sociorum consensu vel omnibus deficientibus dissolvitur.[1]

300. Adscriptio. *a)* Iurium et privilegiorum associationis partecipes sunt omnes *socii*, nimirum qui valide sunt adscripti et legitime non expulsi (can. 692). Fideles nullimode obligantur quidem, sed *laudem* merentur si nomen dederint associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis (can. 684). Eadem persona potest adscribi *pluribus* associationibus, non vero duobus tertiis ordinibus (can. 705). Clerici sine limitatione, *religiosi* permittuntur nomen dare iis associationibus, quarum leges cum regulari observantia compatibiles sint, non autem tertio ordini (can. 704). *Absentes* illicite adscribuntur sodalitati organice constitutae,[2] praesentes sed nec scientes nec volentes invalide, item *invalide* acatholici, damnatae sectae adscripti, censura notorie irretiti, in genere publici peccatores (can. 693).

b) Receptio facienda est ad normam iuris communis et statutarii. Ius commune duas conditiones ponit: *inscriptionem* nominis in albo associationis in omnibus casibus requisitam, ad valorem autem solummodo si sodalitas in personam moralem erecta est (can. 694); *gratuitatem*, occasione susceptionis enim nihil, directe vel indirecte, exigere licet praeter taxam in approbatis statutis praefixam aut forsan ulteriorem oblationem ab Ordinario, ratione specialium circumstantiarum, expresse permissam (can. 695).

c) Dimissio socii fieri potest ex iusta causa tantum et ad normam statutorum. Si adscriptus in eam conditionem inciderit, in qua ob *indignitatem* valide cooptari nequivisset (supra ad *a)* monendus ut resipiscat, si renuat expungendus,

---

[1] *Potestatem laicalem* ad supprimendam associationem ecclesiasticam numquam competentem esse, ideoque eius decreta in foro nostro nullum effectum iuridicum exerere, ex principiis iuris publici constat.

[2] De *absentibus* haec animadverte. Personalis praesentia ex natura rei necessaria non est, sed ex positiva lege pro regula exigitur, admissis tamen exceptionibus. Si sodalitas est certo territorio limitata, extra ipsum commorantes omnino adscribi nequeunt. Si sodalitas est organice constituta, ita ut inscriptio certa aliqua forma et ritu perficienda sit, haec ipsa actualem praesentiam requirit. Tamen conceditur moderatoribus ut in casibus extraordinariis dispensare possint a statuta forma et ideo absentes rite inscribere. Si nulla est caeremonia praescripta, inscriptio absentium prohibetur si fiat leviter et turmatim collectis nominibus, non autem si discrete et cum delectu. Ita ius hucusque vigens *(Bargilliat*, II, 1072), quod probabiliter non est mutatum. — Multo minus adscribi possunt *mortui*, uti pluries declaratum est.

servatis statutis et salvo iure recursus ad Ordinarium. Qui ipse quoque semper socios dimittere valet e qualibet associatione, item superior religiosus ab associatione vi privilegii a religiosis erecta (can. 696).

II. DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN SPECIE.

301. Variae species, earumque ordo. *a)* Normae hucusque expositae communes sunt, aliae peculiares singulis speciebus aptantur. Omnes enim associationes ecclesiasticae ad *tres classes* reducuntur: tertios ordines saeculares, confraternitates, pias uniones (can. 700). Ex fine potissimum differentia desumitur: in tertio ordine fideles ad christianam *perfectionem* contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo (can. 702 § 1); in confraternitate, praeterquam exercitium alicuius operis pietatis vel caritatis, in incrementum *publici cultus* incumbunt (can. 707 § 2); in pia unione per se solum exercitium alicuius religiosi operis attenditur (c. c. § 1). Inter confraternitates et pias uniones aliquae sunt quae iure pollent alias eiusdem speciei associationes sibi aggregandi, hae *archiconfraternitatis* vel *unionis primariae* titulo decorantur (can. 720), qui tamen etiam honoris tantum causa concedi potest (can. 725).

b) Ordo *praecedentiae* inter varias associationes a iure hoc modo statuitur: 1. Tertii ordines; 2. archiconfraternitates; 3. confraternitates; 4. piae uniones primariae; 5. aliae piae uniones. In eadem specie praecedit quae est in possessione, hac deficiente quae prius in loco instituta (can. 106 n. 5). In processionibus cum SS. Sacramento confraternitas huius nominis praecedit ipsis archiconfraternitatibus. In omnibus casibus ad exercendum suum ius quaelibet associatio oportet ut collegialiter incedat sub propria cruce vel vexillo et *cum suo habitu seu insignibus* (can. 701).

Habemus nunc in C. praecisam definitionem confraternitatis et piae associationis ac firmam *terminologiam*. Haec praesertim hactenus valde incerta erat. Plura nomina promiscue usurpabantur; eadem in diversissima acceptione. *Confraternitas* interdum latissime quamcumque piam associationem, etiam mera privatorum voluntate existentem, significabat, interdum strictissime collegium formaliter erectum, organice et hierarchice constitutum, quod in saccis ad augendum cultum divinum conferret. Magis adhuc indeterminata erat acceptio nominis *piae unionis*. Saepe omnes associationes, praeter confraternitates stricte sumptas, vocabantur

congregationes. Accurata iuridica distinctio non habebatur, quamvis, ex stylo Curiae, iam pene certa videretur opinio quae ut elementum characteristicum verae confraternitatis incrementum cultus publici considerabat.[12] Notabile est etiam quod ius nunc in eodem genere ac ceterae associationes *tertios ordines* ponit.

302. Tertii ordines. *a)* Hae societates semper alicui *ordini religioso* adnexae sunt et sub eiusdam moderatione; habent *regulas* ab Apostolica Sede specialiter approbatas (can. 702 § 1) et in cooptatione sodalium, externe saltem, per habitum impositionem, novitiatum, professionem, religiosi instituti rationem imitantur. Cum insuper in sua origine essent veri succedanei ordinum, in commodum illorum qui in primum vel secundum ordinem recipi nequibant, sed in saeculo vivere cogebantur, et etiam hodie ex mente Ecclesiae debeant suos adscriptos ad perfectiorem vitam ducere, nomen *ordinis,* quod utique per adiectum «*saecularis*» ex integro suam propriam significationem amittit, retinent et maiorem honorem prae confraternitatibus aliisque associatonibus obtinent, quem sane prolatis salutiferis operibus tertiarii mereri tenentur.

b) Novum tertium ordinem sibi adiungere nulla religio valet. *Confirmatur* autem ordinibus qui eum hactenus habuerunt suus cuique tertius ordo, qui etiam in plures associationes legitime constitutas dividi potest: *sodalitates tertiariorum* (can. 702 § 2). Vi privilegii apostolici tamen potest superior religiosus solummodo *singulos* tertiarios in ordinem cooptare, nullam vero *sodalitatem* valide erigere, ne in ecclesia propria quidem, nisi accedat consensus Ordinarii loci.[13] Quodsi sodalitatibus erectis concedendae sint *particulares vestes,* in publicis sacris functionibus deferendae, altera *specialis* Ordinarii *licentia* requiritur (can. 703).

c) In tertium ordinem recipi possunt universim fideles quibus conditiones pro adscriptione in associationem ecclesiasticam non deficiunt atque qui parati sint, prout vel ipsa natura instituti exigit, ad christianam vitam perfectiore ra-

---

[12] cf. *Wernz,* III, 704; *Vermeersch,* Rel. I, 542; *Oietti,* Synopsis, v. Confraternitas, I, 1495 ss.

[13] Qui in sodalitates in ecclesiis *saecularibus* erectas ius visitationis *plene* exercet (can. 690 § 2); etiam tertii ordines enim hodie inter associationes recensentur et communibus normis iis statutis subsunt. Eo minus habent regulares in tertiarios aliquam ecclesiasticam potestatem vel iurisdictionem neque eos *suos subditos* vocare possunt.

tione agendam;[1] *invalide* autem recipiuntur qui votis religiosis ligantur vel qui alteri tertio ordini sunt adscripti. Qui iam tertiarius vota vel temporaria emittit, ipso iure tertiarius esse desinit, resolutis votis vero antiqua adscriptio reviviscit (can. 704). Omnibus tertiariis integrum est sive ab uno ad alterum ordinem sive ab una ad alteram eiusdem ordinis sodalitatem *transire* (can. 705).

d) Publicis processionibus, funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii *possunt*, sed non tenentur *collegialiter* interesse; at si intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est (can. 706).

Tertium ordinem, ex antiquo privilegio, habent: Franciscales,[2] Dominicani, Carmelitae, Augustiniani, Praemonstratenses, Servitae, Trinitarii, Mercedarii, Minimi; tertiariorum similes sunt oblati saeculares S. Benedicti. Hi postremi saltem saec. XI iam extiterunt. Sed late diffundi hoc vitae institutum coepit demum conditis ordinibus mendicantibus, praesertim ordine S. Francisci. Ut incredibili desiderio, quo innumerae turbae et haud raro universi fere ex oppidis et urbis promiscue ad religiosam vitam trahebantur, satisfieret, quin familiae rerumque domesticarum vincula abrumperentur, Patriarcha Assisiensis *societates de poenitentia* iam existentes in quemdam ordinem ampliavit, regula indicta quae severam vitae rationem, et religiosae in multis similem quamvis in saeculo agendam, imponebat. Haud secus fecit S. Dominicus cum fratribus et sororibus *de militia Christi;* alii ordines deinde exemplum imitati sunt.

303. Confraternitates. *a)* Ad notionem confraternitatis pertinet ut associatio sit ad modum organici corporis constituta (quod in iure specificum nomen *sodalitium* indicat, can. 707 § 1), per formale decretum erecta, ad incrementum publici cultus destinata (can. 708). Non est essentiale sed praeceptum ut in ecclesia aut oratorio publico vel saltem semipublico erigatur (can. 712 § 1). Necessarium est quoque ut confratres habeant proprium habitum seu insignia, nam secus sacris functionibus operam praestare nequeunt. Et proprie, ex ipso fine suo, est sodalitium *virorum*, mulieres enim confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales (can. 709).

---

[1] cf. *Leon. XIII*, const. *Misericors Dei filius*, 30 maii 1883. Cooptatio igitur facienda est cum aliquo delectu, nec acervatim oves et haedi sunt ad ingrediendum compellendi, tantummodo ut numerus augeatur, prout alicubi et aliquando factum est et fit.

[2] Unus idemque est sive Minorum, sive Conventualium, sive Cappuccinorum, sive tertii ordinis regularis.

b) In erigenda confraternitate titulus seu nomen conveniens eligendum est (can. 710). Eiusdem generis *una* tantum in singulis *locis* esse permittitur, exceptis magnis civitatibus ubi plures erigi possunt, servata tamen inter eas opportuna, iudicio Ordinarii, distantia,[1] et salvis privilegiis aut iuris communis contraria dispositione. Ex *illis* multae confraternitates exemptae sunt a lege distantiae, ex *hoc* in qualibet *paroecia* institui oportet confraternitates SS. Sacramenti ac doctrinae christianae (can. 711). In ecclesiis vel oratoriis *religiosarum* omnino, in ecclesia *cathedrali* vel *collegiali* sine consensu capituli confraternitas erigi nequit (can. 712 §§ 2 et 3).

c) Confraternitates *eriguntur* aut ab episcopo aut a religiosis privilegiatis, ab iis autem numquam et nullibi valide sine episcopi consensu. Et nova specialis licentia est necessaria ut *vestis propria* seu insignia in sacris functionibus deferenda confratribus concedere valeant. Sine venia Ordinarii deinde nulli confraternitati habitum vel insignia legitime assumpta dimittere aut immutare licet (can. 713 § 2, 714). Religiosi confraternitatibus a se erectis communicant omnes et solas gratias spirituales in facultatibus pontificiis specifice et nominatim recensitas (can. 713 § 1).

Ordinarii consensus requiritur et sufficit quoque ut confraternitas de alia in aliam sedem *transferatur*, nisi translatio prohibita sit aut iure aut statutis a Sede Apostolica probatis. At si confraternitas est reservata alicui religioni, requirendus est etiam consensus superioris (can. 719).

d) Confraternitates sunt *collegia legitima*, quae sua comitia celebrare, officiales eligere, bona administrare, functiones proprias peragere iure valent. In iis omnibus autem subsunt *auctoritati* et *vigilantiae* Ordinarii, qui, vel in ecclesiis regularium, semper interesse potest comitiis et praesidere, tamen sine iure suffragii, per se vel per delegatum, electos confirmare, respuere, removere; statuta et normas approbare vel corrigere, nisi a S. Sede approbatae fuerint, comitia extraordinaria, de quorum celebratione tempestive praemonitus non sit, impedire vel in eis decreta penitus rescindere (can. 715).

---

[1] *Lex loci* et *lex distantiae* inducta est per *Clem. VIII* const. *Quaecumque*, 7 dec. 1604. Distantia debuit esse saltem unius leucae (4 1/2 km) recentiore tempore lex emollita est, ita ut quaelibet distantia sufficeret, dummodo loca essent distincta et unumquodque suam paroeciam haberet. In urbibus, uti patet, ne distinctio quidem locorum requiritur.

e) Quoad *functiones* non paroeciales confraternitates independentes sunt a parocho,[1] dummodo ministerio paroeciali non noceant. Quod valet sive ecclesiam propriam a paroeciali separatam habeant, sive paroecia in earum ecclesia erecta sit, sive ipsae in aliena ecclesia sint erectae.[2] At in hoc casu functiones peragere permittuntur solummodo in altari vel sacello ipsis destinato. *Patrimonium* confraternitatis separatum servari oportet a bonis alterius entis ecclesiastici, cum quo communem habeat ecclesiam (can. 716, 717). Confraternitates tenetur collegialiter interesse publicis *processionibus*, nisi Ordinarius aliud disposuerit (can. 718).

304. Piae uniones. *a)* Hoc nomine veniunt omnes reliquae associationes fidelium, quae tantummodo ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis institutate sunt, sive ad modum organici corporis (sodalitia) sive etiam laxiore vinculo sociali (can. 707 § 1). Non est necesse ut pia unio sit formaliter erecta, sed sufficit ut ab Ordinario *approbetur*, ideoqne saepe non est persona iuridica; per approbationem autem capax fit obtinendi gratias spirituales ac indulgentias (can. 708).

b) Quoad nomen et titulum, quoad legem distantiae, quoad locum erectionis, quoad translationem, piae uniones in genere eodem iure utuntur ac confraternitates. At etiam in ecclesiis *religiosarum* erigi non prohibentur si sint mulierum tantum *aut* si nonnisi precationibus indulgeant et gratiarum spiritualium communicatione gaudeant (can. 712 § 3).

c) Etiam piae uniones possunt *functiones* non paroeciales, sive in ecclesia propria sive in aliena ubi sint legitime erectae, independenter a parocho peragere, iisdem conditionibus et limitationibus ac confraternitates. *Processionibus* interesse possunt, sed non tenentur.

Associationes fidelium ad fines religiosos antiquissimae sunt. *Collegia funeraticia*, ad normam legum Romanarum, iam primis saeculis christiani constituerunt, quamvis historice non constet hoc instituto usam

---

[1] Eiusmodi confraternitates a *parocho independentes* (et cum parocho saepe in conflictu) frequentes sunt in provinciis meridionalibus Italiae. Alibi, ubi unitati vitae paroecialis et consequenter efficacitati curae pastoralis severius provisum est, vix unam vel alteram invenies. Quare etiam plures normae de confraternitatibus quae in C. continentur, in multis locis non sunt practicae applicationis.

[2] At secundum decretum S. C. R. 10 dec. 1703 ad I-II, quod abrogatum esse non constat, erectae in ecclesia paroeciali vel huius filiali, pendent a parocho *etiam* in functionibus *non* paroecialibus.

esse Ecclesiam, ut coram republica personalitatem iuridicam obtineret.[1] Constantinopoli saec. IV extiterunt *asceteria,* societates ad exequias defunctis persolvendas, eodem fere tempore Alexandriae *parabolani,* qui curam infirmorum suscipiebant. Aetate Carolingica incipiunt uniones, quarum socii precibus et suffragiis mutuo se adiuvabant, primum inter monasteria,[2] deinde inter clericos, demum etiam inter laicos. Medio aevo progrediente innumerae exortae sunt in omnibus ordinibus socialibus corporationes, quae aut finem mere religiosum aut saltem cum alio fine etiam opera pietatis vel caritatis prosequebantur omnesque in arcta connexione cum Ecclesia erant. Confraternitates et piae uniones, quae modernae formae magis accedunt inde a saec. XIII (scapularis B. M. V. montis Carmeli, septem dolorum; saec. XV Rosarii) inductae sunt et post Conc. Trident. ac praesertim ultimo saeculo sive numero sive diffusione magnum incrementum coeperunt.

305. Aggregatio. Confraternitas vel pia unio ex *episcopali* erectione aut approbatione ordinarie nullas indulgentias aliasve gratias spirituales consequitur,[3] quae proinde directe a S. Sede essent impetrandae. At hoc plerumque non fit, sed idem finis obtinetur per *aggregationem* ad archiconfraternitatem vel unionem primariam, quae ius habet sibi aggregandi omnes associationes eiusdem tituli ac finis, non autem diversas, nisi speciale privilegium apostolicum aliud ferat. Associationes simplices iure aggregandi non pollent; haec facultas, uti etiam titulus archiconfraternitatis vel unionis primariae a sola Sede Apostolica concedi potest (can. 721, 725). Aggregationis unicus effectus est ut associationi aggregatae communicentur omnes indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales communicabiles quae associationi aggreganti *directe* et *nominatim* a S. Sede concessae fuerint, non autem quae ipsi per communicationem aliove modo obvenerint.[4] Nullam vero auctoritatem acquirit aggregans in aggregatam, quae manet in una pristina conditione iuridica sub iurisdictione Ordinarii, etsi statuta archiconfraternitatis assumpserit (can. 722).

---

[1] cf. supra n. 28.

[2] Ad has se referunt antiquissima documenta, quae supersunt sub nomine *libri confraternitatum* et in parte etiam publici iuris facti sunt.

[3] Aliud est in erectione per *regulares*, quae indulgentias et gratias secum ferre solet.

[4] Confraternitas SS. Sacramenti et confraternitas doctrinae christianae statim ac legitime in aliqua paroecia erectae sunt ipso iure aggregatae sunt eisdem archiconfraternitatibus in Urbe (can. 711 § 2).

b) Ad aggregationis *validitatem* autem requiritur ut:

1. Associatio sit iam canonice erecta nec alibi aggregata;
2. fiat cum consensu scripto Ordinarii eiusque litteris testimonialibus: utrumque uno documentu contineri potest;
3. indulgentiae, privilegia, gratiae enumerentur in elencho, ab Ordinario loci ubi archiconfraternitas est recognito et societati aggregatae tradendo;
4. fiat ad norman statutorum et in perpetuum;
5. litterae aggregationis expediantur gratis, nulla prorsus mercede etiam sponte oblata, exceptis necessariis expensis (can. 723).

c) Archiconfraternitatis vel primariae unionis de una in aliam sedem *translatio* res est S. Sedi reservata (can. 724).

CANONES CODICIS IURIS CANONICI

can. 1 58, 96
» 2 58
» 3 17, 33, 58, 207
» 4 59, 85, 207, 280
» 5 59, 71, 74, 202, 212, 231, 246
» 6 9, 40, 54, 58, 59, 60, 61, 67, 69, 79, 287
» 7 126, 151, 160, 251, 278
» 8 61, 62, 65
» 9 62
» 10 59, 63, 81, 265
» 11 61, 66, 67, 68, 100, 258
» 12 37, 38, 65, 91, 250
» 13 25, 61, 65, 250
» 14 61, 65
» 15 66, 87
» 16 66, 69, 101
» 17 63, 66, 74, 75, 101
» 18 67, 69
» 19 66, 67, 68, 258
» 20 40, 52, 59, 68, 74, 260
» 21 69
» 22 59, 69
» 23 40, 59, 69
» 24 70
» 25 71, 72, 73
» 26 59, 72
» 27 8, 60, 71, 72, 73, 250
« 28 59, 71, 72, 250
» 29 66, 73
» 30 59, 69, 71, 74
can. 31 89
» 32 89
» 33 68, 89
» 34 62, 89, 268, 273
» 35 72, 89
» 36 75, 76
» 37 76, 83
» 38 78, 79, 80
» 39 77, 78, 80
» 40 77, 78
» 41 78, 88
» 42 78, 88
» 43 78, 125
» 44 78, 200
» 45 78
» 46 76, 78, 79
» 47 77
» 48 79, 84, 128
» 49 79, 84
» 50 67, 79, 84, 88
» 51 80
» 52 79, 80
» 53 80
» 54 80
» 55 80
» 56 80
» 57 80
» 58 80
» 59 80
» 60 59, 69, 81, 85
» 61 81, 129
» 62 75
» 63 83, 280
» 64 83
» 65 83
» 66 82, 85, 87, 88
» 67 67, 84
» 68 67, 84, 88
» 69 84
» 70 59, 82, 85
can. 71 59, 69, 82, 85
» 72 85
» 73 85
» 74 85
» 75 85
» 76 85
» 77 85
» 78 85
» 79 75, 83
» 80 86, 87
» 81 61, 87
» 82 87
» 83 61, 87
» 84 88
» 85 79, 87, 88
» 86 86, 88
» 87 15, 37, 91, 297
» 88 91
» 89 91
» 90 92
» 91 87, 92
» 92 92, 93
» 93 92
» 94 65, 87, 14, 226
» 95 94
» 96 95
» 97 95
» 98 58, 96
» 99 15, 97, 98
» 100 15, 17, 20, 98, 99, 109, 244, 298
» 101 7, 99, 139, 140, 188, 208, 238, 252, 253
» 102 85, 98, 248, 299
» 103 101, 139
» 104 101
» 105 99, 102, 139, 208, 252, 265

can. 106 21, 58, 99, 103, 195, 231, 245, 281, 301
» 107 39, 71, 104, 243, 297
» 108 7, 39, 104, 105, 132, 186
» 109 7, 17, 20, 39, 71, 104, 125, 133, 153
» 110 126, 160, 252
» 111 106, 273
» 112 107, 190
» 113 107, 200, 213
» 114 107, 115
» 115 108, 273
» 116 106, 107
» 117 8, 107
» 118 39, 71, 82, 104, 109, 125, 134
» 119 109, 110, 115, 117, 280
» 120 17, 111
» 121 17, 112
» 122 112
» 123 84, 109, 280
» 124 113, 276
» 125 114
» 126 114
» 127 115
» 128 106, 115
» 129 116
» 130 116
» 131 116, 281
» 132 66, 117, 123
» 133 118
» 134 118
» 135 89, 114
» 136 59, 66, 119, 123
» 137 121
» 138 120
» 139 112, 121
» 140 120
» 141 23, 66, 112. 120, 123
» 142 122, 276
» 143 115
» 144 115
» 145 20, 126, 131
can. 146 131
» 147 8, 17, 20, 133, 134
» 148 133, 137
» 149 52, 134
» 150 52, 135, 139
» 151 135
» 152 134, 136, 190, 200
» 153 134
» 154 134
» 155 135
» 156 135, 223
» 157 136
» 158 134, 135, 208
» 159 135
» 160 137, 253
» 161 89, 99, 135, 139, 217
» 162 59, 99, 138, 139, 208, 253
» 163 138
» 164 138, 144
» 165 138
» 166 8, 139
» 167 91, 138
» 168 138
» 169 99, 101, 139
» 170 125, 139
» 171 99, 139, 253
» 172 99, 139
» 173 139
» 174 140, 142, 188
» 175 140
» 176 133, 139, 140
» 177 140
» 178 134, 137, 139, 253
» 179 141
» 180 142
» 181 138, 141, 142. 147, 253
» 182 141, 142, 253
» 183 126, 135, 146, 216
» 184 147
» 185 101, 147
» 186 147
» 187 147, 200
can. 188 66, 69, 112, 117, 135, 148, 191
» 189 147
» 190 147
» 191 147
» 192 149, 200, 221, 231
» 193 150
» 194 150
» 195 149
» 196 17, 20, 125
» 197 125, 126, 127, 196, 200, 221
» 198 78, 82, 126, 183, 196, 200, 218, 252
» 199 127
» 200 87, 126, 127, 128
» 201 62, 125
» 202 125
» 203 128
» 204 87, 125
» 205 128, 129
» 206 128
» 207 81, 85, 129
» 208 126
» 209 76, 81, 130, 258
» 210 127
» 211 123
» 212 124
» 213 109, 124
» 214 101, 123, 124
» 215 17 ,20, 132, 186, 198
» 216 20, 183, 220, 223
» 217 220
» 218 17, 20, 39, 64, 109, 126, 151
» 219 21, 39, 133, 153
» 220 152
» 221 147, 155
» 222 235
» 223 158, 236
» 224 236

can. 225 236
» 226 236
» 227 62, 235
» 228 64, 235
» 229 235
» 230 156
» 231 156
» 232 134, 137, 157
» 233 136, 153, 157
» 234 157
» 235 157
» 236 157
» 237 156
» 238 158, 191
» 239 75, 82, 156, 158, 195, 284
» 240 136, 158
» 241 155, 159
» 242 160
» 243 160
» 244 21, 160, 161
» 245 160, 166
» 246 161
» 247 162, 164, 173, 252
» 248 163
» 249 21, 161, 164
» 250 21, 58, 103, 161, 165, 237
» 251 21, 103, 161, 164, 166, 251
» 252 167, 237
» 253 67, 168, 173
» 254 169
» 255 33, 170
» 256 171
» 257 21, 58, 172
» 258 173,
» 259 21, 173
» 260 174
» 261 175
» 262 176
» 263 33, 177
» 264 177
» 265 17, 178
» 266 179
» 267 64, 179
» 268 179
» 269 103, 178
can. 270 178
» 271 64, 238
» 272 181
» 273 181
» 274 64,134,181,194
» 275 182
» 276 182
» 277 182
» 278 182
» 279 182
» 280 180
» 281 234, 238
» 282 238
» 283 234, 239
» 284 181, 239
» 285 216, 239
» 286 208, 239
» 287 237
» 288 237
» 289 237
» 290 237
» 291 62, 64, 87, 237, 238, 239
» 292 234, 239
» 293 136, 183
» 294 64, 183, 198
» 295 184, 185, 281
» 296 185, 281
» 297 185, 281
» 298 184, 185, 281
» 299 184
» 300 184
» 301 184, 191
» 302 184
» 303 184
» 304 183, 184, 237. 241
» 305 184
» 306 184, 227
» 307 184, 281
» 308 183
» 309 116, 126, 183
» 310 183
» 311 183
» 312 197
» 313 197
» 314 82, 197
» 315 64, 191, 197
» 316 197
can. 317 126, 197
» 318 197
» 319 198
» 320 134, 136, 198
» 321 188, 198
» 322 198
» 323 64, 198, 241
» 324 98, 198
» 325 198
» 326 198
» 327 126, 198
» 328 160
» 329 20, 21, 39, 136, 186, 188
» 330 134, 193
» 331 11, 134, 188
» 332 188
» 333 188, 191
» 334 39, 140, 188, 189, 197
» 335 20, 21, 39, 62, 64, 189
» 336 190
» 337 189, 281
» 338 181, 191, 212
» 339 192, 197, 227
» 340 193
» 341 193
» 342 193
» 343 59,181,194,255
» 344 194
» 345 194, 255
» 346 59, 194
» 347 180, 195
» 348 187
» 349 187, 195
» 350 135, 136, 196
» 351 196
» 352 196
» 353 196
» 354 191, 196
» 355 196
» 356 240, 241
» 357 200, 218, 241, 242
» 358 208, 241, 281
» 359 241
» 360 242
» 361 240, 242

can. 362 21, 62, 64, 240, 242
» 363 199
» 364 199
» 365 199
» 366 21, 126, 200
» 367 11, 134, 135, 200, 284
» 368 183, 200, 218
» 369 200, 248
» 370 63,103,200,218
» 371 126, 129, 200, 216
» 372 134, 201
» 373 201, 252
» 374 201
» 375 202
» 376 202
» 377 202
» 378 202
» 379 202
» 380 202
» 381 202, 241
» 382 202, 218
» 383 202, 228
» 384 202, 228
» 385 203, 240
» 386 203, 208
» 387 203
» 388 203, 208
» 389 203
» 390 203
» 391 204, 208
» 392 204
» 393 204, 206
» 394 204,208
» 395 206
» 396 52, 59, 72, 134, 136, 207
» 397 208, 209, 226
» 398 204
» 399 11,134,137,107
» 400 208, 213
» 401 125, 213
» 402 210
» 403 59, 72, 207 208
» 404 11, 134, 207
» 405 82, 207, 211
can. 406 200, 207, 208, 218
» 407 211
» 408 59,103,208,211
» 409 59, 69, 72, 211, 212
» 410 64, 98, 208
» 411 208
» 412 209, 212
» 413 209
» 414 209
» 415 210, 279
» 416 209
» 417 59, 209
» 418 59, 89, 206,212
» 419 212
» 420 69, 191, 206, 212, 213
» 421 8, 11, 191, 206, 212
» 422 69,206,212,214
» 423 134, 198, 215
» 424 215
» 425 215
» 426 136, 215
» 427 126, 215
» 428 215
» 429 126, 181, 183, 197, 198, 216
» 430 150, 197, 216
» 431 126, 216
» 432 89,126,134,135 139, 217, 219
» 433 59, 217, 219
» 434 11,134,140,217
» 435 64, 218
» 436 218, 248
» 437 218
» 438 133, 217
» 439 218
» 440 191, 218
» 441 218, 219, 237
» 442 219
» 443 219
» 444 219
» 445 134, 221
» 446 137, 221
» 447 221
» 448 191, 221
can. 449 221
» 450 221
» 451 99,198,223,229
» 452 210, 222
» 453 52, 134, 224
» 454 208, 218, 222, 223, 229, 281, 284
» 455 20, 59, 136, 200, 218, 224
» 456 224, 281
» 457 224
» 458 135, 224
» 459 59, 224
» 460 59, 223
» 461 224
» 462 59, 210, 226
» 463 226
» 464 220, 223, 227, 233, 251, 259,284
» 465 191, 227, 229
» 466 227
» 467 226, 227
» 468 227
» 469 227
» 470 202, 228, 266, 272
» 471 98,99,191, 210, 222, 224, 299
» 472 229
» 473 229
» 474 229
» 475 135, 230
» 476 135, 191, 231
» 477 200, 229, 231
» 478 231
» 479 134, 233, 259
» 480 233, 281
» 481 233
» 482 233
» 483 233
» 484 233
» 485 233
» 486 233
» 487 243, 276
» 488 126, 243, 244, 245, 247, 248, 252, 253, 257, 271, 295

can. 489 59, 244, 250, 270
» 491 103, 109, 208, 245
» 492 20, 200, 218, 247, 281
» 490 67, 244
» 493 20,98,247,249
» 494 20, 248
» 495 99, 247, 248, 251
» 496 248
» 497 248, 249, 281
» 498 249
» 499 251
» 500 251
» 501 64, 245, 250, 252, 281
» 502 252
» 503 252
» 504 253
» 505 253
» 506 253, 281
» 507 253
» 508 254
» 509 254
» 510 254
» 511 255
» 512 251, 255, 281
» 513 255
» 514 226, 251
» 515 253
» 516 252, 260
» 517 255
» 518 256, 269
» 519 59, 256, 258
» 520 257, 258
» 521 257
» 522 59, 258
» 523 258
» 524 257
» 525 257, 258
» 526 254
» 527 257, 258
» 528 256
» 529 259
» 530 258
» 531 98, 248, 260
» 532 260, 255
» 533 260, 267, 281, 284
» 534 261
» 535 262, 267, 255, 281, 284
» 536 98, 261
» 537 261
» 538 263
» 539 264
» 540 264
» 541 115, 264
» 542 37, 58, 101, 263, 265, 266, 285, 286, 296
» 543 265, 272
» 544 59, 266, 285
» 545 266
» 546 266
» 547 260, 267
» 548 267
» 549 260, 267
» 550 267
» 551 260, 267, 286, 290
» 552 267, 281
» 553 268
» 554 268, 275
» 555 265, 268
» 556 268, 270
» 558 268
» 557 268
» 559 134, 269, 275
» 560 269
» 561 269, 270
» 562 269
» 563 265, 269
» 564 268
» 565 265, 269
» 566 256, 264, 269
» 567 110, 270
» 568 147
» 569 267, 270, 274
» 570 267, 270
» 571 270
» 572 101, 263, 265, 272
» 573 272
can. 574 108, 270, 272, 290
» 575 272, 273
» 576 228, 272
» 577 270, 273
» 578 138, 270, 273
» 579 271, 273
» 580 270, 274, 284, 286
» 581 270, 274
» 582 274, 284, 286
» 583 270, 274
» 584 148, 273
» 585 106, 108, 273
» 586 21, 274
» 587 275
» 588 275
» 589 275, 279
» 590 275
» 591 275
» 592 276
» 593 66, 276
» 594 276
» 595 275, 276
» 596 276
» 597 277
» 598 277
» 599 277
» 600 277
» 601 277
» 602 277
» 603 281
» 604 277, 278
» 605 277, 278
» 606 277, 278, 286, 288
» 607 278
» 608 279
» 609 279, 281
» 610 114, 259, 273, 279, 286
» 611 278
» 612 279, 281
» 613 83, 280, 281
» 614 110, 111, 270 280
» 615 251, 281
» 616 281

can. 617 281
» 618 251, 255, 281
» 619 281
» 620 281
» 621 281, 283
» 622 58, 283
» 623 283
» 624 283
» 625 198, 283
» 626 284
» 627 187, 284
» 628 187, 284
» 629 138, 187, 284
» 630 281, 284
» 631 281, 284
» 632 285
» 633 285
» 634 285
» 635 285
» 636 285
» 637 273, 286, 289
» 638 286
» 639 138, 286
» 640 108, 138, 286
» 641 108, 286, 278, 290
» 642 63,287,290,294
» 643 281, 286, 290
» 644 288
» 645 288
» 646 289, 294
» 647 273, 290
» 648 108, 123, 273, 286, 290
» 649 291
» 650 292
» 651 291, 292
» 652 292
can. 653 293
» 654 59, 292
» 655 252, 292
» 256 291
» 657 291
» 658 291
» 659 286, 291
» 660 291
» 661 291
» 662 291
» 663 292
» 664 292
» 665 292
» 666 292
» 667 292
» 668 293
» 669 123, 286, 294
» 670 294
» 671 294
» 672 294
» 673 118, 295
» 674 296
» 675 296
» 676 296
» 677 296
» 678 296
» 679 296
» 680 110, 111, 296
» 681 296
» 682 297
» 683 109, 119, 297
» 684 23, 298, 300
» 685 298
» 686 98, 200, 218, 281, 298
» 687 97, 298
» 688 299
» 689 299
can. 690 299, 302
» 691 299
» 692 300
» 693 300
» 694 300
» 695 300
» 696 20, 300
» 697 299
» 698 281, 299
» 699 299
» 700 301
» 701 103, 301
» 702 301, 302
» 703 281, 302
» 704 300, 302
» 705 300, 302
» 706 302
» 707 301, 303, 304
» 708 98, 303, 304
» 709 303
» 710 303
» 711 303, 305
» 712 208, 303, 304
» 713 83, 303
» 714 303
» 715 303
» 716 233, 303
» 717 303
» 718 303
» 719 303
» 720 301
» 721 305
» 722 83, 305
» 723 305
» 724 305
» 725 301, 305

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri marginales indicantur)

A

abbas nullius 198
primas
praeses congregationis
monasterii 252, 283
Abbo Floriacensis 46
abrogatio legis 69
absens inscriptus associationi 300
abusu, appellatio ab 25
acatholicus 37
acceptatio privilegii 83
delegationis 127
electionis 140
acquisitio privilegii 83
actiones 122
actus heroicus 63
mere internus 63, 273
iuridicus 100 ss.
validus, nullus rescindibilis 110
« *ad beneplacitum nostrum* » 81, 85, 126, 146
administrator apdstolicus 197
administratio honorum temporalium 254, 260 ss. 270, 299
admissio in religionem 263
adscriptio associationi 300
advena 92
aetas 91
affinitas 95
aggregatio 305
aleatorii ludi 120
Algerus Leodiensis 46
alienatio 261
amens 91
amissio privilegii 85
sedis iuridicae 94
officii ecclesiastici 146
amotio 149
analogia 68
« *Anselmo dicata* » 46
Anselmus iunior 46
anulus 119
appellatio ab abusu 25
apostasia a religione 288
a fide 289
archiconfraternitas 301, 305
archidiaconus 194, 199
archivium 184, 202, 128
arma 120
artes indecorae 120
associationes fidelium 298 ss.
Atto cardinalis 46
autonomia 64, 208, 297
auxiliaris episcopus 196
Avellana collectio 43

B

barba 119
beneficium 131
Bernardus Papiensis 49
bibliographia iuris canonici 12
Bracarensis Martinus 43
brachium saeculare 27
breve 152
Breviarium Alaricianum 44
Breviatio canonum 43
bulla 152
Bullaria 55
Burchardus Wormatiensis 46

C

Caesaraugustana collectio 46
cambium 122
Camera apostoliea 176
Cancellaria apostolica 174
regulae 52
cancellarius 201
Canones apostolorum 41
Canones ecclesiastici apostolorum 41
canonicatus 204, 207
canonicus 204 s.
honorarius 207
poenitentiarius 213
theologus 213
capacitas iuridica 99

Capitula Algilramni 45
Martini 43
Capitularia Benedicti Levitae 45
capitulum 204 ss.
religiosum 252
cappellanus religiosorum 259
cardinalis 136, 153, 156 ss.
protector 251
Religiosus 284
castitas 117
casus urgens dimissionis 293
causa motiva, implusiva 78, 88
maior 152
dimissionis 290 s
centenaria consuetudo 71, 72, 73, 83
cessatio concordati 35
legis 69
consuetudinis 74
rescripti 81
dispensationis 88
delegationis 129
potestatis R. Pontificis 155
vicarii capit. 219
cessio administrationis 270, 274
chirurgia 121
choreae 126
chorepiscopus 187
clausura papalis 277
episcopalis 278
clericus 105 ss.
iura et privilegia 109 ss.
obligationes 113 ss.
coactivitas iuris 3
coadiutor episcopus 196
Codex iuris canonici 56 ss.
codificatio 57
coelibatus 117
coetus capitulares 208
cohabitatio cum mulieribus 118
collectio XXV capitulorum 42
LXXXVII capitulorum 42
collectiones pseudoapostolicae 41
orientales 42
latinae antiquae 43
pseudoisidorianae 45
systematica ante Gratianum 46
collocatio pecuniae 260
commentarium officiale 62
commercium epistolare 278
communicatio 83, 280
compilationes antiquae 49
compromissum 139, 153
concilium 54, 234 ss.
oecumenicum 235 ss.
plenarium et provinciale 237 ss.
concordatum 33 ss,
Theoria legalis, pactorum, privilegiorum 34
interpretatio, cessatio 35
concursus rescriptorum 79
privilegiorum 84
paroecialis 225
conditiones in rescriptis 77
conferentiae casuum 116, 221, 275
episcopales 234
confessarius religiosorum 256
religiosarum 257 s.
confirmatio 83
electionis 140
confraternitas 303
congregatio religiosa 245
Congregationes Romanae 55, 161
S. O. 162
Consistorialis 163
de Sacramentis 164
Concilii 165
de Religiosis 166
Prop. Fide 167
Rituum 168
caeremonialis 169
negotiorum extraordinariorum 179
de Sem. et Univ. 171
Ecclesiae orient. 172
consanguinitas 95
consensus 102
expressus, tacitus, legalis 71
capitul. 208
apud religiosos 252
consilium 102
capituli 208
apud religiosos 252
consistorium 158
consuetudo 59, 71 ss. 83
consultores dioec. 215
Constitutiones Apostolicae 41

Corpus Iuris Canonici 51
corruptela 72
creatio cardinalium 157
Cresconius 43
cura animarum capituli 210
Curia Romana 160 ss.
diocesana 199 ss.

D

Dacheriana 43
Dataria 175
debita 261
decanatus 220
Decretales Greg. IX 50
Clementinae 51
Clementis VIII 56
Decretalistae 50
Decretistae 50
Decretum Bonizonis 46
Gratiani 47 ss.
defectus legis 68
delegatio 127
collegialiter in solidum 128
delegatus apostolicus 179
deputatus 121
derogatio legis 69
Deusdedit 46
devolutio 134, 137, 217
Didachè 41
Didascalia Apostolorum 41
dies datae, praesentatae 50
dignitas 204, 207
dimissio 149
religiosi 289
ex associatione ecclesiast. 300
Dionysius Exiguus 43
Dionysio-Hadriana 43
disparitas cultus 162
dispensatio 86 ss
dissimulatio 86
distributio 206
dolus 101, 265, 272
domicilium 92
domus pontificia 106
religiosa 249
novitiatus 268, 272
dos 260, 267
dubia iurisdictio 130

E

Ecclesia societas iuridica 7
societas perfecta 14 ss.
eius sovranitas 17
eius potestas legifera 20
iudicialis 21
coactionis 21
eius regiminis forma 39
Ecclesia et status 23
hegemonia 24
separatio 26
maioritas 27
egressus e religione 285 ss.
legitimus 286
illegitimus 288
electio 137
in religionibus 253
forma 139
Rom. Pontificis 153
electores 138 ss.
encyclica 152
epicheia 69
episcopalismus 39
episcopatus 39, 186
episcopus 134, 136, 186 ss. 209
eius potestas 189
titularis 187
religiosus 284
error 101
in rescripto 77
communis 130
euchologia 44
examen per triennium 116
examinator synodalis vel prosynodalis 203
excardinatio 106 ss.
exclaustratio 286
exclusiva 154
executio 78, 80
exemptio 198, 281
a parocho 223
exequatur 25
exercitia spiritualia 114
exploratio voluntatis 267
Extravagantes Ioannis XXII 51
communes 51

F

factum iuridicum 100
facultates 82
fallentia 206
febronianismus 31, 39
Fabronius Iustinus 31
fictio iuris 69
fontes materiales et formales 40
forma gratuita et forma commissoria 75, 80
forma regiminis Ecclesiae 39
formulae 44
fuga a religione 288
cum persona alterius sexus 289
functiones non paroeciales 303, 304
fundamentum iuris 4

G

Gallicanismus 31, 39
Gasparri Petrus 56
gratia facienda, gratia facta 75
Gratianus 47
gratuitas 135
«*guarentigie*» lex italica 18

H

habitus clericalis 119
religiosus 276
hegemonia Ecclesiae 24
status 25
Hibernensis collectio 43
hierarchia 104
ordinis 105 ss.
iurisdictionis 125 ss.
Hispana versio 43
collectio 43
systematica 43
gallica 45
historia turis canonici 10
relationes inter Eccl. et Statum 28 ss.
horae canonicae 114, 279

I

Ianduno Ioannes 30
idiota 91
idoneitas 34
ieiunium eucharist. 162, 164
ignorantia 66
immemorabilis consuetudo 70, 71, 72, 83
immunitas 109, 112
impubes 91
incardinatio 106 ss.
incola 92
incompatibilitas 135
indultum 59
industria 122
infans 91
infidelis 38
institutio 143, 145
internuntius 179
interpretatio concordati 35
legis 67
rescripti 79
privilegii 84
dispensationis 88
interruptio novitiatus 268, 270
iosephinismus 31
Isidoriana versio, collectio 43
iubilatio 214
Iudaei 38
iura maiestatica 25
in sacra, circa sacra 25
quaesita 59, 63
paroecialia 226
iuramentum fidelitatis 157, 188
iurisdictio 125
ordinis 126
delegatio 127
ius - notio 1, 2
proprietates 3, fundamentum 4
partitio 6
ius ecclesiasticum
definitio 8
divisio 9
scientia 10
bibliographia 12
publicum 13 ss.
liturgicum 58
concordatarium 58
antiquum 59
naturale 5, 60
ius gladii 22
cavendi 25
protectionis 25

supremae inspectionis 25
eminentis dominii 25
reformandi 25
invigilandi et influendi 31
remonstrandi 62
ius patronatus 143
variandi 144
legationis 178
Ivo Carnutensis 46

L

laicismus 32
laicus 297
largitiones 261
legatus pontificius 178 ss.
a latere 179
lex aeterna 1
naturalis 5, 60
ecclesiastica 61 ss
incerta, dubia 66
inhabilitans, irritans 66
«delle guarentigie» 18
liber diurnus 44
sextus 51
libera collatio 132
liberalismus 32
libertates gallicanae 30
libri paroeciales 228
licentia 86
ludi aleatorii 120

M

magister novitiorum 269
Magna Hispana 43
maior aetas 91
maioritas 27
Marsilius Patavinus 25, 30, 39
matrimonium 164
medicina 121
mendicantes 245
metropolita 180, 181
metus 101, 295, 272
militia 112, 120
ministeria clericalia religiosum 279
minor aetas 91
missa pro populo 184, 192, 218, 227
conventualis 209, 279
missionarius apostolicus 184
missiones 183
mixta religio 162
«*motu proprio*» 76, 78, 152

N

necessitudo 95
negotiatio 122
negotium iuridicum 100
nominatio 137, 145
Nomocanon 42
notariatus paroecialis 228
notarius 121, 201
novitiatus 265 ss
novitius 269
nuntius apostolicus 178 s.

O

obedientia canonica 115
obiectum legis ecclesiasticae 63
oblatus 263
obligationes 122
obreptio 77, 78, 88
obrogatio legis 69
Occam Guilelmus 30
occultum, omnino occultum 173
oeconomus 217, 219
officia divina 209
ecclesiastica 131
interdicta religiosis 278
saecularia 121
officialis 199
optio 157, 207
Ordinarius 87, 126, 218, 251
Ordines Romani 44
ordo ethicus et ordo iuridicus 1
ordo dimissionis religiosi 292
ordo religiosus 248
Orientales 58, 96, 172
origo 92

P

pallium 182
paroecia 220, 222
parochus 87, 210, 222 ss.
consultor 203
religiosus 284
patriarcha 180
patriarchatus orientales 180

patronatus 143
patronus 144
Pennaforte Raymundus de 50
peregrinus 65, 87, 92
perfectio christiana 243, 276
perpetuitas obiectiva et subiec. 31
persona 90
persona physica 91 ss
moralis 97 ss.
collegialis et non collegialis 97
personalitas iuridica 91, 298
pia unio 304
placet 25, 30
Poenitentiaria 173
poenitentiarius maior 59, 173
canonicus 204, 207, 213
Polycarpus 46
pontificalia 195, 198
potestas publica 19
legifera 20
iudicialis 21
coactiva 22
directa 24
indirecta 27
directiva 27
dominativa 250
postulatio 141 s.
postulatus 264
praebenda 206
praecedentia 103, 156, 180, 195, 211, 221, 231, 245, 301
praeceptum 70
praefectura apostolica 183
praefectus apostolicus 183 ss.
praelatus 129
nullius 198
praescriptio 71, 83
praesentatio 143, 144
praesumptio iuris, periculi, facti 69
praxis Curiae 68, 74
primas 180
Primatus 39, 151, 152
Prisca 43
privatio 149
privilegium 59, 82 ss.
canonis 110, 280
fori 111, 280
immunitatis 112, 280
competentiae 112, 280
cardinalium 158
religiosorum 280 ss.
Paulinum 162
proclamatio electionis 140
procuratio 104
professio religiosa 271
invalida 274
promulgatio legis 62
pronuntius 179
provincia relig. 248
provisio officii eccles. 133
ordinaria, extraordinaria 134
Pseudo - Isidorus 45
punctatura 206

Q

quaestuatio 283
quasi . domicilium 12
quasi - inspiratio 153
quasi - paroecia 183, 220
quasi - nullius 43

R

ratio reddenda 262
rector Ecclesiae 233
reductio ad statum laicalem 123
Regalismus 31
regimen religionis 250 ss.
Regino Prumiensis 46
regulae cancellariae 52
relatio iuridica 3
super statu ecclesiae 184
Religio 243 ss.
iuris pontificii et iuris dioecesani, exempta et non exempta, clericalis et laicalis 245
religiosus 243 ss.
renuntiatio 147
tacita 148
omnium bonorum 274
res mixtae 27
oeconomicae 165
rescriptum 75 ss.
reservatio in pectore 157
residentia 184, 191, 212, 218, 227, 254
revisio concilior. 165, 237, 238, 239
ritus 96

Romanus Pontifex 87, 134, 136, 151, ss.
Rota Romana 53

S

Sacramentaria 44
Sacrum R. imper. 29
saecularizatio 286
Sanctum Off. 162
Scholasticus Ioannes 42
scientia iuris canonici 10
scrutinium 139, 153
secretarius Status 177
breviorum 177
epistolar. latin. 177
sedes iuridica 92
vacans 159, 216
impedita 216
senator 151
separatio Ecclesiae a Statu 26
servitium chori 212
sigillum 221, 228
societas 14
perfecta 15
eius potestas 19
societates sine votis 295 s.
socius 269
sodalitas 302 s.
spectacula 130
sponsor 121
Status 23 ss.
hegemonia 25
Status atheus, indifferens, aconfessionalis, paritarius, 27
Status clericorum 104 ss.
religiosus 243 ss.
laicus 297
statuta capituli 208
associationum 299
Statuta Ecclesiae antiquae 43
studia sacra 116
in religione 275
stylus Curiae 68, 74, 78
subiectum activum, passivum legis 64, 65
subreptio 77, 78, 88
superior generalis, provincialis, localis 252
maior, minor 252
supputatio temporis 89
synodus 234 ss.
dioecesana 240 ss.

T

taberna 120
Tarraconensis collectio 46
tempus 89
continuum, utile 89
tempus provisionis 135
praesentationis 144
institutionis 145
tertius ordo 301 s.
testamentum 270, 274
testimoniales 266
theologus 204, 207, 213
theoria guelfica et ghibellina 29
legalis, pactorum, privilegiorum quoad concordata 34
tolerantia politica 27
tonsura 119
transitus 285
translatio 250

U

unio primaria 101, 305
usus contrarius 85
usus forensis 74
usus et ususfructus 270, 274
usus privileg. 84

V

vacatio legis 62
officii 135
vagus 65, 87, 92
venatio 120
vicariatus apostolicus 183
vicariatus foraneus 220
vicarius apostolicus 183 ss.
capitularis 216 ss.
foraneus 221

generalis 199 ss., 216
paroecialis 229
perpetuus, oeconomus, substitutus 229
coadiutor 230
cooperator 231
vis 101, 265, 272
vita communis 118
visitatio liminum 184, 193
visitatio canonica 194, 255
vocatio 262